
COMMENTARIORVM LIBRI TRES IN

OMNES PSALMOS DAVIDICOS, IN QVIBVS



L O V A N I I,

Ex officina Antonii Maria Bergagne Bibliop. Iurat. Anno 1558.

Cum Gratia & Priuilegio Regis ad quatuor annos.

INSIGNIA MILITVM RHODIORVM

HODIE MELITENSIVM.

ORNATISSIMO ATQVE HVMANISSIMO VIRO ET DOMINO, DOMINO GVALTERO

à Byler, Baiuliuo Iohannitarum apud Traiectum inferius, Domino suo omnibus modis obseruando: & Mecœnati suo eximio,
Hieronymus Verlenius Syluius S.

PLVTARCHVS ille Chæronæus inter Philosophos omnes facilè ἠθικώτατος (Nemo enim argutior, nemo concinnior, nemo ad formandos mores aptior, præcipuè in iis operibus quæ appellauit ἠθικὰ συγγράμματα, id est, moralia) disserẽs nũ corporis, an animæ morbi grauiores sint, certissimis validissimísq; rationibus colligit, animi morbos lõgè grauiores esse quàm corporis sint, hoc præcipuè argumẽto, quòd mẽs humana corporis morbos prima sensu percipit aut colore, aut arteriarũ pulsu, aut insueto calore aut frigore. Vnde & inter corporis morbos ii periculosissimi censentur, qui ægritudinis sensum homini adimunt, vt Phrenesis, Lethargus, Epilepsia. Animorum verò ęgritudines non sensit, sed ratione intelligimus. Eæ autem eiusmodi sunt, vt mentẽ quoq; vitient et rationem corrũpant, cuius erat de animorum morbis iudicare. Porrò inter animi morbos nulla pestis nocentior quàm vecordia, quæ ex inscitia & rerum agendarum imperitia ceu primo fonte nascitur. Hæc autem omnibus animi morbis se miscet, & caliginem quandã humanę menti offundit rationisq; iudicium subuertit. Nam febrẽ nemo sanitatem appellauerit: nec phthisin, bonam corporis constitutionem (quam εὐεξίαν græci dicunt) nec podagram, pedũ velocitatẽ. At animo ægrotante, & ratione eodem malo affecta, iram appellamus fortitudinem: obscœnum amorem, amicitiam: inuidiam, certamen: auaritiã, frugalitatem: prodigalitatem nuncupamus liberalitatem. Adhæc corpore malè affecto cõtinuò nos ad quietem componimus, & membrorum agitationem omnésque grauiores motus euitamus, medicum accersimus, qui arteriæ pulsum exploret, venam incidat, salutarẽ pharmacum porrigat. Verùm vbi anim⁹ ægrotare cœperit, medicos repellimus: salutaria pharmaca, quæ diuina sapientia ex sacrarum literarum hortis in vsus nostros miscuit, auersamur, & tum maximè in medios æstus negociorum nos immittimus, & animum malè affectum morbo sub dium propellimus, vt iram, contentiones, amores, ambitionem, omnésq; suas ægritudines prodere cogatur, cùm maximè opus erat tolerantia, silentio, & negociorum fuga. Quemadmodum igitur medici catarrhum, quem latini pituitam vocant, ad verbum destillationem dicimus, aiũt fontem esse omniũ morborũ: ita si quis inscitiã causam, caputq; omniũ ægritudinum animi dixerit, rectè putare mihi videbitur. Quare Pythagoras ille Samius benè præcipit. Δεῖ φυγαδεύειν (inqt) πάντα τρόπον, καὶ ἐκκόπτειν, τὴν νόσον ἀπὸ τοῦ σώματος, τὴν ἀπαιδευσίαν ἀπὸ τῆς ψυχῆς,

 hoc est,

hoc est, Oportet omnib⁹ modis pellere & extirpare morbũ à corpore, & inscitiã ab anima. Intelligebat enĩ vir ille acerrimi iudicii, sicut morbi corporibus noxii sunt, ita inscitiã & ignorantiã pestẽ & exitiũ animis adferre. Et si rem ipsam putare velimus & rectè ratiocinari, videbimus ex ignorãtia ceu perpetua quadã scaturigine vniuersum hoc malorum agmen, quo cõcutitur orbis, & tot iã annis affligitatur et laborat ecclesia catholica, prosilire. Quare celsitudo tua prudentissimè consilia sua instituisse mihi videtur, quòd hæc prima tibi fuerit cura, cùm ad hanc dignitatem euectus es, vt ii qui tuæ fidei cõmissi sunt, scientia sacrarum literarũ imbuerentur, & hac ratione quam nactus eras Spartam exornares, longè dissidens ab eorũ iudicio, qui suos ab omnibus arcẽt literis, vt obsequẽtiores scilicet ad omnia habeant, existimãtes facilius esse beluis ac pecudibus imperare quàm hominibus, cùm homine indocto et imperito nihil sit vspiam aut ferocius aut iniquius. Si enim verè dictum est ab Ouidio:

Adde, quòd ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quid existimandũ est de scientia sacrarũ literarum? quæ non modò emolliunt mores, sed totum hominem mirabili ratione immutãt. Et si Marcus Tul. prophanam philosophiam his verbis ornat in Tusculanis quæstionibus, O vitæ philosophia dux, O virtutis indagatrix, expultrix vitiorum. Quid non modò nos, sed omnino vita hominũ sine te esse potuisset? Tu inuentrix legũ, tu magistra morũ, & disciplinę fuisti. Ad te cõfugimus, à te opẽ petimus. Quã laude, quibus pręconiis extollenda est diuina illa sapientia, & cœlestis philosophia? quæ reuera dux est sola humanæ vitæ, quæ non modò affectibus fræna iniicit, sed etiã exscidit et obliterat quod nũq̃ potuit philosophia. Porrò affect⁹ ipsi omniũ tũ vitiorũ tum virtutum fons est, quos ni tẽperet & regat cœlestis hæc philosophia, virtutẽ nullo modò obtinere poterimus, nec boni viri nomen vnq̃ merebimur. Qualis enim cuiusque animi affectus, talis & homo sit, necesse est. Qualis enim homo, talis oratio, orationi simillima facta: (nam sermo actionis vmbra est) factis autem respõdet vita. Ita enim raciocinatur apud Platonẽ Socrates, ostendere volens si affect⁹ animi laudabilis sit, & vitã laudabilẽ esse. Cùm itaq; ad hoc munus sacra docẽdi à C.T. euocatus fuerim, et hęc prouincia mihi licèt ineptiori ad hãc rẽ tradita sit vt boui clitellę (quod aiũt) ęquissimũ esse ratus sum, vt primã hãc fœturã ingenioli nostri T.D. cõsecrarẽ, & qui primus autor huius præclari instituti apud tuos fuisti, primos etiã studiorum nostrorum fructus carperes. Cõmẽtarios itaq; in Psalmos Dauidicos tribus voluminibus cõplexi sumus, ita vt singulæ quinquagenæ singulos absoluãt libros, quos sub nominis tui auspicio, in lucem edimus, vt fœtus domi tuæ natos tuearis ab inuidorũ & vituperonũ linguis, quos non defuturos scio, dictitãtes superfluũ esse post tot sanctissimos

ſimos et doctiſ. viros, Hilariū, Auguſtinū, Hieronymū, & Ambroſiū, poſt tot neotericos noua cudere cōmētaria, & nil dici poſſe quod non ſit dictum priùs. A quibus id nobis concedi petimus, quod nullis vnq̃ negatū eſt. Quis enim hodie vetat poſt coriphęos illos grāmaticorum, Priſcianum, Donatum, et Diomedē quēq̃ grammatica ſcribere? Poſt Ariſtotelē Dialectica? Poſt Euclidē geometrica? Quis prohibet quenq̃ poſt Boētiū tractare Muſicen? Poſt Hypocratē et huius diligētiſſimū interpretē Galenū, rem tractare Medicā? Et tamē nemo poſteriorū q̃ multis ab hinc annis in hūc vſq; diē eadē tractarunt argumēta, tā prodig⁹ ocii et laboris vnq̃ fuit, vt aliquid operæ in eiuſmodi ponat, quin ſperet ſe vel inuētis aliquid additurum, aut obſcuriùs dicta luculentiùs enarraturum, vel certè cōpēdio et breuitate placiturum. Vt itaq; ęmulis et vitilitigatoribus his hoc donemus, nihil in his noſtris Cōmētariis reperiri, quin ab aliis antea dictum ſit (quanquā id nunquā extorquebunt) hoc ingenuè dicimus (abſit inuidia dicto) multa à nobis et luculētiùs et cōpēdioſi⁹ enarrari, q̃ in aliorū libris enarrata ſunt, niſi prorſus Suffenus ſum, qualē Catullus deſcribit. D. Hieronymi Cōmentaria in multis locis breuiora ſunt, quàm res poſtulat, et ob id obſcuriora. Auguſtini verò in eā creſcūt magnitudinē, vt in plurimis locis, τῷ σπεύδοντι id eſt, ad alia feſtinanti oneri ſint, ne dicā, in quibuſdam locis faſtidio, Hilarii cōmentaria nullā ex tribus abſoluunt quinquagenā. Ambroſii nihil habemus pręterquam in centeſimū decimum octauū Pſalmum, cuius initiū eſt, Beati immaculati in via. Nos itaq; in his Cōmentariis noſtris mediam quandam viam ingreſſi ſumus, vt nec breuitate nimia lectorem remoraremur, nec prolixitate immodica oneraremus. Et ne nimia nouitate quenquam abſterreremus, vulgatā editionē, qua hodie vtitur eccleſia, ſecuti ſumus per omnia. Sicubi verò hęc corrupta eſt librariorum incuria, collatione aliarum lectionū eam reſtituimus, aut ſi quando obſcuriùs ab interprete latino reddita quædam ſunt ex gręca verſione ſeptuaginta interpretum, eadē illuſtrauimus. In hoc enim adhibuimus & Hebraicam veritatē, interprete D. Hieronymo maximè, quæ plurimum lucis vbiq; adfert. Quoniam verò ingenui & candidi animi eſt agnoſcere per quos profeceris, Hilariū, Hieronymum, Auguſtinum, & Ambroſium, quorum veſtigia ſecuti ſumus, citamus paſsim. Nec tamen ita iiſdem addicti, vt religio nobis ſit à quoquam eorum diſſentire: Atque hæc quidē hactenus. Tua itaq; humaniſſima dignitas, et ornatiſsima celſitudo pietatē et ſtudia, vt facit, promouere pergat: & hos tuos egregios conatus nec vnquam ſatis laudatos prouehere dignetur Dominus Ieſus qui C.T. diu nobis ſeruet incolumem. Vale. Decimo ſeptimo Calend. Septēb. Anno M. D. LVI.

Vltraiecti.

CANDIDO LECTORI HIERON. VERLENIVS.

ANTEQVAM enarrationem Psalmorum Dauid aggrediamur, operæprecium visum est pauca præfari, quæ viam quandam sternant ad mysticum intellectum Psalmorum. Et primùm de ratione huius vocis Psalmus, & quid differat ab Hymno & Cantico spirituali: hæc enim tria coniungit Apostolus scribens Ephesiis. Nolite (inquit) inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini spiritu sancto loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Psalmus itaque græca vox est sicut & Hymnus: hoc autē distare inter se videntur, quòd Psalmus genus quoddam sit ad Hymnū, & spirituale Canticum. Nam Psalmus non modò diuina aut sacra, sed & prophana carmina cōplectitur, quod facilè liquet si quis originem vocis spectat. Nam ἀπὸ τοῦ ψάλλειν, id est, à psallendo dictus est Psalmus, vnde et psaltes & psaltria dicta sunt. Quòd autem hæc prophana sunt, etiam mediocriter erudito perspicuum est: Psaltriarum enim apud Comicos crebra mētio fit. Et Salustius in Catilina de Sempronia muliere Romana loquēs, Hæc mulier (inquit) literis græcis & latinis docta, psallere atque saltare elegantiùs quàm necesse est probæ, multaq; alia quæ instrumenta luxuriæ sunt. Hymnus autem propriè diuina laus est. Vnde benè habet initiū Psalmi 54. Te decet Hymnus Deus in Sion, hinc & deorum Hymni apud Homerum. Canticum vtroque sublimius esse videtur, quod nimirū canunt animæ vel corporis hoc ergastulo iā exutæ, vel hinc euolare gestientes. Cuiusmodi olim in nascente ecclesia componebant sancti non furore aliquo poëtico stimulati, sed interna spiritus sancti dulcedine perfusi & extra se rapti, quod & Philo testatur in libello cui titulum fecit, De vita cōtemplatiua supplicum: Et magnus ille Dionysius de diuinis nominibus. Tituli verò Psalmorū vt D. Hieronymo placet, vniuscuiusque Psalmi intellectum aperiūt. Quid enim est (inquit) titulus nisi clauis, vt ita dixerim? In domū non ingredimur nisi per clauem, ita & vniuscuiusq; Psalmi intellectus per clauem, id est, per titulum intelligitur. Quanta autem Psalmorum præstantia & vtilitas sit, quis breui sermone explicet? quem librum omnis scientia & sapientiæ thesaurum non iniuria appellaueris. Sic enim Magnus ille Basilius censet, ἡ τῶν ψαλμῶν βίβλος (inquit) τὸ ἐκ πάντων ὠφέλιμον περιείληφε, καὶ κοινὸν ταμιεῖόν ἐστιν ἀγαθῶν διδαγμάτων. Cùm enim humana philosophia in Logicā, Physicā, & Ethicā diuidatur: Physicam. i. naturalē miro cōpēdio & verborū parsimonia cōprehendit: Ethicā, id est, moralem copiosissimè tractat. At primam illam humanæ philosophiæ partē quam λογικὴν rationatricē appellare possumus, sacræ literæ reijciunt, cùm in ijs fide opus sit, non ratiocinationibus. Nisi enim credideritis (inquit Esaias) non intelligetis. Iam si vsum & vtilitatem Psalmorum spectes, quid ijs admirabilius? quibus ad sobrietatē, mens affectibus ebria & cupiditatibus insana reducitur. Apud græcos erant certa quædā cantionū discrimina, vt liquet ex dialogo Luciani, cui titulus est Harmonides. Erat enim Harmoniæ genus quoddam ad iucunditatem & hilaritatem inuentum, idque Ionium vocabant: erat & Lydium, ad insaniam & bacchicum furorem incitans: erat & Phrygium, generans ἐνθουσιασμόν, id est, diuinum quendam impetum & afflatum: erat & Dorium siue Doricum cantionis genus, ad grauitatem & modestiam animos hominum reducēs. Huius cantionis tanta vis erat, vt Basilius autor sit Pythagorā cum obuium haberet gregem adolescentum, qui ebrietate nimia debaccharentur & insanirent, iussisse Psalten mutare genus cantionis, & canere Doricum, statimque omnes reduxisse ad sobrietatem & modestiam. At nihil ad nostrum Psalten & diuina hæc carmina, quæ fastu & ambitione ebrios, opibus, & se-

cundis

cundis rebus tumidos,inuidia aut amore ægros, ad sobriã & frugi mentẽ reducunt,totumq; hominem mirabili potestate transformant. Sanctus enim spiritus ille per sacras literas varijs modis, non secùs atque medicus quispiam, diuersis pharmacis animæ nostræ passionibus subuenire nouit modulatione quadam (vt August. verbis vtar) & delectabili canore humanum animũ ad pudicitiam prouocante. Quoniã enim videbat obluctantem & resistẽtem ad virtutis viam animos humani generis,& ad delectationes huius vitæ magis inclinari, quàm ad virtutis rectum iter erigi,delectabilibus modulis cantilenæ vim suæ doctrinæ permiscuit,vt dum suauitate carminis mulcetur auditus,diuini sermonis pariter vtilitas inseratur.Fuere autem nonnulli, vt autor est Hier.ad Sophronium scribens,qui Psalteriũ in quinq; libros diuisere,& vbicunq; 70. interpretes verterunt in fine psalmi.γένοιτο,γένοιτο,id est,fiat,fiat:quod Aquila vetus bibliorũ interpres vertit,πεπιστομένως,.i.fideliter,pro quo hebraicè est, Amen,amen, ibi finẽ esse libri. Verùm cùm apostoli,nõ libros Psalmorũ,sed Psalmorũ librũ vocẽt,et apud hebr. appelletur ספר תהלים,Sephertehillim. i. volumen Psalmorũ, vnũ esse librũ cẽset Hier.non plures,tametsi idẽ in Psal.40. scribens, priorẽ opinionẽ non videatur damnare. An verò omnes psalmi ab ipso Dauid scripti sint,suis locis explicabitur. Diuus enim Hiero. eorum esse vult,quorum nomina in titulo præferuntur.Eius verba hæc sunt. Psalmos (inquit) omnes eorũ esse testamur autorum,qui ponuntur in titulis.Dauid scilicet Asaph,& Idithum filiorũ Core, Eman,Moysi,Salomonis,& reliquorum, quos Esdras primo volumine comprehendit.Quoniam verò hymni & psalmi ad psalterium canebantur,vt lyrica carmina ad lyrã,abusiuè psalmorũ liber, Psalterij nomine appellatur: cùm psalterium propriè musicum instrumẽtum sit non absimile citharę, nisi quòd cithara chordas habet deorsum propendentes: Psalterium verò fides habet in latum porrectas,& supinas:Hebr.autem teste Hiero. Nebel appellatur,græcè autẽ (vt inquit Suidas) ναβλα,quod et latini nabliũ dicũt, et diminutiuè nabliõ & naulion (si Angelo Politiano credimus in Miscellaneis suis scribẽti) vnde illud Ouidij:

Discas & duplici genialia naulia palma
Vertere, conueniunt dulcibus illa modis.

Autorum

AVTORVM NOMINA QVOS IN HIS COMMENTARIIS SECVTI SVMVS.

D. Hieronymus.	*Augustinus.*
Hilarius.	*Ambrosius.*
Caßiodorus.	*Bernardus.*
Tertullianus.	*Dionysius Areopagita.*
Basilius.	*Chrysostomus.*
Theophylactus.	*Theodoretus.*
Eusebius Cæsarien.	*Lactantius.*
Iosephus.	*Hebraica veritas.*
Græca translatio septuaginta interpretum.	
Translatio Chaldaica.	*Paraphrastes Chaldæus.*
Quinta et sexta editio.	*Communis quam* κοινὴν *appellant.*
Veteres interpretes.	*Arnobius.*
Aquila.	*Neoterici interpretes.*
Symmachus.	*Sanctes Pagninus.*
Theodotio	*Felix Pratensis.*

ΣΤΙΧΟΙ ΕΙΣ ΤΟΝ ΘΕΙΟΝ ΔΑΒΙΔ.

Ζίγκσον Ὀρφεῦ, ῥῖψον Ἑρμῆ τὴν λύραν,
Τρίπους ὁ Δελφοῖς δῦνον εἰς λήθην ἔτι.
Δαβὶδ γὰρ ἡμῖν πνεύματος χρόνων λύραν
Τρανεῖ τὰ κρυπτὰ τῶν θεοῦ μυστηρίων,
Πλῆθον παλαιῶν ἱστορεῖ τερασίων,
Κινεῖ πρὸς ὕμνον τοῦ κτίσαντος, τὴν κτίσιν.
Ἅπαντας σώζων μυσταγωγεῖ καὶ γράφει,
Ἁμαρτάνοντας εἰς ἐπιστροφὴν φέρει.
Πολλοῖς σὺν ἄλλοις, καὶ κριτοῦ δηλῶν κρίσιν
Σμήχειν διδάσκει ψυχικὰς ἁμαρτάδας.

FRATRIS ADRIANI HECQVETII ATREbatini Carmelitæ Sacræ Theologiæ Baccalaurei formati de hac insigniter docta psalmorum expositione Epigramma.

SI iuuat ex animo varias depellere curas,
Accipe psalmographi nobile regis opus.
Si te fortè furor sæui cacadæmonis angit,
Si tua succendat pectora cæcus amor:
Si quid tristitiæ tibi sors inimica parauit,
Si tuus vt noceat, fortiter hostis agit:
Si bellum, si dura fames, si noxia pestis,
Aut mors inuadat teq́ tuamq́ domum:
Consule Psalmographum: nam de tot versibus vnus
Tristitiæ & morbo, qui medeatur, erit.
Inter mortales, Dauidica cantio vates
Inter aues gratos dat philomela modos:
Saxa suis traxit numeris suauißimus Orpheus
Attrahit hic plectris ferrea corda suis.
Lector ades, psalmos quos hic pius explicat autor
Plurima quàm veterum scripta minoris emes.

Com-

COMMENTARIORVM IN PSALMOS DAVIDICOS

LIBER PRIMVS.

Dauid prophetæ & regis melos.

BEatus [A] vir qui non [B] abiit in conſilio impiorum,& in via peccatorum nõ ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.Sed in lege [C] Domini voluntas eius,& in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum [D] quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.Et [E] folium eius non defluet,& omnia [F] quæcunque faciet,proſperabuntur.Non ſic impii non ſic, ſed tanquã puluis [G] quem proiicit ventus à facie terræ.Ideo non reſurgũt impii [H] in iudicio,neq; peccatores in cõſilio iuſtorum.Quoniam nouit [I] Dominus viam iuſtorum,& iter impiorum peribit.

¶ A. Pſalmus hic titulo caret apud Hebræos, vnde apud Septuaginta interpretes ἀνεπίγραφος appellatur, id eſt, inſcriptione vel titulo carens. Cuius rei Aurelius Auguſtinus hanc cauſam eſſe putat,quia propriam vocem Dei loquentis inducit, ne videlicet aliquid diuino eloquio præponeretur, & ideo ſolus(inquit)titulum non habet,vt perſpicuum eſſet quantum inter cæteros emineret.Alij autem propterea titulo carere dicunt,quòd ſit veluti præfatio ſancti ſpiritus.Verùm quoniam teſte Diuo Hieronymo pſalmus hic cum ſequenti qui apud nos ordine ſecundus eſt, apud Hebræos vnus eſt:verior ratio hęc eſt,quòd ideo titulo caret,quia primo loco ponitur,& cũ ordinis ſui principium habeat, ſuperuacuũ eſſet eum primum appellare ante quem nullus eſt.Quòd autẽ pſalmus hic & ſequens vnus ſit dicendus,his rationibus colligitur, quia vterque titulo caret.Adhæc ſicut à beatitudine primus incipit, ita alter in beatitudinem deſinit.Demum quod pręcipuum eſt,Apoſtolus Actorum 13.cap.teſtimonium illud,Filius meus es tu,quod nos pſalmo 2.ſcriptum habemus, id pſalmo primo ſcriptum dicit. ¶ B. Deſcribit hoc pſalmo Dauid beatitudinem hominis idque gradibus quibuſdam, quorum primus eſt & ſummus, non abijſſe in conſilio impiorum, id eſt,malis cogitando non conſenſiſſe.Secundus eſt ſi fortè conſenſerimus,in ijs nõ ſtetiſſe,hoc eſt,opere ea non patraſſe. Tertius eſt & poſtremus, In cathedra peſtilentiæ non ſediſſe, id eſt, mala non docuiſſe. Quare D.Hieronymus annotat tria hominum genera hìc notari: Primò perfidos Iudæos qui impio conſilio occiderunt Chriſtum.Secundò gentiles qui grauibus peccatis & maximè ſcelere idololatriæ ſe polluerunt. Tertiò hæreticos qui peſtifera dogmata diſſeminant.Nam per cathedram in ſacris literis ſæpe docendi munus & præſidẽtia ſignificatur vt ibi:Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.Porrò quod 70.interpretes verterunt λοιμῶν,id eſt,peſtilentiarum,Hebr.eſt לצים letzim,id eſt, illuſorum ſiue deriſorum,quo nomine Pharizæi & Scribę & hæretici legem peruertentes & falſa docentes quæſtus gratia ſignificãtur. Nam, vt Hieronymus inquit,omnes diſcipulos peruerſus doctor ludit. Auguſtinus verò quanuis à priori expoſitione non abhorreat,etiam hunc ſenſum dat primi verſiculi. Abijt inquit in conſilio impiorum homo, cùm receſſit à Deo: ſtetit,cùm delectatus eſt peccato:ſedit,cùm in ſua ſuperbia confirmatus redire non potuit niſi per Chriſtum liberatus. ¶ C. Tribus ſuperioribus duo retulit,vt nimirum habeat voluntatem,& voluntati iungat ſtudium.Meditatio enim legis non ſolùm conſiſtit in legendis ſcripturis, ſed etiam in faciendis his quæ ſcripta ſunt. Meditor namque propriè eſt exerceo,& aut animo aut corpore aliquid molior,ſicut & gręcum verbum μελετῶ, vnde latinũ verbũ defluxit teſte Seruio Grammatico, cõmutata λ in δ, ne quis putet id verbum ad ſolam animi cogitationem referendum,quomodo & ille verſiculus accipiendus eſt:Quomodo dilexi legem tuam domine,tota die meditatio mea eſt? Quod autem additur die & nocte, idem eſt quod aſſiduè & omni tempore: vel in die,id eſt,

in lætis:& nocte,id est,in aduersis &tristibus.Sic enim sacrę literæ aliquãdo vsurpant diem & nocté.Hinc de iusto dictum est Psal.120.Per diem sol non vret te, neq; luna per noctem,hoc est, nec prospera te lędent,nec aduersa nocebunt. ¶ D. Hunc psal. Aug.non de quolibet viro aut homine beato, sed de Domino nostro Iesu Christo, id est,homine dominico accipit,nec malè.Nam de Christo sine omni cõtrouersia secundus Psalmus intelligendus est , quem apud Hebræos paulò antè diximus vnum esse cum primo.Christus itaque qui non ad mensuram accepit spiritum sanctũ,& de cuius plenitudine accepimus omnes,benè comparatur arbori plantatæ secus decursus , vel vt græcè sonat, transitus aquarum,qui suo tẽpore fructũ vberrimum dedit. Postquam enim resurrexit à mortuis,& receptus in cælũ,effudit spiritum sanctũ,ecclesia impetu illius fluuij lętificata fructificauit,& per totum orbẽ propagata est. ¶ E. Per folium, verba doctrinæ accipimus.Vnde Aug.Foliũ eius nõ decidet,hoc est inquit,verbũ eius non erit irritũ:Quia omnis caro fœnum vt Esaias inquit,& gloria eius quasi flos fœni. Aruit fœnũ, & flos eius decidit,verbũ autẽ Domini manet in æternũ . De hoc autem ligno & his folijs sic habet Iohannes cap.22.Apocalypseos . In medio inquit plateæ eius & ęx vtraq; parte fluminis lignũ vitæ adferens fructus duodecim , & folia ligni ad sanitatẽ gentium. ¶ F. Hæc de nullo sanctorũ teste Hiero.dici verè possunt nisi fortè in futuro seculo,quare sine dubio de Christo totus hic Psal. commodè intelligitur . Sic enim & Deus pater apud Esaiam cap.55. de filio suo loquitur:Verbũ inquit quod egredietur de ore meo,nõ reuertetur ad me vacuũ,sed faciet quæcũq; volui,et prosperabitur in his ad quę misi illud. ¶ G Id est, Impij ita exagitabũtur vt nusquã illis sit fida statio, aut secura quies.In hoc enim seculo excarnificabit illos malorũ cõsciẽtia,in futuro autẽ dæmonũ ludibrium erunt,vt puluis huc illuc raptari, & sursum deorsum vento iactari solet.Similis est locutio cap.25.primi Regũ:Inimicorũ tuorum anima rotabitur quasi in impetu & circulo fundæ. ¶ H. Inter impium & peccatorem hoc interest interprete Hieron. Qui impius est,negat Deũ:qui peccator est,confitetur & peccat.Impij itaque nõ resurgent in iudicio,quia nõ resurgent ab beatã illam immortalitatem.Vnde & Daniel cap.12 . Non omnes , sed multos suscitandos dicit. Et multi inquit de his qui dormiũt in terræ puluere , euigilabunt: vel non resurgent in iudicio,id est ad iudicium:vel vt iudicentur, quia iam perpetuis supplicijs destinati sunt . Et qui non crediderit, iam iudicatus est , inquit Christus . Quod autem sequitur : In consilio,quanquã per literam s scribatur & non per c & gręcè sit βουλὴ, congregationem tamen hoc loco denotat , sicut & græca vox nunc consultationem, nunc cõgregationem inter se consultantium. ¶ I Cognoscere dicitur Dominus eos, qui eius notitia & amicitia digni sunt,quiq; illi placent:vnde illud Prouerb.Vias quæ à dexteris sunt,nouit Dominus,& Exodi 2. Respexit Dominus filios Israel & cognouit eos.Sic contrà dicet impijs:Amen dico vobis,nescio vos.Et discedite à me operarij iniquitatis,non noui vos.

A

Psalmus secundus.

Qvare B fremuerũt gentes, & populi meditati sunt inania?† Adstiterũt reges terræ,& prĩcipes cõuenerũt in vnũ,aduersus Dominũ & aduersus Christũ eius. Dirũpamus vincula eorũ, & proiiciamus à nobis iugũ ipsorũ . Qui C habitat in cælis,irridebit eos,& Domin⁹ subsannabit eos.Tũc loquetur ad eos in ira sua,& in furore suo cõturbabit eos.†Ego autẽ cõstitutus sum rex ab eo super Sion mõtẽ sanctũ eius prædicans præceptũ eius. Dominus D dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã,& possesionẽ tuam terminos terræ.Reges E eos in virga ferrea,& tanquã F vas figuli confringes eos.Et nũc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.Seruite Domino in timore,& exultate ei cum tremore. Apprehendite G disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Cùm exarserit in breui ira eius,*beati omnes qui confidunt in eo.

† Heb.cõsurgẽt Reges & Principes tractabũt pariter.

† Heb.Ego autẽ ordinaui Regẽ meum.

¶ A Com-

Commentarium.

¶ A. De Christo hunc psalmũ intelligi liber Act. Apostolorum satis apertè declarat cap.4. vbi per reges & principes intelliguntur Herodes & Pontius Pilatus. Conuenerũt enim inquiunt verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuũ Iesum, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populo Israël. Verùm teste Hier. nõ solùm hi intelliguntur per reges & principes, sed etiã illi reges & principes quorũ regna & gloriã diabolus in momẽto ostendit Christo qui cõspirauerũt aduersus Christi membra, id est, ecclesiã, vt eã opprimerẽt trucidãtes multa milia martyrũ. ¶ B. Quatuor hos versus D. Hier. ex persona vel angelorũ vel prophetarũ dictos esse vult. Hila. autẽ scribẽs in hũc psalmũ, duos priores versus ex persona Dei patris dici asserit. Tertiũ verò versum ex apostolorũ persona, & vterq; per iugũ onus Mosaicæ legis intelligit, ad quod abijciẽdũ cohortãtur eos qui ex Iudęis credituri sunt. Porrò Aug. illud: Disrũpamus, ex persecutorũ regũ, principũ, & populorũ persona dictũ esse scribit: sic enĩ interpretatur. Hoc est inquit, demus operã vt nos nõ alliget neq; imponatur nobis christiana religio. ¶ C. Quę hîc de Deo dicũtur vt irrideat & subsannet ἀνθρωποπαθῶς, id est humano more aut affectu dicta accipere debemus, quomodo & merorẽ, irã, pœnitẽtiã, et animi molestiã sacræ literæ Deo tribuũt, cùm omnibus his diuina natura expers sit. Subsannatio autẽ propriè fit rugata frõte et cõtracto naso, quę irrisio & sanna latinè dicitur. Vnde Pers⁹: Sãnã posticã appellauit, quę à tergo alicui fit. Ira autẽ & furor authore D. Hier. hoc differre vidẽtur, ꝙ furor sit in pręsenti, ira in futuro: vtrũq; autẽ teste Lactãtio, in Deo nihil aliud est, ꝙ mot⁹ animi cõsurgẽtis ad vindictã, vel vt Orige. inquit necessaria correptio, nõ quòd Deus emẽdet iratus, sed quòd patientibus ira videri potest. Sic & Aug. scribẽs in hunc locũ. Irã autẽ inquit & furorẽ Dei nõ perturbationem mentis oportet intelligi, sed vim qua iustissimè vindicat subiectã sibi ad ministerium creaturã. ¶ D. Aug. istud de æterna & diuina generatione dictũ esse vult: verùm authoritate D. Pauli apostoli cap.13. Act. apostolorũ de resurrectione Christi qua generatus est virtute Dei patris ad immortalitatẽ qua primogenitus mortuorũ dicitur, istud dictũ esse rectiùs accipimus, quomodo & D. Hil. intelligit, cui⁹ hęc sunt verba. Id inquit quod nũc in psalmo est, filius m. es tu, ego h. g. te, non ad virginis partũ, sed ad primogenitũ ex mortuis pertinere apostolica authoritas est. Nãq; in libro Act. Apostolorum ita dictũ est: Et nos vobis euangelizamus eã quæ ad patres facta est repromissio. Hanc Deus expleuit filijs vestris suscitans Dominũ nostrũ Iesum sicut psal.2. dictũ est, Filius me⁹ etc. vox ergo hęc Dei patris secũdũ apostolũ in die resurrectionis exstitit, hęc ille.

¶ E. Quod nos legim⁹, reges illos, Hier. ex Hebręo vertit, pasces eos: nã & apud 70. gręca vox est, ποιμαίνω, id est, pasco. Quare D. Hil. vt clariùs redderet vocẽ gręcã interpretatur, pastoraliter reges. Nã gręca proprietas inquit molliorẽ affectũ regendi significat, nihil sonans iniustũ aut tyrannicum. Per ferreã autem virgã siue sceptrũ, inuictum Christi regnum accipere possumus: omnia enim pedibus illius subijcienda sunt. Hila. autem per virgã, doctrinã euangelicã intelligit, qua intra disciplinã Dei timore cohibemur. Vnde psal.44. Virga directionis nũcupatur, quòd per eam in ęquã & rectã viam dirigimur. Porrò confringet gentes sibi datas in hæreditatẽ non ad perdendũ & abolendum, sed vt in melius reformet, quippe cui cor contritum & humiliatũ sacrificium sit. Cõtritio ergo illa siue confractio inquit Hilar. est illa, quæ in nobis corporeas voluptates & seculariũ vitiorũ incentiua diminuit. ¶ F. Non dixit, tanquã testã confringes eos. Testa enim fracta refingi nequit, sed tãquã vas figuli inquit, significãs tale quod adhuc molle & humidũ est, & adhuc inter manus figuli versatur, et in quãlibet formã refingi potest, de quo vide 18. cap. Hiere. ¶ G. D. Hiero. in cõmẽtarijs in hunc psalmũ apud Heb. esse dicit. Adorate filium, cui suffragantur neoterici interpretes. Ad Heb. veritatẽ vertit, adorate purè. Nã בר significat & filiũ & purè: vnde ex hoc loco cõstare potest 70. multa suppressisse quę in hebræis voluminibus erãt, vt hoc loco, mẽtionẽ filij, ne gẽtibus ansam calũniãdi darẽt & dicendi, Iudæos pluralitatẽ deorum admittere, quare vt quodã loco annotat Hier. vbiq; celauerũt trinitatis mysteriũ: Est itaq; sensus, Adorate filiũ, Deũ verũ illũ cõfitẽtes. Hęc enim est fidei et salutis nostrę summa.

D. Hilarius scribens in hunc psal. quod græcè παιδία legit filium.

Ira & furor in Deo quomodo accipienda.

Hodie genui.

Regere græcè ποιμαίνειν.

Virga ferrea.

Vasa figuli.

Psalmus Dauid quando fugit à facie Absolon filij sui, 2. Reg. 15.

PSALMVS III.

DOmine A quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgũt

aduersum me. Multi dicunt animę meę, nō est salus [B] ipsi in Deo eius. Tu autem Dn̄e susceptor meus es, gloria mea & exaltās caput meum. Voce mea ad dominum clamaui, & exaudiuit me de mōte sancto suo. Ego dormiui [C] & soporat⁹ sum & exurrexi, q̄a domin⁹ suscepit me. Nō timebo milia populi circūdantis me, exurge domine saluū me fac deus me⁹. Quoniā tu percussisti omnes aduersantes [D] mihi sine causa, dētes peccatorum contriuisti [E]. Domini est salus, & super populum tuū benedictio tua.

¶ A. Si literam spectemus, de Dauid fugiente filium suum Absolonem & regnum patris sui occupantem, psalmus intelligitur vt & titulus indicat: verùm cùm litera, id est, exterior intellectus in multis non satis sibi constet vt illud, Ego dormiui & soporatus sum, quod absurdè de Dauid fugiente & vndique sibi metuente intelligas, necesse, est vt ad verum Dauid, id est, Christum referatur psalmus, qui non à filio, sed charissimo discipulo suo proditus est & hostibus traditus, quem fugisse Christus dicitur, vt Augustinus inquit, cùm decedente Iuda secessit cum reliquis in mōtem Oliueti: vel fugit eum, qui occasionem tradendi se eripuit illi tantisper, dum venisset hora illius.

¶ B. Manifestum est inquit August. quòd nisi desperassent resurrecturum, non vtique occidissent. Ergo nec Iudas eum tradidisset, nisi ex eorum esset numero qui Christum contemnerent, dicentes. Non est salus illi in Deo eius: huc spectabant voces illæ Iudæorum, Descendat nunc de cruce si filius Dei est. Et, Alios saluos fecit, seipsum non potest saluare. ¶ C. Non ociosè positum est Ego, ad significādum quòd sua voluntate mortem sustinuit secundum illud, Propterea diligit me pater, quoniam ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo eam tollet à meipso. Non ergo inquit vos me tanquam inuitum cæpistis & occidistis, sed ego dormiui & somnum cæpi, hæc ille. *August.*

¶ D. Pro eo quod 70. verterunt, sine causa, hebraicè est lehi, id est, maxillā, quomodo Hieron. vertit, vnde bene subijcit, dentes peccatorum contriuisti. Est itaque metaphorica locutio à feris sumpta, quarū si maxiliæ sauciatæ sint, & contracti dentes, omnis illis adempta est vis. Per dentes itaque Augustinus maledicas Iudæorum linguas accipit, de quibus dentibus Apostolus Galatis scribens dicebat. Si autem mordetis inuicem, videte ne consummamini ab inuicem. Aut, per dētes peccatorum, interprete Hieron. principes Iudæorū vel doctores hæreticos aut verba eorum accipimus, quam interpretationem & Augustinus sequitur cuius hæc sunt verba. Possunt inquit et dentes peccatorum accipi principes peccatorum, quorum authoritate quisque de societate rectè viuentium præciditur, & quasi incorporatur malè viuentibus. Hijs dentibus contrarij sunt dentes ecclesiæ, quorum authoritate ab errore gentilium variorumque dogmatum præciduntur credentes, & in Christi corpus transferuntur, hæc ille. ¶ E. In vna sententia, inquit Augustinus, & præcepit hominibus quid crederent, & pro credentibus orauit conuersa oratione ad ipsum Deum dicens. Domine benedic populum tuum à te sperantem salutem. Porrò Domini salus est, ne de se quisquam presumat, cùm domini sit saluos facere de morte peccati, vnde per Ozee dicit. Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum. *Dentes mystici.*

In finem in carminibus psalmus Dauid. Psalmus IIII.

CVm inuocarē exaudiuit me deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti [A] mihi. Miserere mei, & exaudi orationem meam. Filii hominum [B] vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quęritis mēdacium? Et [C] scitote quoniā mirificauit dominus sanctū suum, domin⁹ exaudiet me cùm clamauero ad eū. Irascimini & [D] nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Sacrificate sacrificium iustitiæ & sperate in domino, multi dicunt quis † ostendet nobis bona? Signatum est super nos lumen [E] vultus tui domine, dedisti letitiam in corde meo. A fructu [F] frumenti, vini, & olei

¶ A. August. Cur iterū rogat cùm tamen se exauditū & dilatatū iudicauerit? verū nō tā pro se quā pro mēbris suis Deum rogat. Nā licèt mihi auxiliū tuleris, & in tribulatione dilataueris mihi, hi tamē semper tua misericordia indigent.

grecè est δεῖξει, quare ostendet legendum, non ostendit.

olei sui, multiplicati sunt. In pace in idipsum, dormiam & requiescam. Quoniam tu domine, singulariter in spe constituisti me.

Commentarium.

In finē Victori.

Quoties psalmis præponitur in finē iuxta vulgatā editionē psalmorū, D. Hiero. ex hebræo vertit Victori: Vnde apud eum sic habet titulus. Victori in canticis psalmus Dauid. Aquila autē Ponticus vetus bibliorū interpres vertit, νικοποιῷ, id est, victoriam largienti. Symmachus ἐπινίκιον, id est, carmen victoriale si quod canitur Deo ob partam victoriā. Omissis autē varijs aliorū opinionibus & interpretationibus (nā illud in finē alij vertūt pro victoria vel ad victoriā. Iohānes Capniō ad inuitatoriū vel inuitationē) dicimus cum D. Hiero. & Aug. In finē esse in honorē Christi qui finis est legis ad iustitiam omni credenti, aut victori, id est, Christo qui mortem morte vicit. Quod autē nos legimus, In carminibus, quædā exēplaria legūt, In finē psalmus cātici Dauid. Putāt autē illud in carminibus vel vt grecè est apud 70. in hymnis siue psalmus cāticis, vel psalmus cātici significare lætitiā quandā. Nam psalmi vt Augst. placet sunt qui ad psalteriū canūtur. Cantica autem letitiā indicant. Porrò totus hîc psalmus teste Hier. ad Christū referendus est, & per Christū ad illius mēbra, id est, iustos.

Psalmus.
Canticum.

¶ A. Apud 70. nō est datiuus, dilatasti mihi sed me. Datiuus itaq; accipiendus est vel ex idiomate hebraico pro accusatiuo, vel vt datiuus cōmodi. Dilatare autē est animū gaudio exhilarare: mœrore enim animus cōtrahitur, gaudio dilatatur: vnde alibi: Eduxit me in latitudinē: et iterū, viā mādatorū tuorū incurri cùm dilatasti cor meū. His subiūge quę habes in margine sub eadē litera A. ¶ B. Pro eo quod nos legimus filij hominū, Hier. ex hebęro vertit. Filij viri vsq; inclyti mei, ignominiosè diligitis vanitatē etc. Vt Deus homines admoneat suę originis diuinę, & pudeat illos relicto Deo & cœlestibus spretis, ad cuius imaginē cōditi sunt, sectari fluxa & caduca & falsa bona vsquequo, id est, quousq;. Vnde Aug. Saltē vsq; ad aduētū inquit filij Dei vester error durauerit, qd ergo vltra graues corde estis? ¶ Post tertiū hunc psalmi versiculū, Hebraicè est verbū Sela, quę vox ab Aquila veteri interprete bibliorū semper redditur per aduerbiū semper: 70. verò interpretes & Symmachus & Theodotio trāstulerunt diapsalma. Hebraica itaq; vox Sela teste Hiero. aut Musici cuiusdam soni est nota, vel perpetuitatē eorum quæ prædicta sunt, significat. Aug. hac voce putat significari interuallū, id est, pausam & respirationē quandā in psallēdo, vt psalmus inquit sit quod psallitur: diapsalma verò interpositū in psallendo silentiū, vt quēadmodū sympsalma dicitur vocum copulatio in mutando: ita diapsalmi disiūctio earum: vbi quædam requies distinctæ continuationis ostenditur, hæc ille.

Sela.
Semper.
Diapsalma.

¶ D. D. Aug. duplicē dat sensum huius versiculi: Si irascimini, nolite peccare, id est, si surgit motus animi qui iā propter peccatū non est in nostra potestate, saltē intus nō cōsentiat ratio & mens. Aut irascimini vobis ipsis de præteritis peccatis, & agite pœnitentiā, et vlteriùs peccare desinite. Quod autē sequitur: Hebraicam autem veritatē sic reddit Hiero. Irascimini & nolite peccare, loquimini in cordibus vestris super monilia vestra, & tacete.

Quæ dicitis in cordib' vestris. D. Hiero. sic. Id est, quę ī die cogitādo peccatis, nocte expiate lachrymis. Cōpungi enim ad pœnitētiam & animi dolorem refertur.

¶ E. Per lumen vultus D. Aug. intelligit diuinā imaginē impressam animæ. Sic enim habet: Signatū autem dixit in nobis sicut denarius signatur regis imagine, homo enim factus est ad imaginem & similitudinem Dei quam peccādo corrupit, hæc ille: Verū cùm D. Hiero. ex hebræo verterit, Leua super nos lumē vult⁹ tui, videtur aliud significare Dauid, vt videlicet Deus clemēter nos respiciat: vultus enim quoties Deo tribuitur, ferè in malā partem vsurpatur pro ira & indignatione, sicut oculi in bonā partem, vt psal. 33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorū: vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriā eorū. Vultus itaq; illuminatur quoties mitigata ira, fauor & gratia redeūt fronte iam exhilarata & serenata. Vnde psal. 66. Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultū suum super nos, & misereatur nostri: Sic apud Iob. cap. 29. Si quum ridebā ad eos, nō credebāt, & lux vultus mei nō cadebat in terrā, significans etiam risum & hilaritatem vultus sui apud eos & pondus & momentū habuisse.

Lumē siue lux vultus.

¶ F. Illud, Et olei sui, in vulgata editione diui Hiero. nō additur, nec apud Heb. est, quod nec Origenes legit: Arnobius tamen vetustissimus interpres psalmorū, legit: & item Aug. Arnobius itaq; per frumentum corpus Christi: per vinū, sanguinem: & per oleum Crisma intelligit, eius verba hæc sunt: Signatū est inquit super nos lumen vultus tui domine ab illo tempore quo accepimus frumentum in corpore, vinum in sanguine, & oleum in chrismate, hęc ille.

Frumentū, vinum & oleum.

In finem pro ea quæ hæreditatē cōsequitur Psalmus David. Psal. V.

VErba mea auribus percipe Domine, intellige [A] clamorē meum. Intende voci orationis meæ, rex [B] meus & Deus meus. Quoniam ad te orabo Domine, [C] manè exaudies vocē meā. Manè adstabo tibi & videbo, [D] quoniam non Deus volēs iniquitatē tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neq; permanebūt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operātur iniquitatē, perdes omnes qui loquuntur [E] mēdaciū. Virū [F] sanguinū & dolosū abominabitur Domin⁹, ego autē in multitudine misericordiæ tuæ. Introibo in domū tuam, adorabo ad templū sanctū tuum in timore tuo. Domine deduc me in iustitia tua, propter inimicos meos dirige in cōspectu tuo viā meā. Quoniam non est in ore eorū veritas, cor eorū [G] vanū est. Sepulchrū patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, iudica illos Deus. Decidāt à cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine. Et lętentur omnes qui sperant in te, in ęternum exultabūt, & habitabis in eis. Et gloriabuntur omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto. Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

¶ Titulus huius psalmi docet hunc in laudem quidē Christi cantatum à propheta, quia habet in finem, id est, in laudem Christi qui finis legis est: sed ex persona ecclesię orationē dirigi ad Deum, quod ex eo liquet quod additur. Pro ea quæ hæreditatem cōsequitur, id est, pro ecclesia quę hęreditatē regni cælestis cōsequitur, vel vt Arnobio placet, pacem illā quam Christus suis reliquit dicens iamiam moriturus. Pacē meam relinquo vobis: pacem meā do vobis. Hebraicè tamen apud D. Hiero. titulus hic est: Victori pro hæreditatibus, verùm sensus in idē redit. Nā & ecclesia Christi hęreditas est, vt ex 2. psalmo liquet, vtrumque sensum dat Augustinus. Intelligitur ergo inquit ecclesia, quæ accipit hæreditatem vitam æternam. Dicitur & hæreditas Dei vicissim ecclesia secundum illud: Postula à me etc. Ergo hæreditas nostra Deus dicitur, quia ipse nos pascit, & cōtinet: & hæreditas Dei dicimur, quia ipse nos administrat & regit, quapropter vox ecclesiæ est in hoc psalmo: Vocate ad hæreditatē, vt ipsa fiat hęreditas Domini. Hæc ille: Protestatur itaq; ecclesia innocētiā suam apud Deū, cum magna fiducia implorans auxilium Dei aduersum nequitiā seculi huius, & hæreticorū præcipuè impietatē. ¶ A. Hier. clamor in scripturis nō vocis, sed cordis est. Deniq; ad Moysen dicitur, quid clamas ad me? cum Moyses antè non clamasset. Vnde Apostolus scribens Galat. Misit Deus spiritum filij sui clamantē in cordibus nostris, Abba pater. Quando igitur gemitus & cōscientia nostra deprecatur, istū clamorē intelligit Deus. *Exod. 14.*

¶ B. Rex meus & Deus meus. Ille verè ausus est dicere rex meus & Deus meus (inquit Hier.) cui nō regnat peccatū in mortali corpore. Tu es Deus meus, quia non est vēter: Deus meus, quia nō est aurū: Deus meus, quia nō est libido: Deus meus, quia tu virtus es, & ego cupio habere virtutes, propterea tu es Deus meus, hæc ille. ¶ C. Manè exaudit Deus, nō quasi nō exaūdiat vesperi aut media nocte, sed habet anima nostra suas tenebras, & noctē quā peccata inducūt: quādiu in tenebris erroris sumus, nō exaudit nos. Quādo verò sol iustitię, inquit Hier. venerit in corde meo, tūc me exaudit: nō dixit 3. hora, nō dixit 6. hora, nō dixit plena luce, sed manè statī vt tenebræ fugere cœperint, exaudis: statī in principio boni operis exaudis me, nō quæris finē. Est enim meū velle, tuum perficere. ¶ D. Et videbo, videlicet te, sic enim intepretatur D. Aug. Adstabo inquit & videbo. Non est inhęrendū terrenis si volumus Deū videre, qui mundo corde conspicitur. Similiter D. Hiero. Et videbo, subauditur inquit, te videbo, vt sit ordo quē diximus, Incipiēte luce virtutū in anima mea, quādo adstare tibi cœpero, nō sedere, nō iacere, sed stare, tūc per istos gradus merebor te videre. ¶ E. Ex ipso ordine intelligere possumus, quia de hæreticis loquitur inquit Hiero. Quare infelicior est qui mendacium loquitur, quàm ille qui operatur iniquitatem. Qui enim operatur

Manè suū habet anima.

ratur iniquitaté,odio habetur:qui auté loquitur mendaciũ,perit.Nec iniuria:qui enim operatur iniquitatem,ſuam tantum animã occidit:qui autem hæreticus eſt & loquitur mendaciũ,tot occidit homines quot in ſuam hæreſim induxerit:vnde & virũ ſanguinum appellat eundem,quia quotidie animarum ſanguinem fundit. ¶ F. D.Hiero. ad hebraicã veritatem ita reddidit verſiculũ iſtũ: Non eſt enim in ore eorum rectum, interiora eorum inſidiæ. Quod bene hęreticis cõuenit,qui inſidias tendũt animis auditorũ ducti ſpe lucri aut inanis glorię:vnde & pręcedẽti verſu vbi nos habemus,Deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos,Hier.ex Heb.vertit,propter inſidiatores meos, quos bene ſepulchris patẽtibus ſimiles dicit,quòd eorũ animę iam mortuę viuis eorũ corporibus latentes, reliquas inficiant & occidant peſtiferis dogmatibus, & obſtinata volũtate in malis apud ſeſe ſepeliãt. ¶ G. Nonnulli interpretes verbũ coronare accipiunt pro circundare & vndiq; munire. Verùm Aug.& D.Hiero. coronare ad præmiũ referunt ſiue victoriã. Sic enim Hier.ſcribens in hunc pſalmũ: Ipſe eſt ſcutum noſtrum,ipſe eſt & corona noſtra,protexiſti nos ſcuto tuo,& protectio tua corona noſtra fuit,id eſt,noſtra victoria.Similiter Arnobius: Vno inquit eodemque officio ab inimicis defenderis,et à Domino coronaris.

Sepulchrũ patens.

In finem,in carminibus pro octaua pſalmus Dauid. Pſalmus VI.

DOmine [A] ne in furore tuo arguas me,neq; in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine quoniã infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam cõturbata [B] ſunt omnia oſſa mea. Et anima mea turbata eſt eſt valde,ſed tu Dñe vſquequo? Cõuertere [C] Domine,& eripe animã meã,ſaluũ me fac propter miſericordiam tuã. Quoniã nõ eſt in morte qui memor ſit tui,in inferno autẽ quis cõfitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo,lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ,lachrymis meis ſtratum meũ rigabo. Turbatus eſt à furore oculus meus, [D] inueteraui inter omnes inimicos meos.Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ,quoniã exaudiuit Domin⁹ vocẽ flet⁹ mei. Exaudiuit Domin⁹ depcationẽ meã,Dñs orationẽ meã ſuſcepit. Erubeſcãt & cõturbẽtur vehemẽter oẽs inimici mei,cõuertãtur [E] & erubeſcãt valde velociter.

Vnde illud pſal. 113. Nõ mortui laudabunt te Domine etc.

E Nõ eſt apud 70.cõuertãtur, ſed auertantur, id eſt,terga vertant & fugiant: eſt enim græcè verbum, ἀποστρέφομαι, id eſt, auertor, ſiue terga verto,cui cõſentit, Heb.veritas quę legit hoc loco, reuertantur.

Commentarium.

Titulus pſalmi 6. eſt in finẽ in carminibus apud D.Hier.ex Heb.in cãticis, apud D. Aug. in hymnis,de quo dixim⁹ pſal.4.Illud autẽ quod additur, Pro octaua,interprete Hiero.indicat,quòd reſurrectionis & pœnitentiæ ac per hoc ſalutis noſtræ myſterium cõtineat:octauus namq; dies reſurrectioni dominicæ cõſecratus eſt: traditus enim eſt Chriſtus, vt apoſtolus habet,propter delicta noſtra,& reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtrã.D.Aug. octauũ diẽ ad diẽ extremi iudicij refert.Eius verba hæc ſunt.Poteſt inquit dies octauus, dies iudicij intelligi,quòd iã poſt finẽ hui⁹ ſeculi,accepta æterna vita,nõ erũt animæ iuſtorũ obnoxię tẽporibus. Et quoniã omnia tẽpora 7. dierũ ſpacio voluũtur,octauus fortè ille dictus eſt,qui varietatẽ iſtã nõ habebit: hoc ille. Orat itaq; humanũ gen⁹ hoc pſalmo,vt iudicemur quidẽ & corrigamur à Deo in hoc ſeculo miſericorditer, ſed nõ in furore vel ira ei⁹ .i.ne traditi in obſtinatũ & reprobũ ſenſũ deſtinemur ęternis ſupplicijs: habet autẽ optimã orãdi formulã,homini pœnitẽti aptiſsimã.

Pro octaua quid ſit.

¶ A.Inter furorẽ & irã D.Hier.hoc intereſſe putat, quòd furor ſit in pſenti, ira autẽ in futuro.D. verò Aug.duobus verbis vnã & eandẽ rẽ ſignificari putat.Nam in gręco inquit,θυμὸς,quod eſt in primo verſu, hoc ſignificat quod ὀργὴ, quod eſt in 2. verſu. Sed cùm latini vellent etiam ipſa duo verba ponere,quęſitum eſt, quod eſſet vicinum irę, & poſitũ eſt furor, hęc ille: Verùm gręca vox θυμός, quam furorem vertit,propriè ſignificat animi excandeſcentiam, cùm ſanguis primùm accenditur cirra pręcordia, θυμὸς ἀπὸ τοῦ θύειν,id eſt,cõcito,doleo,ſacrifico,vel ἀπὸ τοῦ τύφειν,quod eſt accẽdo,vt aſpiratio mutetur: & ea eſt breuior cùm ira ſit diuturnior & permanẽtior. Deus itaq; illos in furore arguit, quos hîc tradit in reprobum ſenſum:illos in ira corripit, quos ppetuis ſupplicijs tradit. ¶ B. Oſſa,idiomate Heb.aliquãdo animę vires ſignificãt vt pſalmo 50. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Et iterum, omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tui? Aliquando oſsium

Furor & ira quid differunt.

Oſſa quæ ſint anima.

 nomine

nomine spes ipsa notatur, quòd ea animis se sustinet vt corpus ossibus fulcitur & sustétatur, vnde illud: Dominus dissipabit ossa eorũ qui hominibus placét. ¶ C. Vulgata editio D. Hieron. legit: Conuerte Domine, & idẽ interpretatur dicens: Nisi enim antè cõuerterit animã nostram, non eã potest eruere de periculo: est enim græcè vox actiua ἐπίστρεψον quam interpres Psalmorũ & alibi Psal. 125. similiter reddidit per verbum passiuũ. Cõuertere Domine captiuitatẽ nostrã, quo loco idẽ verbũ est græcè quod D. Hiero. legit: Conuerte captiuitatem nostram. Hoc tamen loco tolerari potest & passiuum verbũ vt sensus sit, Domine qui auertisti vultũ tuum à nobis, conuertere, & nos videre dignare, cui interpretationi & hebraica translatio consentit, quæ sic habet: Reuerte domine & erue etc. ¶ D. Oculus in sacris literis sæpe pro mente & ea parte animi sumitur, quàm græci ἡγεμονικὸν, latinè principale siue principem animi nostri partẽ appellant: quod enim oculus est corpori, hoc mẽs est animæ sic hoc loco: Oculus ergo turbatur à furore videlicet Domini, quoties mẽs metu suppliciorũ gehẽnę attonita est & contremiscit. D. verò Hieron. ex hebræo sic vertit: Caligauit prę amaritudine oculus meus.

Oculus animæ quis sit.

Psalmus Dauid quem cantauit Domino pro verbis Christi filij Iemini.

PSALMVS VII.

DOmine Deus meus in te speraui, saluũ me fac ex omnibus persequẽtib⁹ me, & libera me. Nequãdo rapiat vt [A] leo animã meã, dũ nõ est qui redimat neq; qui saluũ faciat. Dñe Deus meus si feci [B] istud, si est iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidã meritò ab inimicis meis inanis. Persequatur inimic⁹ animã meã & cõprehendat, et conculcet in terra vitam meã, & gloriam meam in puluerem deducat. Exurge Domine in ira tua, & exaltare [D] in finibus inimicorum meorum. Et exurge Domine Deus meus in [E] præcepto quod mandasti, & synagoga populorũ circundabit te. Et propter hanc in altum regredere, dominus iudicat populos. Iudica me Domine secundũ iustitiã meã, & secũdum innocẽtiã meã super me [E]. Consummetur nequitia peccatorũ, & diriges iustũ, scrutãs corda & renes Deus.

In præcepto, id est, iuxta præceptũ quod dedisti nobis, videlicet quòd is qui se humiliat, exaltabitur. sic Aug. Alij sic: In præcepto videlicet de iustè iudicando, & oppressos liberando, de qua Esaię 1. cap.

Commentarium.

D. Hieron. fidiss. interpres psalmorũ, annotat hunc psalmũ nõ esse scriptũ cõtra Absolonẽ persequẽtẽ Dauid patrẽ suũ, sed cõtra Saul regẽ. Potest tamẽ etiã nõ ad Saul, sed ad Semei referri, qui maledixit Dauid appellãs eum virũ sanguinum: nã & is Iemineus fuit. Nã Chusi ille qui fuit amicus Dauid, & destruxit exitiabile illud cõsiliũ Achitofel 2. Regũ 15. ca. nõ fuit fili⁹ Iemini, sed filius Arachi. Porrò Iemini familiæ nomen erat in tribu Beniamin, è qua familia Saul fuit vt docet primus liber Reg. cap. 9. Quare si literã spectemus, totus hic psalmus scriptus est contra Saul persequentẽ ipsum Dauid: si autẽ mysticũ sensum quærimus, contra ipsum diabolũ. Nam Chusi siue Chus, vt hebraicè est, sonat Æthiopem, quæ etymologia optimè conuenit Sauli propter sanguinarios tetros & crudeles mores, & diabolo qui princeps tenebrarũ appellatur: vnde Aquila vertit, pro verbis Æthiopis. Porrò verba idiomate hebraico pro actionibus & factis vsurpantur: vel certè verba, pro cõsilijs ipsius Saul accepit. Iuxta literam itaq; de Dauid accipitur psalmus hic secundũ tropologiã de quolibet iusto iuxta mysticũ sensum de Christo, quomodo erit quædã hic ab ecclesia intelligere dicta esse per Enallagẽ, id est, imitationẽ personarũ, quod passim obuiã est in psalmis & prophetis.

Chus siue Chusi.

¶ A. Vnde leonẽ diabolũ appellat propter vires & sæuitiã. Vnde illud Petri: Aduersarius vester diabolus etc. ¶ B. Si feci istud nimirũ quod obijcitur vel exprobratur mihi. Nã Saul calũniabatur ipsum Dauid quòd regnũ ambiret, & vitæ illius insidiaretur. Si ad Christũ vel mẽbra eius referimus, per istud intelligimus id quod sequitur, videlicet iniquitatẽ & talionẽ. i. mali retributionẽ. Aug. per istud, quodlibet peccatũ intelligit. ¶ C. Decidã inanis, pro inanis est hebraicè ריקם Recã, id est, vacu⁹, vnde facilè intelligimus vnde deducta sit vox illa in euangelio. Qui dixerit fratri suo Raca, quasi dicas vacu⁹ cerebri, aut insan⁹. ¶ D. Fines inimicorũ vocat gẽtes Christo credituras, quas antè appellauit terminos terrę, Christo in possessionẽ dãdas: gẽtes enĩ christianæ religioni ante cõuersionẽ hostes erãt: hic autẽ versus cum duob⁹ sequẽtibus ex perso-

Raca quid sit apud Matthęũ.

persona ecclesię dicũtur inuitãtis Christũ vt ocyùs ex mortuis resurgat,& gẽtium ecclesiã sibi iũgat, & in cęlum reuersus dona spirit⁹ sancti demittat,idq; sic debere fieri, quòd sit iustus populorũ iudex,qui auferet regnũ Dei à Iudęorũ populo,& tradet populis gẽtiũ faciẽtibus fructũ. ¶ E. Nõ est legendũ consumetur,sed consummetur: est enim grecè verbum συντελέσθω,quod Hier.reddit per impleri,Aug.per verbũ perfeci, vt sit simile illi Apocalypseõs 22.cap.Qui iustus est,iustificetur adhuc:& qui in sordibus est,sordescat adhuc:cui interpretationi cõsentit hebraica veritas quę sic habet:cõsummetur malũ iniquorũ,& cõfirmetur iustus:Notãdũ autẽ quòd apud heb.adiectiuũ iust⁹ refertur ad substantiuũ Deus quod præcessit,vnde hebraicè est interprete Hiero. Clypeus meus in Deo etc.pro eo quod nos legimus,Adiutoriũ meum à domino.

Iustũ adiutoriũ meum à dño: qui saluos facit rectos corde. Deus iudex, iustus,fortis & patiẽs,nũquid F irascetur per singulos dies. Nisi cõuersi fueritis, gladium G suũ vibrabit,arcum suum tetẽdit,& parauit illũ. Et in eo parauit vasa mortis,sagittas suas ardentibus effecit. Ecce parturiit iniustitiã,cõcepit dolorẽ,& peperit iniquitatẽ. Lacum aperuit & effodit eum,et incidit in foueã quã fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius,& in verticẽ ipsius iniquitas eius descendet. Confitebor domino secundum iustitiam eius,& psallam nomini domini altissimi.

¶. F. Apud 70.interpretes græcè est.Non adducẽs irã per singulos dies,quomodo et D. Aug.legit in cõmẽtarijs suis:& hoc sensu interrogatio illa p nũquid facta,respõsionẽ negatiuã poscit. At hebraicè est vt D.Hier.vertit.De⁹ iudex,iust⁹ & fortis cõminãs tota die, Sic & Aquila vertit vt sensus sit:tametsi Deus patiẽter ferat peccantes differẽdo vltionẽ,attamẽ perpetuò cõminatur nobis malè agẽtib⁹. ¶ G. Per gladiũ,mortẽ illã secũdã intelligimus,quę & corp⁹ & animã feriet & necabit. Vnde in Apoc. Vidit Iohã.ex ore Dei gladiũ procedẽtẽ ex vtraq; parte acutũ. Per arcũ autẽ,irã diuinã quã thezaurizãt sibi hic qui diuina patientia abutũtur: quę quãto diutiùs differtur,eò grauior incũbet nobis,nõ secùs atq; arcus,qui quo magìs et diutiùs tẽditur,eo grauiùs percutit. Interim tamẽ exigẽtibus peccatis nostris,mortiferis spiculis cupiditatũ(quę vasa siue instrumẽta mortis appellat)diabol⁹ nos sauciabit, & sagittas suas emittet igneas, si ardere nos viderit, id est, si libidine, vitijs & passionibus,varijsq; desiderijs nos inflãmatos intellexerit:hebraica autem veritas interprete Hier.ita legit,Sagittas suas ad cõburẽdũ operatus est.Porrò D.Aug.per arcũ scripturas sacras intelligit,& sagittas & vasa mortis in bonã partẽ interpretatur:De quibus psal.44.Sagittæ potẽtis acutæ.Sagittis ergo diuinorũ oraculorũ inflammat piorum Deus corda,quæ vasa quoq; mortis sunt infidelibus.Prior interpretatio est Hieronymi & quæ magìs placet.

Apocal.1.cap.

Arcus quis sit.

In finem pro torcularibus psal. Dauid *Psalmus. VIII.*

DOmine dñs noster:q̃ admirabile est nomẽ A tuũ in vniuersa terra. Quoniã eleuata est magnificẽtia tua super cælos. Ex B ore infãtiũ et lactẽtiũ perfecisti laudẽ propter inimicos tuos,vt destruas inimicum & C vltorẽ. Quoniã videbo D cælos tuos opera digitorũ tuorũ, lunã & stellas quę tu fundasti. Quid est homo quòd memor es ei⁹,aut fili⁹ hominis quoniã visitas eum? Minuisti enim paulò minùs ab angelis,gloria et honore coronasti eũ,et cõstituisti eũ super opera manuũ tuarum. Omnia subiecisti sub pedib⁹ eius,oues E & boues vniuersas,insuper & pecora cãpi. Volucres cæli & pisces maris,qui perãbulãt semitas maris. Domine domin⁹ noster,q̃ admirabile est nomẽ tuũ in vniuersa terra.

Tres psalmi vt annotat D.Hier.in titulo habẽt,Pro torcularib⁹,præsens hic psalm⁹ octau⁹ numero,octogesim⁹,& octogesimus tertius,quorũ primus est ipsius Dauid,alter ipsi⁹ Asaph,terti⁹ est filiorũ Core,vt intelligas hîc trinitatis mysteriũ & sacramẽtũ resurrectionis:nã octonari⁹ resurrectioni cõsecrat⁹est.Porrò torculariũ nomine vt annotãt Hier.& Aug.ecclesiã intelligim⁹:vt enĩ ecclesia aliquãdo areę appellatione significatur, ita nunc torculariũ nomine denotatur.In area autẽ & torcularibus nihil aliud agitur, nisi

B. Ex ore infan. Tametsi iuxta literam, de paruulis ætate verum istud sit testimonium Christi,tamen de illis præcipuè intelligitur infantibus & paruulis,de quibus Paulus tãquam paruulis in Christo lac vobis potũ dedi: & Petrus: Sicut modò geniti infantes etc. & Christus. Confiteor tibi p.q. a.h. à sapientibus & reuelasti paruulis.

nisi vt frumētum à paleis, aut vinacea à vino separentur. Sic in ecclesiis inquit Aug. hoc agitur, vt boni à multitudine secularium hominum per ministrorum Dei operationem separentur non loco, sed affectu. Intellectum autem huius psalmi aperuit nobis Apostolus Paulus in epistola ad Hebr. qui de humanitate Christi illud dictũ intelligit. Minuisti eum paulò minùs ab angelis etc. quare Dauid prophetauit, ecclesia magnificētiā operũ diuinorũ prædicat hoc psalmo, et quantũ honestauit genus humanũ, cùm per vnicũ suũ filiũ incarnatũ dominiũ illi tradiderit omniũ rerũ. ¶ A. Iudęi istud referunt ad nomē illud Dei tetragrāmatō, id est, quatuor literarũ quod apud illos ineffabile erat: verùm per nomen domini, Dei filium commodè accipimus vt Esaiæ 30. Ecce nomen domini venit de longinquo. Vnigenitus itaque Dei filius admirabilis est, quòd illius magnificentia de terrena humilitate super cælos eleuata est. ¶ C. Quod nos legimus vltorem, Augustinus legit defensorem qui sic habet, vt destruas inimicum & defensorem. Quem inquit nisi hæreticum, qui cùm fidem Christi oppugnet, defendere videtur? Quanquam etiam philosophi huius mundi interprete August. benè intelliguntur inimici & defensores: quandoquidem filius Dei, virtus & sapientia Dei est, qua illustratur omnis quisquis in veritate sapiens efficitur: huius illi se amatores esse profitentur, vnde & philosophi nominātur, & propterea illam videntur defendere cùm sint eius inimici, suadentes superstitiones noxias & illas mordicùs retinentes. ¶ D. Non dixit video, cùm tamen cæli & stellæ & luna nobis conspicua sint. Sed videbo: nunc enim, vt Paulus habet, cognoscimus ex parte, verùm tunc inquit Hieronymus etiam rationē operis eius, cursumq; cognoscā. Aliter nanq; videt gubernator nauem, aliter picturā pictor, quàm imperitorum rudes oculi.

Nomine enim domini τετραγράμματον, quatuor his literis scribitur י Iod ה he ו vau & ה he quod illis est ἄῤῥητον, id est, arcanum & ineffabile.

Vltor siue defensor quis sit.

¶ E. Per oues & boues D. Hier. interprete allegoricē intelligim⁹ animas sanctas fructum innocentiæ operantes: per pecora autem cāpi, homines minoris meriti. Quoniam autem camporum & syluarum appellatione sæpe gentium significatur ecclesia, vt ibi: Audiuimus eam in Effrata, inuenimus eam in campis syluæ: per pecora campi non absurdè ecclesiam ex gentibus congregandam: & per oues & boues, synagogam intelligimus: sic per volucres cæli, malignos spiritus, quos apostolus spirituales nequitias appellat in cælestibus: & per pisces, homines qui nō contemplantes cælestia, curis huius mundi omnino immersi sunt, & stulta curiositate vel insania potiùs inter seculi fluctus quærunt beatitudinem.

Oues, boues, pecora cāpi, volucres cæli, & pisces maris.

In finem pro occultis filij. Psalmus Dauid.

PSALMVS IX.

Confitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Lętabor & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime. In conuertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur & peribunt à facie tua. Quoniā fecisti iudiciũ meũ & causam meā, sedisti super thronũ qui iudicas iustitiā. Increpasti [A] gētes et periit impius, nomē eorũ delesti in æternũ et in seculũ seculi. Inimici [B] defecerũt frameæ in finē, et ciuitates eorũ destruxisti. Periit memoria eorũ cũ sonitu, & dominus in æternũ permanet. Parauit in iudicio thronũ suũ, & ipse iudicabit orbē terrę in ęquitate: iudicabit populos in iustitia. Et fact⁹ est dominus refugiũ pauperi, adiutor in oportunitatibus [C] in tribulatione. Et sperēt in te qui nouerũt nomē [D] tuũ: quoniā nō dereliquisti quęrētes te domine. Psallite domino qui habitat in Siō[E], annũciate inter gētes studia eius. Quoniam requirens sanguinem eorũ recordatus [F] est, non est oblitus clamorem pauperum. Miserere mei domine: vide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis: [G] vt annũciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

Cum sonitu, id est, vna cum doctrina peruersa quā seminabāt, vel cum sonitu, id est, per sonitũ, id est, prædicationem euangelicam.

E. Sion, id est, specula, ecclesiā militantē denotat. Hierusalem autem ecclesiā triũphantē. Nā à specula ad visionē pacis peruenitur: id enim sonat Hierusalem.

Commentarium. Pro eo

Pro eo quod vulgata editio noſtra habet. In finem pro occultis filij. D. Hiero.ex Heb. veritate vertit, victori pro morte filij. Symmachus verò pro victoria de morte filij. Totus itaq; hic pſalmus ad Chriſti pertinet ſacramentũ: quoties enim filius ſine adiuncto ponitur, non alius quàm Dei filius per Exochen, id eſt, excellentiã intelligitur. Porrò 70. interpretes, vt annotat D. Hieronymus ſcribens in hunc pſalmum, Chriſti paſsionem & reſurrectionem, quæ ignota priùs mundo fuit, per verbum abſconſionis celare voluerunt, ne agentibus illo tempore facilè noſceretur. Per occulta itaque filij interprete Auguſt. intelligimus aduentum Chriſti ſecundum carnem, qui humilis fuit & occultus, qui profuit gentibus vocatis ad gratiam euangelicã excęcatis Iudæis, per quem aduentum & hodie occulta exercentur Dei iudicia, quoties alij affliguntur in hoc ſeculo: vel vt expiẽtur vel vt probẽtur, vel vt eorũ gloria augeatur: alij cæcitate mentis percelluntur quoties conuerti nolunt, & æternę damnationi præparantur, quorum pœna ſępe hîc incipit & in futurum permanet. Quod autem verſu 3. legimus, In conuertẽdo inimicũ meũ retrorſum, græcè eſt, ἐν τῷ ἀποστραφῆναι, id eſt, in auertendo. D. Hieronymus ad Hebr. veritatem vertit: Cùm ceciderit inimicus meus retrorſum. Sic infrà: Cõuertãtur peccatores in infernũ, græcè eſt ἀποστραφήτωσαν. ¶ A Per gentes, D. Auguſtin. intelligit gentiles, qui ante prædicationem apoſtolorum colebant ligna & lapides, relicto verò Deo: quorum impia vita redarguta eſt miſſo cęlitus ſpiritu S. & impius perijt quia iuſtificatus eſt & factus eſt pius. At D. Hiero. per impium intelligit diabolum authorem omnino impietatis & idololatriæ: tametſi priorem interpretationem non improbet. ¶ B. Inimici hoc loco non eſt nominatiuus pluralis, ſed genitiuus ſingularis: et Frameæ eſt nominatiuus pluralis nõ datiuus, quod ex gręco facillimè conſtat. Frameas igitur inimici, id eſt diaboli, vocat diuerſas opiniones erroris, quibus ille animas tanq̃ gladijs perimit, quę aliquãdo, vbi Deus omnia in omnibus factus fuerit, in perpetuũ peribunt. Hoc enim loco verba præteriti tẽporis pro verbis futuri tẽporis accipienda ſunt, quod familiare eſt prophetis. Porrò ciuitates appellat, peccatorũ conuenticula & ſodalitates: in ijs enim diabolus velut in ſuis munitionibus regnabat. ¶ Oportunitas adiuuãdi aut miſerendi ſoli Deo cognita eſt, qui ſolus nouit quid cuique & quo tẽpore expediat. Vnde Dauid alibi orat: Tu exurgẽs Domine miſerebris Sion, quia tempus miſerẽdi eius, quia venit tempus. Vnde & Paulus: Fidelis inquit Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum vt poſsitis ſuſtinere. ¶ Nomen, id eſt (interprete Hiero.) potentiam vel magnificentiam tuam vel nomen tuum, id eſt, filium tuum. Aut is cognoſcit nomen Domini, qui nouit in ſolo Deo omnia eſſe firma, conſtantia, & perpetua, iuxta id quod Moyſi dixit Exod. 3. Ego ſum qui ſum, & dices filijs Iſrael, Qui eſt, miſit me ad vos. Sperent ergo in te, qui cognoſcunt nomen tuum, ne ſperent in his rebus quę temporis volubilitate præterfluunt, quę nihil habẽt niſi erit & fuit. Deſinant igitur ſperare & diligere temporalia, & ſe ad æternam ſpẽ conferant, qui cognoſcunt nomen eius qui dixit: Ego ſum qui ſum, ſic ferè Auguſtinus. ¶ F Nemo ita poſitum putet (inquit Auguſtinus) quaſi obliuio cadat in Deum, ſed quia poſt longum tempus futurum eſt iudicium: ſecundum affectum infirmorum hominum poſitum eſt, qui oblitum Deum putant, quoties non tam citò facit quàm ipſi volunt. ¶ G. Portas mortis vocat interprete Hieron. hæreticorum doctrinam, quòd illa ad interitum ducat animas: vnde apud Matthęum vocãtur à Chriſto portæ inferi: Super hãc petram fundabo inquit eccleſiam meam, & portæ inferi non prępualebunt aduerſus eam. Aut portas mortis appellat prauas cupiditates, per quas tenditur ad mortem animarum. Sic contrà: Portæ Sion appellantur optima virtutum ſtudia, per quæ peruenitur in eccleſia ad cœleſtem Hieruſalem, id eſt, viſionem pacis: & anima his ſtudijs virtutũ dedita anunciat & prædicat laudes diuinas. Nam peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & vt Salomon inquit: Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.

Occulta filij quæ ſunt.

Frameæ inimici quæ ſunt.

Nomen Domini noſſe.

Portę mortis et portæ Sion.

Cognoſcetur Dñs iudicia faciẽs, in operibus manuũ ſuarũ cõprehẽſus eſt peccator. Cõuertãtur peccatores in infernũ, oẽs gẽtes quę obliuiſcũtur Deũ. Quoniã nõ in finẽ obliuio erit pauperis, patiẽtia pauperũ non peribit in finẽ. Exurge Dñe nõ confortetur homo, iudicẽtur gẽtes in cõſpectu tuo. Cõſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, vt ſciãt gentes quoniam homines ſunt. Vt quid Domine receſſiſti longè, deſpicis

in op-

in oportunitatibus in tribulatione. Dum superbit[H] impius, incēditur pauper, comprehendūtur in consiliis quibus cogitant. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suę, & iniquus benedicitur. Exacerbauit dominum peccator, secundū multitudinem iræ suę non quęret. Non est Deus in cōspectu eius, inquinatæ sunt viæ eius in omni tempore. Auferētur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur. Dixit enim in corde suo, non mouebor à generatione in generationem sine [I] malo. Cuius maledictione os plenum est, sub lingua, labor & dolor. Sedet in insidiis cū diuitibus [K] in occultis eius vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciūt, insidiatur in abscondito quasi Leo in spelunca sua. Insidiatur vt rapiat [L] pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit [M] se, & cadet cùm dominatus fuerit pauperum. Dixit enim in corde suo oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem. Exurge domine Deus & exaltetur manus tua ne obliuiscaris pauperum in finem.

Legislator in bonam & malam partem.

¶ C. Per legislatorem hoc loco D.Hiero. & August. Antichristum intelligunt qui erit futurus lator malæ legis, & impiæ doctrinæ author, vt iusto Dei iudicio decipiantur mendacio & fraudibus qui noluere recipere veritatem. Verùm Arnobius, legislatorem in bonam partem accipit, vt alibi Dauid: Etenim benedictionem dabit legislator, ibūt de virtute in virtutem etc. Christum aut certè vicarios illius intelligens. Eius verba hæc sunt. Nunc rogat inquit spiritus prophetiæ, vt tollat gentes ab idolis, & statuat eas in ecclesia. Constituat legislatorem super eas, & sciant gentes quia dij non sunt quos colunt, sed sciant quia homines sunt, hæc ille. ¶ Per impium hoc loco interpretibus Hierony. & Augustino, Antichristum intelligimus, qui eò impietatis veniet, vt se pro Deo coli volet, quem eundem & peccatorem vocat propter flagitiosissimam vitam. Vnde Apostolus scribēs Thessalonicensibus, eum vocat hominem peccati & filium perditionis, aduersus illius impias machinationes & sæuitiam qua debacchaturus est aduersus ecclesiam, propheta diuinum implorat auxilium. ¶ I. Duplex sensus esse potest: prior hic, In perpetuum non mouebor, id est, regnum siue tyrannidem obtinebo in seculum, idq; nullo malo me vrgente. Alter verò hic, famam meam & nomen meum non transmittam de hac generatione in generationem, id est, ad posteros nisi malis artibus adipiscar tantum principatum, de quo posteri tacere non possunt: posterior hæc interpretatio Augustini est. ¶ K. Quibus diuitibus inquit Augustinus nisi ijs quos huius seculi muneribus cumulat, & ideo in insidijs & in occultis sedere cum his dicitur, quoniam falsam felicitatem ipsorum ad decipiendos homines ostentabit. Qui itaq; praua voluntate & cupiditate terrenorum bonorum eam felicitatem expetent, relictis bonis æternis in laqueos eius incident, & ex innocentibus nocentes fient. ¶ L. Infinitiuus ille, rapere, vertendus erat in verbum subiunctiui modi vt prior ille mutatus est: nam vtroque loco in græco exemplari est infinitiuus, ἁρπᾶσαι, id est rapere, quare clariùs ita vertisset: Insidiatur vt rapiat pauperem, vt rapiat inquam pauperem dum attrahit eum. Porrò pauperis appellatione significatur fidelium ecclesia, quæ tota à Christo se scit pendēre, & illius solius beneficio se saluandā sperat: qui itaq; sic affectus est, is est pauper spiritu. ¶ M. Inclinabit se & cadet, id est, postquam suæ tyrannidi omnes subiecerit, & pauperes Christi, id est, ecclesiæ filios & seruos Dei varijs supplicijs afflixerit, inclinabit se & cadet, id est, cogetur agnoscere Deum superiorē, cuius Maiestati durissimam ceruicem suā etiam inuitus tandem submittet, & cadet, abolita & destructa omni fraude illius per aduētū Christi.

Impius.

Pauperis appellatione significatur ecclesia.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo, nō requiret. Vides, quoniam tu laborem & dolorem consideras, vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper, orphano [N] tu eris adiutor. Contere brachium peccatoris & maligni, quæretur peccatū illius & non

& non inuenietur. Dominus regnabit in æternum & in seculum seculi, peribitis gentes de terra illius. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Iudicare pupillo & humili, vt non apponat vltrà magnificare se homo super terram.

¶ N. Orphanus græca vox est, latinè pupillum sonat, quamuis diuus Hieron. putet hoc esse discriminis, vt pupillus is sit, qui patre caret: orphanus, qui patre & matre. Ecclesia itaque pupilli aut orphani appellatione significatur, quæ iam patrem desijt habere diabolum, vnde psal. 44. ad fidelem animam Deus pater loquitur: Obliuiscere populum tuum & domum patris tui: talibus itaque pupillis siue orphanis pater fit Deus, quos ad eiusmodi pupillarem conditionem hortatur. Nec patrem inquiens appelletis vobis super terram: vnus enim est pater vester cælestis. ¶ O. Geminus hic sensus esse potest, vt per peccatum homo ipse impius & peccator intelligatur, vt hominem scelestum scelus appellamus: vel certè peccatum appellat, vitam ipsius flagitijs & sceleribus plenam, quæ repentè vnà cum ipsius gloria & nomine abolebitur: sic de impio & peccatore dictum est psal. 36. Adhuc pusillum & non erit peccator, quæres locum eius & non inuenies, & paulò infrà: Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros libani: Et transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Alter sensus est, peccatum illius quæretur, & non inuenietur, scilicet perfectum esse, quia à Deo impedietur. Sic August. Orphanus, Pupillus.

A *In finem psalmus Dauid.* *Psalmus X.*

IN domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem B sicut passer. Quoniam ecce peccatores intenderunt C arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro D rectos corde. Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: iustus E autem quid fecit? Dominus in templo sancto suo, dominus in cœlo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ F eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iustum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. Pluet G super peccatores laqueos, ignis & sulphur & H spiritus procellarum, pars I calicis eorum. Quoniam iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

Sicut passer, speciem pro genere posuit. Nam hebraicè est, sicut auis.

¶ A. Psalmus hic tametsi breuis sit, vbertate tamen sententiarum fœcundus est, totus itaque aduersus hæreticos canitur ab ecclesia ex persona Dauid, qui fideles ad se pellicere nituntur, inuitantes illos vt relicta veritate & simplicitate fidei christianæ, ad sua conciliabula & conuenticula se transferant quasi apud illos sit Christus, & non in ecclesia catholica, quos & Dominus cauẽdos monuit Matth. 24. Si quis inquit vobis dixerit, Ecce hîc est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ: si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus est, nolite credere. ¶ B. Mons in sacris literis aliquando ecclesiã, aliquando electos propter meritorum sublimitatem denotat, aliquãdo ipsum Christum. Nonnunquam in malam partem sumitur, & diabolum aut illius membra significat propter superbiam illius & animi tumorem. Est itaque hic sensus. Vnum montem teneo, nimirum Christum aut sponsam illius ecclesiam: quomodo dicitis mihi vt ad vos transeã autores peruersorũ dogmatum? quasi multi sint Christi aut plures ecclesiæ præter vnam catholicam & apostolicam ecclesiam, quæ verè est mons Domini, De quo dixit Esaias: Venite adscendamus ad montem Domini. Hæreticorum autem conuenticula, montes quidem propter superbiam nominantur: sed montes sunt caliginosi, de quibus Hieremiæ 13. Date Domino Deo vestro gloriam an- Montis appellatione quid significetur.

Arcus quid sit. tequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos. ¶ C. Arcum interprete Augustino sacram scripturam intelligimus, quam hæretici carnaliter interpretantur, & ad suas concupiscentias deprauant venenatas, indè sententias iaculantes: omnia enim peruersa sua dogmata authoritate scripturarum à se corruptarum adstruunt & communiunt. ¶ D. Quod nos legimus in obscuro, significantius est græcè apud 70. interpretes σκοτομήνῃ, id est, ad verbum, vt Augustinus ait, in obscura luna: est enim propriè σκοτομήνη, nox illunis, id est, obscura & luna carens: Tunc enim maximè spargunt impios suos errores hæretici, quoties nacti sunt in ecclesia imperitos & simplices, & in quorum cordibus lux veritatis euangelicæ nondum clarè resplenduerit: nam lunæ appellatione ecclesiam sæpe significat scriptura.

¶ E. Id est, Christus qui nobis à Deo factus est iustitia, quid is fecit? profectò longè aliud quàm hæretici moliuntur, qui communem ecclesiæ pacem turbant, cùm ille dixerit, pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.

Palpebræ quæ sint in Deo. ¶ F. Per palpebras, quæ vicissim in nobis & aperiuntur & clauduntur, interprete diuo Hieronymo, subtilitas diuinorum iudiciorum intelligitur: iam enim prospera & læta proueniunt, quasi apertis palpebris Deus nos respiciat: iam verò tristitia & aduersa, quasi clausis palpebris Deus nos negligat. Vtrisque autem examinamur & probamur, prosperis ne prorsus desperemus, & aduersis ne rursus insolescamus. ¶ G. Nubes in sacris literis appellantur omnes, qui verbo Dei animas irrigant: sic prophetæ, euangelistæ, & apostoli, nubes appellantur, quorum scripta cum peruersè intelliguntur ab impijs, Deus super illos laqueos pluit: cùm autem benè intelliguntur, pluuia illa fœcundat pectora fidelium. De eiusmodi laqueo Dauid alibi: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Et Esaias cap. 28. Et erit ijs verbum Domini, Vt vadant & cadant retrorsum & conterantur & illaqueentur, & capiantur. ¶ H. Varijs locis scripturarum gehennæ significantur supplicia per ignem & sulphur: Idque optima ratione, vt ignis puniat incendia malarum cupiditatum: odor autem teterrimus sulphuris, fœditatem peccatorum. Sic Esa. 34. Conuertentur torrentes eius in picem, & humus in sulphur: & erit terra eius in picem ardentem, nocte & die non extinguetur. Sic & spiritum procellarum referre possumus vel ad acerrimum frigus quo affligentur, quod Christus in euangelijs per stridorem dentium significat, vel vt incitamentum quoddam ignis illius sulphurij, qui vento & flatu vehementior fit. Vnde Esaiæ 30. Gehenna describitur sub nomine Tophet his verbis: Præparata est inquit Tophet à rege profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa. Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam: Aut per spiritum procellosum, potentiam illam diuinam vltricem & cunctis intolerabilem accipimus, vt Sapient. 5. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos. ¶ I. Calicis nomine sæpe vindicta diuina significatur, aliquando eadem vinum furoris Domini appellatur. Sic Apocalyp. 14. Si quis adorauerit bestiam, & acceperit characterem in fronte aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum & ante conspectum agni, & fumus tormentorum eorum adscendet in secula seculorum.

Nubes & pluuia.

Ignis & sulphur. Spiritus procellarum.

Calix. Vinum.

Pro octaua vt annotauimus in sextum psalmũ, significat psalmum hunc resurrectionis & redẽptionis humanæ mysteriũ cõplecti. Labia nostra à nobis, græcè est παρὰ ἡμῖν, id est, apud nos sunt, quomodo D. Aug. legit.

In finem psalmus Dauid pro octaua.

PSALMVS XI.

SAluum A me fac Domine quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates B à filiis hominum. Vana locuti sunt, vnusquisque ad proximum suum, labia C dolosa in corde, & corde locuti sunt. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam. Qui dixerunt, linguam D nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam

exurgam dicit Dominus. Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in ipſo. Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum [E] terrę, purgatum ſeptuplum. Tu Domine ſeruabis nos & cuſtodies nos à [F] generatione hac in æternum. In [G] circuitu impii ambulant, ſecundum altitudinem tuam, multiplicaſti filios hominum.

¶ A. Pſalmus hic ex perſona Chriſti ſcriptus eſt deplorãtis vitia hominũ & cupientis ſaluari à Deo patre iuxta fragilitatem carnis aſſumptæ, vel ſalutem orat non tam pro ſe quàm pro membris ſuis ſiue corpore ſuo myſtico quod eſt eccleſia, & ſuperbiam & arrogantiam populi Iudaici in lege gloriantis & de ſua iuſtitia nimium ſibi placentis, deteſtatus, eam aboleri precatur. ¶ B. Cũm vna ſit veritas nimirum Chriſtus qui inquit, ego ſum via, veritas & vita, non tamen dixit veritatem, ſed veritates. Veritatũ appellatione ſignificantur virtutes & opera bona quæ in Deo fiunt, ſic per mendacium vitia ſignificantur: virtutes enim ſunt vera & ſolida bona, quicquid autem extra virtutem eſt, fallax & vanum eſt. ¶ C. Pro eo quod nos habemus labia doloſa in corde & corde locuti ſunt, Symmachus ita tranſtulit, labia lubrica in corde, aliud eſt, & aliud loquitur, clariùs nimirum reddens ſenſum prophetæ. Is itaque loquitur in corde & corde, qui aliud ore loquitur, & aliud corde retinet. Porrò illud locuti ſunt, cùm referatur ad labia græcè χείλη, quorum vtrumque eſt neutrius generis, latinè vertendum erat, labia doloſa in corde & in corde locuta ſunt mala. Nam id apud 70. additur ἐλάλησεν κακά. ¶ D. Id eſt, grandia & magnifica loquemur, quia doctores noſtros non aliunde, ſed domi & ex nobis habemus. Maximè enim ſuperbiebant Iudæi, quòd ipſis ſolis lex diuinitus data eſſet, & apud ſe haberent rabinos et doctores legis, quamobrem pertinaciſſimè reſtiterunt Chriſto & legi euangelicæ. Non eſt autem græcè, labia noſtra à nobis ſunt, ſed apud nos ſunt: eſt enim græca præpoſitio παρά, quæ cum datiuo iuncta, ſignificat apud vel iuxta: cum genitiuo autem, ſignificat à vel de. Hoc autem loco datiuum habet, vnde Diuus Auguſtin. legit, non à nobis, ſed apud nos. ¶ E. Terræ non eſt hic genitiuus, ſed datiuus vt ex græco conſtat, quaſi dicat, argentum approbatum ab ipſa terra, id eſt, ab habitatoribus terræ, tametſi apud Hebræos non ſit probatum terræ, ſed repurgatum à terra, id eſt, puriſſimum et nihil habens admixtum ſcoriæ aut terrenæ materiæ. Vnde diuus Hieronymus ex Hebræo vertit, Eloquia Domini eloquia munda, argentum igne probatum, ſeparatum à terra, & colatum ſeptuplum. ¶ F. Vna eſt generatio bonorum, de qua dictum eſt alibi: Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Sic omnium malorum turba ab initio mundi vſque ad finẽ vnam cõſtituit generationẽ, quam hoc loco denotat propheta: de qua dictum eſt Matthæi 23. A ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, omnis ſanguis iuſtus qui eſt effuſus ſuper terram, veniet ſuper generationem iſtam. ¶ G. In circuitu ambulare interprete Auguſtino, eſt implicari cupiditatibus rerum temporalium, quæ ſeptem dierum repetito circuitu, tanquam rotæ voluuntur, et ideo non perueniunt ad octauam reſurrectionis et æternitatis diem pro qua pſalmus inſcribitur. Aut ſimpliciter in circuitu ambulant, quia quaquauerſum obambulant impij inſidiantes piorum innocentiæ. Verùm Deus qui nouit qui ſunt ſui, iuxta altitudinem inſcrutabilis ſui cõſilij multiplicat ſpirituales filios eccleſiæ.

Veritatis nomine quid ſignificetur.

Emẽdata lectio ex Auguſtino.

Duplex generatio, alia bonorum, alia malorum.

In finem pſalmus David. *Pſalmus XII.*

VSquequo domine [A] obliuiſceris me in finem? vſquequo auertis faciem tuam à me? Quàm diu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem. Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice & exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam [B] in morte, nequando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum. Qui tribulant me, exultabunt

Pro eo quod 70. verterunt εἰς τέλος, id eſt, in finem. Hier. ex hebræo vertit, obliuiſceris mei penitus.

bunt si motus fuero,ego autem in tua misericordia speraui. Exultabit cor meum in salutari tuo,cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.

Commentarium.

¶ A. Psalmus hic teste Arnobio à propheta canitur ex persona totius generis humani. Quoniam enim per lapsum primorum parentum diabolus dominari in homines & grauissimam exercere tyrannidem cœpit: orat propheta verbis humani generis,vt iugum hoc diabolicæ seruitutis Deus tollat, tacitè optans aduentum filij Dei in carnem,quòd sciret regnum & tyrannidem diaboli eo adueniente dissoluendam. Vnde & Esaias: Vtinam inquit dirumperes cælos et descenderes,à facie tua montes defluerent,et notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua turbarentur gentes. ¶ B. Sacra scriptura duplicis somni mentionem crebrò facit: est enim somnus mortis. De quo psal.3. Ego dormiui et soporatus sum: Et Christus apud Ioannem,Lazarus amicus noster dormit,vado vt à somno excitem eum. Alter est somnus ipsi animæ exitialis,qui ex ignorantiæ tenebris obrepit animis nostris, et eas priuat omnibus officijs virtutum et honestis actionibus, quod tunc præcipuè contingit,quoties mens nostra ebria est vino malarum cupiditatum et illecebris voluptatum carnalium:de eiusmodi ebrietate et somno Apostolus Paulus cap. 5. prioris epistolæ ad Thessalo. Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus: qui enim dormiunt, nocte dormiunt:et qui ebrij sunt,nocte ebrij sunt.

Duplex somni in scriptura.

In finem psalmus Dauid. *Psalmus XIII.*

DIxit [A] insipiens in corde suo,non est Deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Dominus de cælo prospexit super filios hominum,vt videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Nonne [B] cognoscent omnes qui operãtur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escam panis? Dominum non inuocauerunt,illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Quoniam Dominus in generatione iusta est, consilium [C] inopis confudistis, quoniam dominus spes eius est. Quis [D] dabit ex Sion salutare Israël, cùm auerterit dominus captiuitatẽ plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israël.

Tres sequentes versus vulgata exemplaria addunt post quartum versiculum psalmi,qui nec apud hebræos nec apud 70. leguntur hoc loco.

Sepulchrum [E] patens est guttur eorum,linguis suis dolosè agebãt,venenum aspidũ sub labiis eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est,veloces pedes eorum ad effundẽdum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum,& viam pacis non cognouerunt,non est timor Dei ante oculos eorum.

Decimus tertius psalmus à nonnullis ad passionis dominicæ tempora refertur,cùm perfidi Iudæi Christum negabant esse non modò Deum, sed & à Deo prophetam missum. Et cùm omnes Apostoli fugerunt, & Petrus ipse princeps Apostolorum Christum ter negauit. Verùm si pressiùs inspiciamus psalmum, & consideremus seriem versuum sequentium, videtur referendus esse potiùs ad statum humani

humani generis qui fuit ante Christi aduentum,cùm in sola Iudæa notus esset Deus,& ipse populus Iudaicus se quoq; more gentium sordibus idololatriæ polluisset: in hunc enim modum Apostolus interpretatur cap. 3.epistola ad Roman. vbi testimonio huius psalmi vtitur vt ostendat ante Christi aduentum tam Iudæos quàm gentes omnes peccato obnoxios fuisse & indiguisse gratia,beneficio & auxilio Christi. ¶ A. Bene addidit,in corde suo:nemo enim palam ausus est prorumpere in tantã insaniam,vt diceret non esse Deum:adeò etiam gentium animis natura insitum erat Deum esse qui condidisset & gubernaret vniuersa,vnde Protagoras sophista sui temporis maximus cùm dixisset se dubitare an essent dij nec ne? iussu Atheniensium vrbe & agro exterminatus est,et in cōcione libri illius exusti sunt vt scribit M.Cicero libro primo de natura deorum,tametsi fuerint nonnulli sacrilegi & detestandi philosophi, qui palam asserebant nullum esse Deum vt Diagorus & Theodorus qui ob id athei vulgò dicti sunt. ¶ E. Tres hi versus sequentes nec in græcis exemplaribus hoc loco leguntur apud 70.interpretes nec in versione D. Hieron. ad Hebr.veritatem. Quòd autem tres hi versus huic loco inserti sunt, factum est hac occasione, quòd Apostolus Paulus cap.3. ad Rom. post illum versum,omnes declinauerunt etc. asscribit tres sequentes versiculos. Verùm vt & D.Hiero. testatur apostol. ex varijs scripturarum locis hoc contexuit testimonium: nam primus versus apud Paul.est ex hoc psalmo desumptus, secundus autem ex psalmo 5.reliqua verò ex cap.59.Esaiæ deprompta sunt.

Cice. li.1.de natura deorum de Protagora.

¶ B. Hæc aduersus reges & principes persequentes ecclesiam & sæuientes in christianos dicta sunt,qui capitalibus odijs vbique terrarum deuastabant ecclesias,metuentes ne falsis deorum religionibus honos detraheretur, & ne ex religione christiana imperia huius mundi detrimentum aliquod acciperent,sicut & Iudæi stultè trepidabant,ne si nō obsisterent prędicationi Christi,venirent Ro.& tollerent gentem & locum. ¶ C. Pauperis & inopis appellatione in psalmis sæpe Christus significatur, qui cùm diues esset,propter nos pauper factus est vt habet Paul. Huius cōsiliū erat vt pœnitentiã agerent,quod salutare consilium spreuerunt impiæ gentes & perfidi Iudæi.

Pauper & inops.

¶ D. Istud ad primum Christi aduentum referri potest:nam ex monte Sion prodijt lex euangelica,vt vetus illa & Mosaica lex est lata in monte Sina. Aut optat propheta vt postquam Israëli ex parte acciderit mentis cæcitas:postquam iam ingressa fuerit plenitudo gentium,totus Israël saluus fiat conuersus ad dominum in fine seculi prædicatione Eliæ & Enoch.

In finem A psalmus Dauid.

PSALMVS XIIII.

DOmine quis habitabit in B tabernaculo tuo,aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula,& operatur iustitiam.Qui loquitur veritatem in corde suo,qui non egit dolum in lingua sua.Nec fecit proximo suo malum,& C opprobrium non accepit aduersus proximos suos.D Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus:timentes autem dominū glorificat.Qui iurat proximo suo & non decipit:qui pecuniam suam non dedit ad vsuram,& munera super innocentem non accepit*. Qui facit hæc,non mouebitur in æternum.

Heb. Despicitur in oculis eius malus.

¶ A. Psalmus hic formulam vitæ instituendæ nobis præscribit,& sicut Christus in euangelijs inquit,Si quis velit ad vitam ingredi,vt is mandata decalogi seruet,ita hoc psalmo spiritus sanctus per prophetam Dauid. x. virtutum indicia & certissima innocentiæ argumenta nobis proponit, vt qui cæleste tabernaculum ingredi,& in cælis requiescere in perpetuum velit,ad hanc viuendi normã se componat. ¶ B. Tabernaculi appellatione sæpe mortale hoc nostrum corpus significatur vt apud D. Paulum cap.5. posterioris epistolæ ad Corinth. Quamdiu sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati:& in epistola Petri posteriore,Scio quia velox est depositio taber-

Tabernaculum quid.

naculi mei. Aliquando per tabernaculum ecclesia significatur, cuius typus fuit tabernaculum illud testimonij, & hoc modo August. & Arnobius accipiunt hoc loco, cui interpretationi congruit verbum græcum παροικήσει, quod non propriè significat habitabit, sed incola erit siue peregrinus erit in tabernaculo tuo. Vnde Augustinus ita legit: Domine quis peregrinabitur in tabernaculo tuo? Is itaque qui abstinet se à carnalibus desiderijs tanquam peregrinus, quod D. Petrus hortatur nos, is in ecclesia tanquam peregrinus viuit donec transferetur in montem cælestem æterna requie fruiturus.

Accipere opprobrium.

¶ C. Opprobrium accipere aduersus proximum est, aurem accommodare ijs qui detrahunt famæ aut honori alterius, & talibus fidem adhibere. Sic enim D. Augustinus interpretatur: Opprobrium aduersus proximum non accepit, id est (inquit) Non libenter ac temere credidit criminatori. D. Hiero. ex Hebræo ita reddidit hunc versiculum: Et opprobrium non sustinuit super proximo suo, hoc est, non passus est apud se quenquam probrosa crimina de proximo absente dicere. Vnde & psalmo 100. Innocentiam vitæ suæ recensens propheta, Non adhęsit, inquit, mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoscebam. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. ¶ D. Per malignum D. Hieron. diabolum intelligit, qui ad nihilum deducitur quoties eius molimina & fraudes nihil efficiunt aut valent apud sanctos, quibus Deus potestatem dedit calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Verùm idem Hieron. ad hebraicam veritatem ita reddidit: Despicitur in oculis eius malus, quare ad personã hominis mali referri potest, vt sensus sit, apud sanctum & innocentẽ virum homo malus in nullo precio est, sed eos qui Deum timent maximi facit & glorificat.

Tituli inscriptio[A] *ipsi David.*

PSALMVS XV.

CONserua[B] me Domine quoniã speraui in te, dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam[C] bonorum meorum non eges. Sanctis qui sunt in terra eius, mirificauit omnes volũtates meas in eis. Multiplicatæ sunt infirmitates[D] eorũ, postea accelerauerunt. Non[E] congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea. Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues[F] hæreditatem meam mihi.[G] Funes ceciderunt mihi in pręclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Benedicam dominum qui tribuit[H] mihi intellectum, insuper & vsque ad noctem increpuerunt me[I] renes mei. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum & exultauit lingua mea, insuper & caro[K] mea requiescet in spe. Quoniã non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas[L] mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lętitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.

¶ A. Intellectum huius psalmi nobis aperuit Petrus Apostolus vt est Actorum 2. capite, vbi de Christi resurrectione disserens, eamque adstruit testimonio huius psalmi. Quem Deus suscitauit, inquit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim in eum dixit: Prouidebam Dominum etc. Sine controuersia itaque psalmus hic de Christo intelligendus est, & illius morte & resurrectione quod & titulus satis declarat qui apud nos sic habet. Tituli inscriptio pro quo græcè est apud 70. στηλογραφία quasi dicas inscriptio sepulchralis. Nam στήλη græcè significat

Stelographia. Stele.

significat columnam non quamlibet, sed in qua fœdera vel mortuorum tituli inscribi solent, & eiusmodi columnæ sepulchris mortuorum imponi solent, quare non malè Augustinus & Hieron. & item Arnob. ad titulum crucis Christi, qui græcè, hebraicè & latinè scriptus erat, hæc referunt. Porrò Aquila & Symmachus huic psalmo dederunt titulum, humilis & simplicis Dauid, sic & Hieron. ad hebraicam veritatem transtulit, qui titulus & mortem & innocentiam Christi innuit. ¶ B. Vox est Christi in persona hominis assumpti, orantis vt in passione sua conseruetur quasi dicat. A patre à quo exiui in passione custodiar, quia ipse spes mea est. ¶ C. Quæ sunt bona Christi quibus Deus pater non indiget? Incarnatio, passio, resurrectio & humani generis redemptio, quæ nihil profuerunt Deo patri, sed nobis tantummodo: vel sua bona dicit, cælum & terram & omnia quæ cæli & terræ ambitu continentur, quibus Deus pater postquam ea condidit, nec antea, nec pòst indiguit, quia in nostros vsus hæc omnia producta sunt. ¶ D. Quod 70. verterunt infirmitates, D. Hieronymus & cæteri interpretes neoterici ex Hebræo vertunt Idola: est enim vox Hebræa ambigua, quæ & infirmitates & sculptilia siue idola significat. Est itaq; hic sensus. Infirmitates, id est, vitia & scelera quibus ægrotat mens humana, vel idololatria inter gentes multiplicata est ante aduentum Christi. Christo autem passo & choruscante luce euangelica, accelerauerunt, id est, celerrimè se ab idolis ad cultum veri & vnius Dei se contulerunt. ¶ E. Id est, ex gentibus congregabo mihi ecclesiam, sed non sanguine pecudum placatus aut sacrificijs legalibus: hæc enim omnia carnalia sunt & typica: noui autem testamenti religio spiritualis est, & mystica sunt euangelicæ legis sacrificia, & his propitiatus obliuiscar nominum eorum pristinorum, quibus appellabantur ante conuersionem. Nec enim à me iam peccatores, inimici, vel serui vocabantur, sed filij Dei, fratres, & amici, in cuius rei signum & patriarchis & apostolis, crescentibus eorum meritis, immutata sunt nomina. Sic Abram dictus est Abraham. Sarai, Sara. Iacob dictus est Israël: Petrus, Cephas: & Saulus vocatus est Paulus. ¶ F. Hæreditas Domini olim fuit Iudæa siue Israëliticus populus: Vnde Deuteron. 32. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius: quoniam autem propter incredulitatem & perfidiam abiecti sunt, ex gentibus congregata ecclesia, data est Christo in hæreditatem, vt Dauid inquit psal. 2. in fine tamen seculorum, vbi introiuerit plenitudo gentium, Israëliticus populus Christo per fidem denuo conglutinabitur, & tunc prisca hæreditas Christi restituetur. Huius autem hæreditatis dominicæ, id est, ecclesiæ dominus pars est. Calicis autem, id est, passionis Christi idem Deus pater pars est, id est, merces Christi, qui propter passionem à Deo patre exaltatus accepit nomen quod est super omne nomen. ¶ G. Funes siue funiculi in sacris literis accipiuntur pro ipsa hæreditate aut potiùs distributione hæreditatis. Nam funibus olim agros metiebantur in assignandis hæreditatibus. Vnde illud Amos 7. Filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur, sic & psalmo 77. Et eiecit à facie eorum gentes, & diuisit eis terram in funiculo distributionis. ¶ H. Istud ad hominem assumptum referendum est: nam qui sapientia Dei est, non indiget sapientia, sicut & illud euangelicum: Iesus autem proficiebat ætate & sapientia & gratia coram Deo & hominibus: vel ad corpus Christi mysticum, id est, ecclesiam referendum est, cui per Christum donatus est intellectus discernendi inter bonum & malum, inter sensum et literam, inter lumen & tenebras. ¶ I. Renum appellatione, in sacris literis sæpe abstrusiores & arcanæ cogitationes & consilia & intimæ mentis cogitationes significantur. Vnde illud: Ego Dominus scrutans corda & renes. Renes itaque, id est, arcanæ & abditæ cogitationes & consilia ab ipsa diuinitate profecta, increpuerunt, siue vt apud Hebr. est erudierunt Christũ iuxta humanitatem, idq; vsque ad mortem, id est, vsque ad passionem ipsam & crucis mortem. ¶ K. Istud non ad Christi carnem solummodo, sed ad membra Christi commodè referri potest: ecclesia enim corpus & caro Christi est quę requiescit & obdormiscit in Domino, certissimam habens spem resurgendi: quod enim in capite præcessit, non dubiũ est quin & in membris secuturum sit. ¶ L. Mandata Domini, viæ sunt vitæ. Iuxta illud: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: vel interprete Augustino, Per vias vitæ, humilitatis viam intelligit, per quam ad cælestem gloriam subleuamur, ex qua per superbiam excidimus.

Infirmitates.

Nomina sanctis mutata.

Calix passionis symbolum.

Funes & funiculi quæ sunt.

Renes.

Vię vitæ quæ sunt.

Oratio [A] Dauid.

PSALMVS XVI.

EXaudi Domine [B] iuſtitiam meam, intende deprecationẽ meam. Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloſis. De vultu tuo iudiciũ meũ prodeat, oculi [C] mei videãt ęquitatẽ. Probaſti cor meũ & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & nõ eſt inuenta in me iniquitas. Vt non [D] loquatur os meũ opera hominum, propter verba labiorum tuorũ ego cuſtodiui vias [E] duras. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. A reſiſtentibus dexteræ tuę cuſtodi me Domine vt [F] pupillam oculi. Sub vmbra [G] alarũ tuarum protege me, à facie impiorum qui me affiixerunt. Inimici mei animam meam circũdederũt, adipem ſuum [H] concluſerunt, os eorũ locutũ eſt ſuperbiam. Proiicientes me nunc circundederunt me, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis: Exurge Domine pręueni eos & ſupplanta eos, eripe animam meam ab impio, [I] frameam tuam ab inimicis manus tuæ. Domine à paucis, de terra diuide eos in vita eorum, de abſconditis [K] tuis adimpletus eſt venter eorum. Saturati ſunt filiis, & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis. Ego autẽ in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cùm apparuerit [L] gloria tua.

¶ A. Pſalmus hic decimus ſextus orationem continet perſonæ dominicæ, id eſt, Chriſti veri Dei & hominis iuncto ſibi corpore quod eſt eccleſia. Canitur itaque à propheta vel ex perſona Chriſti contra Iudæos eum perſequentes, aut ex perſona Eccleſiæ aduerſus hæreticos. ¶ B. Primus hic verſiculus ſi ad Chriſtum referatur, nihil difficultatis habet: ipſe enim agnus ſine macula. Si ad corpus Chriſti, id eſt, eccleſiam, ſuam iuſtitiam appellat expletionem mandatorum Dei, vel fidei iuſtitiã non operum legis qua gloriabantur Iudæi, vel certè ſuam vocat iuſtitiam merita Chriſti, qui eſt caput corporis ſui, id eſt, eccleſiæ. Chriſtus enim factus eſt nobis, vt habet apoſtolus, ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, hac itaque iuſtitia fidens & glorians Eccleſia cupit ſuam iuſtitiam exaudiri.

Gemina lectio. ¶ C. Exemplaria vulgata ferè habẽt hoc loco, oculi tui: Verùm apud 70. interpretes ὀφθαλμοὶ μοῦ, id eſt, oculi mei, quomodo & Hieronymus & Auguſtinus legunt, tametſi Arnobius legat oculi tui. Si legimus, oculi tui videant æquitatem, loquitur de ſua æquitate, id eſt, iuſtitia. Si legamus, oculi mei, ſenſus eſt, videam tuam æquitatẽ in iudicando, qua mihi præmia, & hoſtibus ſupplicia decernes. ¶ D. Senſus eſt: Non eſt inuenta in me vlla iniquitas, vt non modò purus ſim ab operibus malis, ſed vt nec os meum loquatur de operibus hominũ, id eſt negocijs ſecularibus & vanitatibus & flagitijs huius mundi. Nam (vt Chriſtus inquit) non modò de actionibus ſuis, ſed & de omni verbo ocioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. ¶ E. Duras vias vocat, obſeruationem mandatorum Dei, abrenunciationem ſeculi, & abnegationem ſuiipſius, quòd hæc grauia & dura videãtur carnalibus aut primùm incipientibus, quæ exercitatis ſuauia & leuia ſunt. Nec enim mentitus eſt qui dixit, iugum meũ ſuaue eſt, & onus meum leue. Vnde & Iohannes in Canonica ſua epiſtola. Mandata eius grauia non ſunt. ¶ F. Oculis nihil eſt nobis

Pupilla oculi. charius, quare nihil ita cuſtodimus aut maiori ſolicitudine tuemur quàm pupillas oculorum, quæ nec minimam feſtucam ferre poſſunt aut leuiſsimum tactum: vnde Zachariæ 2. Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. ¶ G. Methaphora eſt ab auibus

ſumpta

sumpta, quæ sub alis protegunt pullos ab impetu miluiorum aut accipitrum. Estque crebra in sacris literis, vt Deutero.32. Expandit alas suas & assumpsit eum: & Ruth.2. Sub cuius alas confugisti: & psal. 35. Filij hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. & psal.56. In vmbra alarũ tuarũ sperabo, donec trãseat iniquitas: & psal.60. Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula, protegar in velamento alarũ tuarum, & alijs locis pluribus. Allegoricè autem interprete D. Hieronymo, per binas alas, duo testamenta vetus & nouum accipimus, cuius præceptis & testimonijs munimur et protegimur ab insidijs hostium et fraudibus hæreticorum. ¶ H. Adeps in sacris literis symbolicè accipitur pro crassiori sensu et carnali intellectu. Vnde illud Esaiæ: Incrassatum est cor populi huius, et auribus suis grauiter audierunt. Est itaque sensus, Iudæi nolentes intelligere vaticinia legis et prophetarum de Christo, crassum et carnalem sensum legis in se retinuerunt, quæ res eos ad eam perduxit malitiam, vt Messiã suum occiderent. Clariùs autem vertit D. Hieronymus ex hebræo. Adipe suo concluserunt, vt subaudias, sese aut animas suas: sæpe enim apud hebræos actiua verba pro passiuis vsurpantur: hîc Sanctes Pagninus et Sebast. Munsterus passiue verterunt hoc modo: Adipe suo clauduntur. ¶ I. Framea non propriè gladium, sed authore Cornelio Tacito iaculum siue hastam potiùs denotat, hinc Iuuenalis. Et Martis frameam et Cyrrhęi spicula vatis. Porrò framea Dei patris est filius: sic enim de se ipse loquitur Esaiæ 49. Posuit os meum quasi gladium acutum: In vmbra manus suæ protexit me, et posuit me sicut sagittam electam. Verbo enim suo, quod teste Apostolo penetrabilior est omni gladio ancipiti, dissecat et separat spiritum à carne, et charitate et amore sui velut iaculo aut sagitta, vulnerat corda piorum. D. autem Hieronymus alium sensum reddidit in versione sua ad hebraicam veritatem: hunc videlicet: Salua animam meam ab impio, qui est gladius tuus. Nam gladius et in bonam et in malam partem sumitur, vt ibi: Erue à framea Deus animam meam. ¶ K. Per abscondita hoc loco plura intelligimus. Si enim de perfidis Iudæis loquamur, venter, id est, cor eorum repletum est arcanis mysterijs legis. Si autem de hæreticis loquamur, et illi repleti sunt mysterijs ecclesiæ, et procreauerunt similitudinem aut carnalium aut spiritualium filiorum, id est, discipulorum, et dimiserunt paruulis, id est, posteris suis reliquias aut perfidiæ suæ, aut heresæos. ¶ L. Quod 70. verterunt: Cùm apparuerit gloria tua. D. Hieronymus ex Heb. vertit. Implebor cùm euigilauero similitudine tua, id est, tunc replebor perfecto gaudio et absoluta beatitudine cùm resurrexero è morte, configuratus claritati diuinæ, et similis factus filio Dei. Sic enim Iohannes cap. 3. primę suę epistolæ: Nunc inquit filij Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.

Alæ & alarum vmbra aut tegumentum.

Adeps quid allegoricè sit.

Apud 70. est græcè Rōphęa.

Abscondita Dei quæ sint.

PSALMVS XVII.

In finem A puero Domini Dauid, qui locutus est Domino verba cantici huius, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul: & dixit.

Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus B firmamentũ meũ & refugium meum et liberator meus. Deus meus, adiutor meus, et sperabo in eum. Protector meus et cornu C salutis meæ, et susceptor meus. Laudãs inuocabo Dominũ, et ab inimicis meis saluus ero. Circũdederũt me dolores mortis, & D torrẽtes iniquitatis cõturbauerunt me. Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocaui Dominũ, et ad Deũ meum clamaui. Et exaudiuit de templo sancto suo vocẽ meam, et clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius. Cõmota est et contremuit E terra, fundamenta montium cõturbata sunt et cõmota sunt, quoniam iratus est eis. Adscendit fumus in ira eius, et ignis à facie eius exarsit,

carbones

carbones succensi sunt ab eo. Inclinauit[F] cœlos & descendit, & caligo sub pedibus eius. Et adscendit super Cherubin et volauit, volauit super pennas ventorum. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aëris. Præ[G] fulgore in conspectu eius nubes transierunt, grando & carbones ignis. Et intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam,[H] grando & carbones ignis. Et misit sagittas suas & dissipauit eos, fulgura multiplicauit & cõturbauit eos. Et apparuerunt fontes[I] aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum. Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuę. Misit de summo & accepit me, & assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me. Pręuenerunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protector meus. Et eduxit[K] me in latitudinem, saluum me fecit quoniam voluit me. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearũ retribuet mihi. Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo.

¶ A. Totus hic psalmus sub persona Dauid ad Christum pertinet. Nam si literam & historiam spectemus, ad regem Dauid omnia referenda erunt, vt titulus satis declarat, & 22. cap. 2. libri Regum, vbi psalmus hic 17. decantatur à rege Dauid, postquam liberasset eum Dominus ab omnibus inimicis, & à rege Saul. Verùm quoniam titulus præfert in finem, & finis legis Christus est, ad Christum omnia hæc referenda sunt, cuius typus fuit Dauid, non solùm appellatione (sonat enim Dauid, fortis manu) sed etiam similitudine rerum gestarum. Est itaque hic sensus tituli, Verba cantici quæ Dauid locutus est Domino in die etc. & istud velut argumentũ est totius psalmi. Por-
Christus & filius Dei & seruus Dei. rò illud quod præcedit, In finem, puero domini Dauid, Hunc sensum habet psalmus siue canticum scriptum, siue cantatum à Dauid puero domini, siue vt ex hebræo vertit D. Hieron. seruo Domini. Nam apud 70. græca vox παῖς ambigua est, quæ significat filium, puerum, & seruum: sicut & latina vox, puer, aliquando seruum, aliquando filium denotat: vtrumque autem Christo conuenit, qui non modò filius Dei, sed & seruus Dei patris iuxta humanitatem dicitur. Sic enim Esaiæ 49. Deus pater vnigenitum suum alloquitur, parum est vt sis mihi seruus ad suscitãdas tribus Iacob & feces Israël conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea adusque ad extremũ terræ. Hic itaq; verus Dauid siue filius siue seruus Domini, id est, Dei patris, gratias agit Domino, quòd liberatus sit ab hostibus & Iudęis persequẽtibus, & de manu Saul, id est, diaboli, quem Iob regem appellat super omnes filios superbiæ: Christus verò in euangelijs principem mundi vocat. Hæc tamen ita de Christo accipienda sunt, vt tamen & corpori illius mystico, id est, ecclesiæ aptentur, iuxta primam regulam Ticonij, quæ est apud Augustinũ lib. 3. De doctrina christiana. ¶ B. Quod 70. verterunt
Firmamentum Petra. Rupes. στερέωμα, latinus interpres firmamentum, apud D. Hieron. ad veritatem Hebr. et 22. cap. 2. Regum, est petra, quod alij verterunt rupes. Per petram itaque aut rupem pręsidium munitissimum intelligimus: arces enim et vrbes rupibus impositę, non facilè ex-
Cornu quid in sacris literis sit. pugnantur. ¶ C. Cornu in sacris literis trita metaphora pro fortitudine vsurpatur. Vnde illud Abacuch propheta: Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, et illud psalmi: Cornua peccatorũ confringã, et alibi: Nolite exaltare cornu, id est, nolite ferocire, aut robur et fortitudinem vestram iactare: sumpta est autem metaphora à tauris et cornutis bestijs, quibus præcipuum robur et vis est in cornibus. Sic hoc loco cornu salutis appellat, firmam et solidam salutem, quam nemo subuertere potest. sic Lucæ 1. Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Aliquando pro regno inexpugnabili sumitur: Vnde psal. 131. Illic producam cornu Dauid, id est, regnum Dauid ibi exsurgere faciam, et Apocalyp. 17. Decem cornua, decem reges sunt.

¶ D.

¶ D. Torrentes iniquitatis eleganti metaphora turbas iniquorum vocat, quorum violēti & tumultuosi conatus & turbulentæ cōspirationes ad tēpus breue dominantur,& statim desinunt,& ad nihil rediguntur, non secùs ac torrens hybernis & pluuialibus aquis auctus,violentiùs exundat,& proruit ex mōtibus,& redeunte serenitate totus exsiccatur,eosdē vocat dolores mortis & inferni,quòd mortifero dolore inuidię, & diabolicis stimulis agitati vitę Christi insidiarētur,vnde & laqueos mortis appellat. Torrens quid allegoricè.

¶ E. In sacris literis per terram sæpe terrena corda, id est,homines terrenis voluptatibus & studijs dediti intelliguntur, vt apud Hieremiam: Terra terra terra,audi verbum Domini: Iidem & montium nomine,propter superbiam vocātur:horum fundamenta sunt dæmones,vt sanctorum fundamentum prophetæ et apostoli sunt. Sic cœlorum appellatione significantur apostoli et prophetæ, et in summa, omnes qui à terrenis desiderijs se sustollentes, cælestia et diuina contemplantur,vt Psal. 18. Cœli enarrant gloriam Dei: et Deut.32. Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei:hæc ergo terra adueniente Christo cōmota est, pænitudine anteactæ vitæ et salutari timore contremuit propter venturā irā et æterna supplicia peccatoribus præparata,et natæ sunt lachrymę ex cōpunctione cordis,quam per fumū allegoricè significat.Fumus enim lachrymas prouocat:Sic alibi vinum compūctionis appellat Dauid. Cōmouisti terrā et cōturbasti eam,sana cōtritiones eius, quia cōmota est: potasti nos vino cōpunctionis. Hinc autē exarsit ignis amoris diuini, et frigentia corda velut viui carbones, charitate flagrare cæperūt. Quod autē sequitur.Inclinauit cœlos et descēdit, hoc est, è cœlis demisit se vnicus Dei filius,quod priùs factū esse intelligimus,et postea terrā cōmotā,& ea figura prolepsis dicitur,quoties id quod postea factū est, ante tēpus narratur. Terra.

¶ F. Per caliginē Cassiodorus diabolū significari putat,cuius potestas calcata est,pedibus Christi subiecta.Verùm quoniā & Moyses ingressus dicitur mediū nebulæ siue caliginis anteq̃ arcanorū diuinorū cōscius fieret,per caliginē abditissima & imperscrutabilia mysteria rerū diuinarū vel sacrarū scripturarū intelligimus,in qua caligine diuinitas se abscōdit. De qua caligine multa Diony.in li.de mystica theologia. Vnde paulò infrà dicit,Deū posuisse tenebras latibulū suū,& eadē profunditas scripturarū appellatur,tenebrosa aqua in nubibus aëris,id est,in prophetarū scriptis,qui nubiū nomine sæpe denotantur. Est itaque hic sensus verborum Dauid: Deus homo factus ad terrena se demisit,attamen diuinitas eius, & incarnationis mysterium incomprehensibile permāsit,& idē post resurrectionē adscēdit super Cherubin, id est, super omnes angelorum choros:& fama illius celerior ventis penetrauit vsque ad fines vltimos orbis terræ:quamuis tamen cœlos adscenderit, habitat tamen in cordibus fidelium tanquam in suo tabernaculo,quod in circuitu eius est, quia inter suos indesinenter versatur. Caligo quid, Tenebræ & Aqua tenebrosa.

¶ G. Hæc quamuis iuxta literam vera sint: Post fulgura enim & tonitrua, huc illuc agitatis nubibus maior vis pluuiæ & grandinis descendere solet, & aliquando ignis è nubibus deijci, omnia tamen allegoricè ad euangelicam prædicationem apostolorum referenda sunt. Nam per fulgur aut fulgorem, illuminationem spiritus sancti intelligimus,cujus igne inflammati apostoli,velut nubes in omnes fines terræ transierunt irrigantes corda fidelium,intonantes verba Christi,& durissima corda gentium increpationibus velut grandine feriente, & amorem Dei accendentes. Vnde alibi Dauid.Qui educit nubes ab extremis terræ,et fulgura in pluuiam fecit.De his nubibus fulguribus et tonitruis idē Psal.76.Vocem inquit dederūt nubes.Etenim sagittæ tuæ transeunt,vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt chorusca tiones tuæ orbi terrę,cōmota est et contremuit terra. Fulgor, grādo, carbones ignis.

¶ H. Hæc verba grando et carbones ignis, hoc loco apud 70.interpretes gręcè non habentur.Vnde ex superiori versu huc translata videntur: nec sermo latinus hoc loco admittit nominatiuos cùm pręcesserit verbum dedit:Diuus tamen Hieronymus ad hebraicam veritatem addit verba hęc: Verùm is legit per accusatiuū vt referantur ad verbū, dedit,hoc modo: Altissimus dedit vocem suam,grandinem et carbones ignis. Idem tamen scribens ad Suniam et Fretellam,alteram lectionem non reijcit,causam reddens cur 70.secundo loco hęc verba non habeant.Tunc itaq; cùm nominandi casu leguntur, subaudiendū erit verbū descenderunt vt indicat Sebast.Munsterus,et ita intelligunt Felix Pratensis et Sanctes. Hiero. ad Suniam & Fretellam fratres.

¶ I. Aquarū et fontiū nomine,sępe in sacris literis dona spiritus sancti intelligūtur. Sic Ezech.36.Effundā super vos aquā mundam, et mūdabimini ab omnibus inquinamentis vestris.et Esaiæ 12: Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris: de hoc fonte et aqua Christus,Iohan. 4. Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquę salientis in vitam ęternam,et Iohan. 7. Qui credit in me,flumina de ventre eius fluent aquæ Fontes aquæ.

viuæ

uiuæ quod interpretans euangelista:Hoc autem (inquit) dixit de spiritu,quem accepturi erant credentes in eum. ¶ K. In latitudinē ducere, est libertati restituere & ab omnibus angustijs liberare,ducta metaphora ab ijs,qui ex vinculis & angustis carceribus educuntur.Sic.Psal.117. Exaudiuit me in latitudine Dominus:Et Psal.30. Nec conclusisti me in manibus inimici,statuisti in loco spacioso pedes meos.

Latitudo quæ sit.

Quoniam omnia iudicia [L] eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam,et secundum puritatem manuum mearum in cōspectu [M] oculorū eius.Cū sancto sanctus eris, & cū viro innocēte, innocēs eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso [N] peruertêris. Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis.Quoniam tu illuminas lucernam [O] meam Domine,Deus meus illumina tenebras meas.Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo trāsgrediar [P] murū.Deus meus impolluta via eius, eloquia Domini igne examinata, protector est omnium sperantium in se. Quoniam quis Deus præter Dominum?aut quis Deus præter Deum nostrum?Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam.Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, [Q] & super excelsa statuens me.Qui docet manus meas ad præliū, & posuisti vt arcum æreum brachia mea. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me.Et disciplina tua correxit me in finē, & disciplina tua ipsa me docebit.Dilatasti gressus meos subtus me,& non sunt infirmata vestigia mea.

Sic Leuitici 26. Quòd si nec sic volueritis recipere disciplinā, sed ambulaueritis ex aduerso mihi,ego quoq; contra vos aduersus incedam.

¶ L. Quadruplicia sunt Dei iudicia,quorum duo in præsenti exercentur, Duo alia in futuro exercebuntur.In præsenti enim tempore sanctos & electos suos varijs malis & afflictionibus sint affligi,vt velut aurū in fornacula probentur, & impij & scelerati vtātur prospero omniū rerū successu. In futuro autē iustis præmia æterna donabūtur: impij autē ęternis supplicijs tradētur,qui bona sua receperūt in vita sua. ¶ M. Non satis est puras manus, id est,vitę innocētiā habere hominū iudicio,nisi & apud Deum tales habeamur.Vnde bene addit,in cōspectu oculorū eius: Vnde Scribis & Pharisæis simulatā sanctimoniā prę se ferētibus dixit Christus.Vos estis,inquit,qui iustificatis vos corā hominib⁹:Deus autem nouit corda vestra. Quod enim apud homines altum est, abominabile est apud Deū. ¶ N. Deus cū homine sancto sanctus est,quia author ille est & fons sol⁹ omnis sanctimonię,qa à Deo Christus nobis factus est iustitia & sanctificatio:& cū electo homine Deus est elect⁹, quia electus Deū vicissim eligit, sicut Deus prior illū elegerat,& ad suā gratiā vocauerat.Et cū peruerso peruertitur, nō quòd De⁹ cuius viæ rectæ sunt,& æquissima iudicia,peruersus esse possit: sed peruertitur,quia iudicio hominis peruersi Deus existimatur peruersus. Sic enim Dominus per Ezechielē: Dixistis,nō est ęqua via Domini.Nunquid via mea nō est ęqua?& non magis viæ vestræ prauæ?vel Deus dicitur peruerti,quia sinit hominem malum peruerti, iuxta illud Apo.22.Qui iustus est, iustificetur adhuc:& qui in sordibus est, sordescat adhuc.Vnde Leuit. 26. comminatur Dominus. Si ambulaueritis peruersi, & ego vobiscum peruersus incedam. ¶ O. Lucerna hoc loco pro intellectu animæ interprete D.Hiero. sumitur:vt enim in tenebris nocturnis corporali lumine lucernę indigēt oculi,ita nisi à Christo illuminetur intellectus,in tenebris versatur animus noster. Vnde de ecclesia sub typo fortis mulieris, dictum est,Nō extinguetur in nocte lucerna eius. Et contrà de impijs dictum est:Extinguetur lucerna eius in medijs tenebris. ¶ P. Murum dicit peccata, quæ vt Paulus inquit, diuidunt nos et separant à Deo, hunc medium parietem

In conspectu Dei vel oculorum Dei quid.

Luc.16.cap.

Quo sensu dicitur Deus peruerti.

Lucerna quæ sit in nobis.

parietem macerie transijt & sustulit Christus, faciens pacem inter Deum & homines. Hinc Esaiæ 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. ¶ Q. Ceruorum natura est vt author est Plinius lib. 8. vt cum serpentibus pugnent. Inuestigant enim serpentum cauernas, & narium spiritu extrahunt renitentes, quare ceruorũ appellatione conuenientissimè sancti denotãtur, quibus pugna est cum dæmonibus, horum pedes, id est, desideria semper ad superna feruntur & pernici cursu ad cælestia tendunt. Vnde Abacuc 3. cap. Deus dominus fortitudo mea & ponet pedes meos quasi ceruorum: et super excelsa deducet me. etc.

Ceruorũ quæ sit natũra.

Persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant, Confringam illos nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos. Et [R] præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos [S] meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdisti. Clamauerunt, [T] nec erat qui saluos faceret ad Dominum, nec exaudiuit eos. Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum [V] delebo eos. Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filii alieni [X] mentiti sunt mihi, filii alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Viuit Dominus & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Deus qui das vindictas mihi & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis. Et ab insurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam. Magnificans salutes regis eius, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius vsque in seculum.

¶ R. Christus bellum gessit aduersus principem huius mundi, id est, diabolum cum quo congressus est in humana natura quem tyrannide sua & regno expulit. Vnde apud Ioannem dicit. Nunc iudicium est mundo, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. De hoc bello aduersus dæmones Dauid alibi ex persona Christi loquitur gratias agentis Deo patri de parta victoria, Psal. 143. Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum. Porrò dæmones, quandoque gentium, quandoque populorum appellatione significantur propter innumeram eorum multitudinem. Sic Esaiæ 63. Conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea & detraxi in terram virtutem eorum. Christus autem iuxta hominem assumptum præcinctus dicitur virtute, nam iuxta diuinitatem est patris dextera & fortitudo, sic psalm. 92. Dominus regnauit decorem induit, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.

Bellum quod Christus gessit.

¶ S. Dare inimicos dorsum, est hostes in fugam vertere: fugientes enim terga obuertunt hostibus. Vnde clariùs ex hebr. vertit D. Hieron. Hoc modo: Inimicorum meorum dedisti mihi dorsum. ¶ T. Istud non tam de dæmonibus quàm de membris illorum, id est, impijs: Iudæis perfidis & hæreticis intelligendum est, qui in suo interitu & suis calamitatibus extremis Deum inuocauerunt, inuocant hodie & inuocabunt, sed frustra. Postquam enim gratiæ tempus & dies salutis præterierit, nullus relinquitur pœnitentiæ locus: Vnde prouerb. 1. cap. Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit, tunc inuocabunt me & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me. ¶ V. Homines

 pecca-

Lutum platearum. peccatores vita & moribus impuros bene comparat luto platearum. Platea enim propriè lata est via, vnde à latitudine nomen habet: πλάτυς enim græcè, latus est latinè. Qui itaque per latam illam viam, quæ ad perditionem ducit, ambulant, semper se inquinantes vitiorum luto, delendi sunt de libro vitæ, nec in scriptura domus Israël vt propheta ait scribendi. Vnde Machabæorum 2. Peccator stercori assimilatur. Ne timueris inquit à verbis viri peccatoris, quia gloria eius stercus & vermis est, hodie extollitur & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio illius perijt. ¶ X. Per filios alienos, perfidos Iudæos intelligit, qui cùm filij Dei ante appellarentur, propter infidelitatem alienati sunt à Deo. Vnde Esa. primo cap. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum. Porrò claudicauerunt, interprete Hieron. quia patrem credunt, filium Dei non credunt: vel vt August. placet, quia vetus testamentum tenentes, nouum respuunt. Pro eo autem quod nos legimus, claudicauerunt à semitis suis, D. Hieron. ex hebr. vertit, contrahentur in angustijs suis. Quod optimè Iudæis conuenit, qui relinquentes spiritualem legis intelligentiam, includunt se inter angustos sensus historię & literæ. Quid enim angustiæ (inquit Hieron.) quàm scripturæ intelligentiam vinculis mortiferæ literę constringere.

Contrahuntur in angustijs suis Iudæi.

In finem psalmus David. *Psalmus XVIII.*

CAEli [A] enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Dies [B] diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ neque sermones [C], quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In [D] sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius. Et occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat [E] à calore eius. Lex [F] Domini immaculata, conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Iustitiæ [G] Domini rectè lętificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminãs oculos. Timor Domini sanctus [H] permanẽs in seculũ seculi, iudicia Domini vera iustificata in semetipsas. Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multũ, & dulciora super mel & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & [I] ab alienis parce seruo tuo. Si mei nõ fuerint dominati tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Et erunt vt complaceãt eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Domine adiutor meus, & redemptor meus.

Commentarium.

Psalmus hic commendat prædicationem nouæ, id est, euangelicæ legis, loquens vnà de incarnatione filij Dei. Deinde laudat pręcepta noui testamenti, quæ longè superant mandata & cæremonias legis Mosaicæ: tandem ab omnibus peccatis purgari cupit, vt tantis mysterijs & sacramentis dignus esse mereatur.

Cæli & firmamenti appellatione qui significentur. ¶ A. Quemadmodum terræ appellatione homines terrena sapientes significantur, vt annotauimus in psalmum præcedentem: ita cælorum nomine, apostoli præcipuè, & deinde cæteri eorum vestigia insequentes, denotantur, quòd eorum conuersatio, vt Paulus inquit, in cælis sit. Vnde Moyses in cantico suo, Deuteron. 32, Cælos & terram contestatur dicens. Audite cæli quæ loquar etc. Iidem & firmamenti appellatione significantur. Nam Genes. 1. legimus cælum, firmamentum etiam dici. Et appellat

appellat, inquit, firmamentum cælum, sic dictum à firmitate. Vnde Iob inquit: Cæli solidissimi, & quasi ære fusi sunt. Sic & Apostoli non immeritò à firmitate fidei firmamentum appellantur, à qua firmitate & princeps apostolorum Cephas, id est, petra dictus est. Hi itaque cæli, & hoc firmamentum, gentibus prædicarunt gloriam Dei, quomodo illi post ignominiam crucis data est omnis potestas in cælo & in terra, & nomen quod est super omne nomen, & annunciauerunt miranda illius opera quæ in terris gessit. ¶ B. Per diem, sanctos intelligit, vel apostolos, vel horum sectatores. Vnde Christus: Vos inquit estis lux mundi, & Paulus scribens Thessalon. Omnes enim nos filij lucis sumus et diei, non sumus noctis neque tenebrarum. Ita per noctem, peccatores in magna rerum ignorantia versantes intelliguntur, qui per Apostolorum prædicationem luce euangelica illustrati sunt. Hac tamen discretione & moderatione, vt altiora mysteria perfectis et illuminatis communicarent. Hoc enim est diem diei eructare verbum, et aliorum imbecillitati se attemperantes, simpliciora fidei nostræ dogmata traderent illis. Sic enim Paulus qui dies erat, velut nox factus est: prædicans euangelium cum Iudæis factus est tanquàm Iudæus: ijs qui sine lege erāt tāquam sine lege esset, et infirmis factus est infirmis: et omnibus omnia, vt omnes lucri faceret. Arnobius dicit, Noctem nocti indicasse scientiā, cùm Christus clausus in obscuris latebris vteri virginalis erudiuit Ioannē Baptistā similiter clausum vtero materno. ¶ C. Clariùs ex hebr. veritate reddidit D. Hieronymus. Non sunt loquelæ neque sermones, quibus non audiantur voces eorum. Est enim sensus. Apostolos, quos cæli & firmamenti appellatione significat, non eiusmodi idiomate, aut sermonis sublimitate vsos, vt non possint intelligi: Nam omnium gentium linguis locuti sunt. Et Paulus scribens Corinth. fatetur se non venisse in sublimitate sermonis: vel hic sensus est, Apostolos vsos omnibus linguis: nec fuisse idiomata aut linguas, quibus non sunt auditæ voces eorum, id est, quibus nō sunt locuti, et in hūc sensum Aug. interpretatur. ¶ D. Hoc est, filius Dei assumptionē humanę naturę, et corporis nostri mortalis quod per tabernaculū significat, in propatulo posuit, et omnibus notam esse voluit, vel interprete August. tabernaculum vocat ecclesiam quam posuit, non in occulto, sed in propatulo et manifesto. Nec enim sol cuiquam ignotus est, nec abscondi potest ciuitas, inquit Christus, super montem posita, et ipse ex vtero virginis, velut sponsus è suo thalamo processit, humanam naturam ceu sponsam sibi copulans. D. tamen Hieron. ad hebraicam veritatem ita reddidit, Posuit soli tabernaculum in eis, id est, parauit in cælis et firmamento habitaculum ipsi soli. ¶ E. Per calorem hoc loco, aut ardorem diuinæ charitatis accipimus, quæ non modò ad seruandos Iudæos se extendit, sed etiam ad omnes gentes: nec se tantùm erga pios et bonos, sed & erga malos & ingratos effundit benefaciendo singulis. Aut per calorem, fidem euangelicam accipimus, quæ aliquando in omnes fines orbis terræ se dilatabit, fraudibus Antichristi iam patefactis. Est enim græcè verbum futuri temporis ἀποκρυβήσεται, id est, abscondet. Sic enim enarrat Arnobius hunc locum. Nulla enim gens erit inquit in hoc seculo, ad cuius notitiam non attingat calor fidei christianæ. ¶ F. Quod noster interpres vertit immaculata, potest etiam verti irreprehensibilis, quomodo diuus Hiero. et Arnobius interpretantur, vt legem euangelicam intelligamus omnibus suis numeris perfectam, superare longo interuallo legem Mosaicam, quæ timore supplicij cohibebat manus ab operibus malis, sed non conuertebat animas ad Deum per charitatem, vt lex facit euangelica. Hinc apostolus scribens Romanis, legem Mosaicam infirmam vocat. Et ad Heb. dicit, legem nō potuisse perducere ad aliquid perfectum, et vetus testamentum non caruisse reprehensione. Si enim prius inquit testamentum culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. ¶ G. Non est græcè iustitiæ, sed δικαιώματα, id est, iustificationes. Porrò iustificationes, vt author est Hilarius, sunt ea præcepta legis veteris, quæ aliud quiddam mysticum significant, quàm re ipsa exteriori repræsentāt, vt agni immolatio, carnis circuncisio, septimi anni remissio, quę in lege euangelica iam non typicè vel vmbraticè, sed reuera exercentur. Spe itaque futurarum rerum lętificabunt corda piorum iustificationes legales: sed iustificationes, id est, præcepta euangelica, veram iustitiam conferentia, re ipsa et præsenti gratia lætificant corda credentium.

¶ H. Diuus Hieron. ex hebraica veritate interpretatur: Timor Domini mundus, et ita est gręcè apud 70. interpretes, ἁγνὸς, id est, castus siue purus. Is autem castus siue mundus timor, qui nō ex flagitiosa et perturbata conscientia nascitur, sed qui ex chari-

Dies.

Nox.

Calor.

Lex immaculata græcè ἄμωμος, id est, irreprehensibilis.

Iustificationes quæ.

charitate profluit & illi perpetuò coniunctus est; nam seruilem illum timorem perfecta charitas eijcit. Cùm igitur charitas iuxta Paulum nunquam excidet: igitur nec timor hic castus perpetuò illi cohærens. ¶ I. Non ab alienis peccatis sibi parci orat propheta, quamuis plures ita interpretentur. Si enim peccata intelligeret, debuisset vertere interpres: Si mei non fuerint dominata. Quare non ad rem, sed ad personam referendum est, vt accipiamus per alienos, dæmones qui authores sunt omnis superbiæ, quod satìs constat ex diuo Hieron. qui hunc locum ita vertit ad hebraicam veritatem. A superbis quoque libera seruum tuum, & hoc vitium bene vocat maximum, siue vt græcè est magnum, quomodo & August. legit, cuius hæc sunt verba. Quod illud est delictum magnum? Delictum magnum arbitror esse superbiam. Quæritis quàm magnum sit hoc delictum? Quod deiecit angelum, quod ex angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit regnum cælorum. Magnum hoc delictum, & causa omnium delictorum. Initium enim omnis peccati, superbia: Hæc ille.

Timor castus siue purus.

Quod magnũ siue maximum delictum.

In finem psalmus [A] *Dauid.* *Psalmus* XIX.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomẽ [B] Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, & holocaustum [C] tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet. Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognoui [D] quoniam saluum fecit Dominus Christum suum. Exaudiet illum de cælo sancto suo, in potentatibus [E] salus dexteræ eius. Hi in curribus, & [F] hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus. Domine saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

Hebraicè sic, Nos autẽ nominis Domini Dei nostri recordabimur. Ipsi incuruati sunt & ceciderunt etc. Dñe salua. Rex exaudies nos in die qua inuocauerimus te.

Commentarium.

¶ A. Psalmus hic ex persona fidelis populi siue ecclesiæ scriptus est à propheta imprecantis omnia fausta & prospera Christo iam aggredienti opus nostræ redemptionis, & omnia hæc precatur Christo iuxta humanitatem, vtpote qui formam serui acceperat: optat autem omnia illi fausta: primùm, vt regi qui cum principe huius mũdi, id est, diabolo conflicturus sit. Deinde vt sacerdoti, qui pro peccatis mũdi seipsum oblaturus sit in ara crucis Deo patri in gratissimum holocaustum. ¶ B. Nomẽ Dei Iacob est, vnicus Dei filius, q reiecto sanguinario et prophano Esau, id est, iudaico populo: Iacob, id est, iuniorem populum, hoc est, christianum elegit & dilexit. Vnde & Gabriel angelus de regno Christi dixit, & regnabit in domo Iacob in æternum. Precatur itaq; ecclesia, vt diuinitas filij Dei protegat hominem assumptum, & totum illius corpus mysticum, id est, ecclesiam. ¶ C. Inter hostiam siue victimam & holocaustum hoc interest, quòd omne holocaustum est hostia siue victima, at non è diuerso: nam holocaustum siue holocautoma erat hostia, quæ tota comburebatur in honorem Dei, vnde & nomen habet. Nam ὅλως significat prorsus siue omnino, & κάιομαι, cuius futurum est, καύσομαι est comburor: nam in reliquis hostiis pectusculum & armus dexter cedebat in partem sacerdotum vt docet liber Leuiticus cap. 7. Quare inter sacrificia veteris legis holocausta dignissima habebantur & Deo gratissima. Christus itaque, qui totum se impendit nostræ saluti, & seipsum obtulit Deo patri in odorem suauitatis, meritò holocaustũ obtulisse dicitur. Quod autẽ 70. verterunt μεγαλυνθησόμεθα, id est, magnificabimur. D. Hier. ex hebræo vertit, ducemus choros. Alij verterunt, triumphabimus, vel erigemus vexillũ: nã hebraicũ verbũ dagal, significat erigere vexillũ. ¶ D. Istud ad resurrectionis Christi & adscensionis tẽpus referẽdũ est, cùm data est illi potestas omnis in

Nomen Dei Iacob.

Holocaustum quid à reliquis differat.

nis in cęlo & in terra et deprædans infernum,& spiritum sanctum fudit in discipulos, quo diffuso in corda fidelium,remissionem peccatorum & æternam salutem à Christo Saluatore consecuti sunt. ¶ E. D.Hier.ad hebraicam veritatem ita reddidit hunc locum.Exaudiet eum de cælo sancto suo,in fortitudine salutis dexteræ eius. Pro quo 70.verterũt,in potẽtatibus sal⁹ dexterę eius,ponẽtes nimirũ nominatiuũ pro genitiuo. Est itaq; hic sensus. Salus dexterę eius,id est,salus quã Dei filius operatus est in medio terræ,est in potẽtatibus,id est,administratur per potẽtatus,id est,per apostolos et eorũ sectatores,quorũ potestas tãta fuit,vt cõculcarent serpẽtes & scorpiones,et omnẽ virtutem inimici,quibusq; data est potestas ligandi & soluendi, dimittendi & retinendi peccata. De quo potentatu Dauid alibi: Mihi inquit, nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. ¶ F. Per currus,D.Aug.& itidem Hieron.voluptates mundi & cupiditates seculi mysticè intelligunt,quòd volubili successione rerum temporalium ceu curribus trahantur amatores huius seculi: per equos autem,superbiã ferè perpetuò significant sacræ literæ.Vnde toties mentio fit curruum & equorum Pharaonis, hoc est, principis huius mundi.His enim vitijs,superbia videlicet,voluptate & cupiditatibus maximè expugnat corda humana.Alioqui iuxta literam sensus esse potest, alios in humanis viribus confisos corruisse, Dei autem auxilio fretos surrexisse & vicisse.

Quid sint potentatus.

Currus,& equi.

In finem psalmus Dauid. *Psalmus XX.*

DOmine in virtute tua lętabitur A rex,& super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti B eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite C eius coronam de lapide precioso. Vitam petiit à te & tribuisti ei, longitudinem dierum in seculum et in seculum seculi. Magna D est gloria eius in salutari tuo, gloriam & magnum decorem imponens super eum. Quoniam E dabis eum in benedictionem in seculum seculi, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Quoniam rex sperat in Domino,et in misericordia altissimi non commouebitur. Inueniatur F manus tua omnibus inimicis tuis,dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Pones G eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui,Dominus in ira sua conturbabit eos,& deuorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum. Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt H consilia quæ non potuerunt stabilire. Quoniam I pones eos dorsum,in reliquiis tuis præparabis vultum eorum. Exaltare Domine in virtute tua,cantabimus & psallemus virtutes tuas.

D.Hier.ad hebraicam veritatem ita reddidit hunc versum. Quoniam pones eos humerũ, & funes tuos firmabis contra facies eorum.

¶ A. Regem appellat Christum,quem vt Ioannes in Apocal.appellat Regem regum & Dominum dominantium.Sic enim & præcedenti psalmo, de Christo loquebatur. Domine saluum fac regem. Christus itaque lætatus est in diuinitatis potentia, qua mundum vicit,& tyrannũ humani generis diabolum spoliauit.Erat, enim inquit Paulus, Deus in Christo mundum reconcilians sibi. Vnde & vehementer exultauit iuxta formam serui assumptam de salute quam per eum pater daturus erat mundo, paruulis & humilibus reuelans arcana illa cælestia.De hac exultatione nõ tacuit Lucas cap.10.In ipsa hora inquit exultauit Iesus in spiritu sancto & dixit: Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ,quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus,& reuelasti ea paruulis. ¶ B. Præuentus est in benedictionibus Christus,quia omnes illæ benedictiones patriarcharũ,quotquot erant ante aduẽtum Christi,respiciebant Christum, & in illis figuratus & prænotatus est Christus. Vt cùm in paradiso benedixit Deus Adam & Euæ,mysticè benedictus est Christus & ecclesia,quæ ex latere eius renata est: Sic benedictio Melchizedec Christum repræsentabat: Benedictio Iudæ &

Christus lætatus in virtute Dei patris.

Corona ex lapide precioso quæ sit.

Ioseph, qua Iacob illis benedixit, Christũ denotabat, & ita in cæteris. ¶ C. Porrò corona de lapide precioso, quo Christus coronatus est à Deo patre, credentiũ ecclesia est, quæ viuis lapidibus & preciosissimis gemmis constat. Vnde & Paulus scribẽs Philip. vocat eos gaudium suum, & coronã suam. ¶ D. Magnũ enim est, inquit Hier. hominem assumptum esse ad dexteram patris, id est, Christum secundum humanam naturam eiusdem potẽtiæ gloriæ & maiestatis esse cum Deo patre, id enim est, ad dexteram patri residere. Hæc autem gloria Christo contigit propter salutis & redẽptionis humanę dispensationẽ, de hac gloria apostolus scribens Philippensibus. Humiliauit semetipsum formam serui accipiens etc. propter quod Deus exaltauit illũ, & dedit illi nomen quod est super omne nomẽ, id est, Deũ & Dei filiũ appellauit hominẽ assumptũ; quod profectò nomen est super omne nomẽ, vt Basilius inquit, & vt in Iesu nomine omne genu flectatur. ¶ E. Apud 70. græcè est. Dabis ipsi benedictionem in seculum seculi. Quomodo & Aug. legit enarrans hunc psalmum, & similiter D. Hier. D. tamen Hiero. Ad heb. veritatẽ nobiscum legit: verùm is loco verbi (dabis) legit pones. Est itaq; hic sensus, Dabis eum in benedictionem, id est, pones siue efficies vt ipse sit benedictio in perpetuum, in quo omnes gẽtes benedicendæ sunt. ¶ F. Hucusq; interprete Hier. propheta locutus est ex persona ecclesiæ ad Deum patrem de humanitate Christi: nunc verò loquitur ad diuinitatem eiusdẽ. Arnob. autem hoc loco patrem vult loqui ad filium: vtraque autem interpretatio accommoda est huic loco: pater enim omne iudicium dedit filio vt Ioannes inquit. ¶ G. Interprete Arnobio hæc ad diem iudicij & impiorum supplicia referenda sunt, quamuis nonnulli hæc in bonam partem torquere nitantur. Augùst. autem cum Arnob. sentit. De hoc igitur & Apost. cap. 1. posterioris epistolæ ad Thessalonicen. Iustum est apud Deum inquit, retribuere vobis qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis dãtis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum & non obediunt euangelio. ¶ H. Consilium illud prophetico spiritu vidit Dauid, quod inierunt principes Iudęorum ad abolendam gloriam & nomen filij Dei, crucifigentes eum & ignominiosè illum suspendentes inter latrones: nam per crucis ignominiam, multo illustrius factum est nomen Christi: & postquam resurrexisse verè audierunt, alterum cæperunt consilium, quod similiter irritum factum est, corrumpentes pecunia custodes sepulchri, vt dicerent, se dormientibus, corpus Christi furto ablatum esse ab Apostolis. ¶ I. Dorsum ponere, est eos facere similes dorso incuruato, vt nihil nisi terrena sapiant & inquirant, nec vnquam cælestia contemplentur. Hinc psalmo 68. eadem imprecatur Dauid videns spiritu prophetico pertinaciam & perfidiam Iudæorum. Fiat inquit mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum ne videãt, & dorsum eorum semper incurua: vel dorsum pones, id est, à te repelles, vt non faciem, sed dorsum & terga tibi vertant. Et pręparabis, id est, permittes vt pręparetur vultus eorum, id est, vt exerceãt iram & sæuitiam suam in reliquijs tuis, id est, in apostolos & eorum successores.

Dorsum ponere hostes.

In finem psalmus Dauid pro susceptione matutina. *Psalmus XXI.*

DEus Deus A meus respice in me, quare me dereliquisti? longè B à salute mea verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem C & nõ exaudies, & nocte, & non ad insipientiã mihi. Tu autem in sancto habitas, laus Israël. In te sperauerũt patres nostri, sperauerũt, & liberasti eos. Ad te clamauerũt, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi. Ego autem sum D vermis & nõ homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Omnes vidẽtes me deriserunt me: locuti sunt labiis, et mouerũt caput. Sperauit in Domino, eripiat eũ: saluũ faciat eũ quoniã vult eum. Quoniam tu es qui E extraxisti me de ventre matris meę, ab vberibus spes mea, in te proiectus sum ex vtero. De vẽtre matris meę Deus meus es tu, ne decesseris à me. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet. Circundederunt me F vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerũt super me os suum, sicut

Sic Matth. Prætereũtes autem inquit, mouebant capita sua dicentes: Vah qui destruis templum Dei, salua teipsum, si filius Dei es, Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet nũc eum si vult: dixit enim, quia filius Dei sum.

sicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa [G] mea. Factum est cor meum tanquam [H] cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerẽ mortis deduxisti me. Quoniam circũdederũt me canes [I] multi, cõciliũ malignãtiũ obsedit me.

Titulus psalmi huius hic est: In finem pro susceptione matutina. Psalmus autem hic vt ex euangelijs constat, sacramentũ dominicæ passionis & resurrectionis euidentissimè complectitur. Quod autem apud nos, latinè est susceptio, græcè est ἀντίληψις, quod propriè significat adiutorium aut succursum. Nam ἀντιλαμβάνομαι, est succurrere, & quasi porrecta manu retinere alioqui lapsurum aut abiturum, adiuuare & opitulari, quod verbum latinus interpres perpetuò vertit per verbum suscipere. Susceptio itaq; matutina, fuit Christi resurrectio, qua manè prima sabbati, vt Marcus inquit, à Deo patre suscitatus est à morte: tunc enim mortuæ humanitati succurrit diuinitas, eãq; immortalitate donauit. Canitur itaq; hic psalmus ex persona Christi implorãtis iuxta hominem assumptum auxilium Dei, & desiderantis resurrectionem è mortuis, vt nouellum populum christianum & nouam condat ecclesiam Deo patri. Hebraicè autem hic titulus est apud D. Hieron. Victori pro ceruo matutino, quæ inscriptio ferè eodem tendit. Nã Ceruus hic Christus est, qui manè surgẽs flato suo serpentem diabolum extraxit è latebris suis & interemit. ¶ A. Illud, respice in me, 70. interpretes de suo addiderũt, quod D. Hieronymus ad Heb. veritatem non addit. Nec Euangelista Matthæus interpretans hebraica verba huius psalmi, quæ Dominus in cruce exclamauit: Eli, Eli, lamma sabachtani, hoc est, inquit Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me. Istud autem de homine assumpto intelligitur, non quòd ab eo separata fuerit diuinitas vnquam, sed quòd in depellendis supplicijs & crucis ignominia, nihil auxilij tulit humanitati diuinitas, quæ ideo visa est relinquere hominem assumptum, quòd totum illum tradidit voluntati hostium suorum, vt & Iudæis dixit iam capiendus, hęc est hora vestra & potestas tenebrarum: vel iuxta Augustinũ, relictus est Christus, quia membra illius, id est, humanum genus propter peccata à Deo relictum erat, cui interpretationi satis congruit quod sequitur. ¶ B. Sua delicta vocat, delicta membrorum suorum, id est, nostra propter capitis & membrorum affinitatem, & hic est sensus, interprete Hieronymo. Quòd me conqueror derelictum, & quòd salutem precor, nõ ex propria persona loquor, sed ex persona populi, cuius peccata in meo corpore suscepi. Vnde dico: Verba quæ fundo, longè sunt à mea salute: non enim mihi salutẽ postulo qui Deus sum, sed mẽbris meis quæ salute indigent. ¶ C. In diebus carnis suæ, petens trãsferri à se passionis calicem, non est exauditus. At nocte clamat, cùm in monumento conditũ esset corpus, & exauditus est: nec clamor illi cessit ad insipiẽtiã, quia nõ frustra: nec stultè clamat: nõ enim in inferno derelictus est, nec caro illius vidit corruptionẽ. Heb. autẽ apud D. Hier. sic legitur versus hic: Et nocte, nec est silẽtiũ mihi. ¶ D. Vermem se dicit, propter humilitatẽ assumptę carnis, quæ maximè patuit in passione, cùm ab omnibus cõculcatus est: nihil enim verme contemptius vel abiectius est, qui statim vbi prorepserit, pedib⁹ cõculcatur. Nec ratione caret, quod vermi se cõparat: Vt enim vermis nascitur è lignis sine cõmixtione alicuius aut coitu, ita & Christus ex virgine. Quare nõ inficiatur se verum hominẽ, sed talẽ hominẽ, quales nos qui ex cõcubitu nascimur: Sic & Regũ 2. cap. 23. De filio Dei sub persona Dauid legimus. Sedẽs in cathedra sapientiss. princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. ¶ E. Duo hi versiculi clarissimè testãtur in Christo verã fuisse naturã humanã & carnẽ per omnia nostræ carni similẽ, excepto peccato. Sicut enim nos ex sanguine materno cõstamus, & ex matris visceribus partus tẽpore auellimur, ita & Christus natus est ex virgine matre. Vnde & Tertull. in lib. De carne Christi vtitur testimonio hoc aduersus hęreticos, qui negabãt in Christo verã fuisse carnẽ. Nec eũ ex virgine, sed per virginẽ natũ, vt videlicet nihil de matre sumpserit, sed p eã velut per canalẽ quẽdã fusus sit, & verbũ quidẽ carnẽ factũ, sed ex se, nõ ex matre virgine: Eius verba hęc sunt. Auulsisti inquit ex vtero. Quid auellitur, nisi quod inhæret? quod infixum, innexum est ei quo auellitur: & paulò infrà: Si Maria non filium, sed hospitẽ in vtero gestabat Iesum, quomodo dicit Elizabet: Benedictus fructus ventris tui? siue beatus fructus vteri tui? ¶ F. Vituli appellãtur Iudæi, propter lasciuiam & vitam voluptatibus dissolutam. Sic Hierem. 46. Vitula

Susceptio & suscipere.

Septuaginta de suo addidere.

Quomodo Christus derelictus.

Die nõ exauditus, sed nocte Christus.

Quare Christus vermis dictus.

Tertullian. de carne Christi.

Vituli.

Tauri.

elegans atque formosa Ægyptus simulator veniet ei ab Aquilone. Mercenarij quoq; qui versabantur in medio eius, quasi vituli saginati. Porrò tauros appellat, pontifices & principes Iudæorum propter ferociam & superbiã: pingues autem, vel propter opulentiam vel maliciæ exuberantiam. Nam pinguedo siue adeps in sacris literis ferè semper in malam partẽ sumitur, aut pro vitijs carnis, aut pro crassiori & carnali sensu. Vnde lex vetuit Iudæis, nec sanguine, nec adipe vesci: sed in sacrificijs sanguinem effundere & adipem adolere & comburere. ¶ G. Quoties litera, id est, exterior sensus verborum non satis sibi constat, ad allegoricos & mysticos intellectus confugiendum est, vt hoc loco: Nam si propriè accipias hoc loco ossa, falsum erit de Christo quod dicitur: Nam illius ossa nusquam dispersa legimus, maximè cùm Iohannes dicat crura non confracta fuisse Christo sicut latronibus factum est, eò quòd scriptura dicat, Os non comminuetis ex eo. Ossa itaque hoc loco dicit Apostolos, qui erant futuri firmamentum mystici corporis, id est, Ecclesiæ Christi. Hi enim in passione Christi fugerunt & dispersi sunt, relicto Christo in manibus hostium. ¶ H. Hęc iuxta literam accepta, etiam vera fuerũt in Christo. Nam de eo legimus, quòd imminẽte passione eius, timere & pauere cœpit adeò vt sanguineum sudorem emitteret: Timore autem cordis vigor resoluitur: vnde & molli animo tales esse dicuntur: sicut qui robusto animo, qui minimè formidãt. Vnde poëtę illud: Tantum si pectore robur concipis, & illud similiter Horatianum. Illi robur & ęs triplex circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelago ratem. ¶ I. Canes vocat propter impudẽtiam & maledicentiam. Iudæi enim perpetuò oblatrarunt euangelio: Vnde ad Philip. 3. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem: Nos enim sumus vera circuncisio.

Ossa quæ?

Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, et super [K] vestem meam miserunt sortem. Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defensionem meam cõspice. Erue [L] à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Qui timetis Dominum laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum. Timeat eum omne [M] semen Israël, quoniã non spreuit neque despexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciẽ suam à me, & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me. Apud te laus mea in ecclesia magna, vota [N] mea reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirũt eum, viuent corda eorum in seculum seculi. Reminiscentur & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ. Et adorabunt in cõspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Manducauerunt [O] & adorauerunt omnes pingues terræ, in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram Et anima mea illi viuet, et semen meum seruiet ipsi. Annunciabitur Domino [P] generatio ventura, et annunciabunt cœli iustitiam eius populo qui nascetur quem fecit Dominus.

Sic Matt. & sedẽtes seruabãt eũ, expectantes an Helias venturus esset liberaturus eum.

Apud te, græcè est παρὰ σοῦ, id est, à te, vt intelligamus Deũ patrẽ authorẽ esse omnis laudis quã habet in ecclesia Christus.

¶ K. Vestem intelligit inconsutilem: De qua Iohannes Euangelista cap. 19. Milites inquit cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & tunicam, & fecerũt quatuor partes, vnicuique militi partem: Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum, dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vestis itaq; hæc siue tunica non consuta, sed vno & eodem contextu facta, fidem significat vnius ecclesiæ Catholicæ illibatã, nec vllis hæreticorum assutis dogmatibus

Vestis inconsutilis.

matibus violatam, quam licèt sæpiùs conentur scindere hæresiarchæ, integrá tamen perpetuò manet, quãuis sacraméta ecclesiæ (quę per cætera vestiméta partita significã- Vestiméta partita.
tur) sibi vendicét hæreticorũ cõuenticula: habent enim & illi baptismi, cõfirmationis, & eucharistiæ sacramenta, quæ quoties legitimè celebrãtur apud illos, vera sunt non minus atq; nostra. ¶ L. Hæc vel ad Christũ referri possunt, vt frameã appellet Iudæorũ obstinatã maliciã: vel ad corpus illius mysticũ, vt frameã vocet potestaté maligni spiritus, qui se armat linguis blasphemis hæreticorũ, vt seducendo fideliũ animas iugulet: vnde & canes vocat eosdé propter maledicentiã. Vnicornes dicti sunt ab vno Vnicornis qui
cornu, quod in fronte illis est media, eminens ad duos cubitos authore Plinio. Vnde Monoceros.
grecè Monocerotes dicũtur: κέρατα enim cornua appellant, hos auté nutrit Æthiopia. Est auté fera omniũ asperrima, capite ceruino, pedibus elephanti, & apri cauda, reliquo verò corpori equo similis, rugitũ grauẽ habet, & tãtæ feritatis est, vt viuam hanc capi posse negét vt author est Pli.lib.8.cap.21. Ferocia itaq; & crudelitas Iudæorum benè per Monocerotis cornua significatur. ¶ M. Per semen, id est, posteros Iacob, qui & Semen Iacob.
alio nomine Israël dictus est, nõ Iudæi intelligendi sunt, tametsi iuxta carnalé pro- Semen Iraél.
paginẽ semé sint Iacob et Israëlis. Nõ enim omnes, vt Paulus inquit, qui ex Israël sunt, ij sunt Israelitæ: neq; qui semen sunt Abrahã, omnes filij. Verùm itaq; semen Iacob ij sunt, qui fidé sectãtur ipsius Iacob & supplantãt carnẽ, mundũ & diabolum, quique per baptismũ illuminati, iam Deũ contemplantur oculis fidei, ij sunt verum semen Israël. Vnde & Apostolus Paulus cap.6.ad Galath. Quicunq; hãc regulam (inquit) secuti fuerint, pax super illos & securitas, & super Israël Dei: appellans Dei Israelem ad distinctioné carnaliũ Iudæorũ, qui iam desierũt esse populus Dei. ¶ N. Vota quæ Chri- Vota Christi
stus se redditurũ aut soluturũ dicit, erant hæc, quòd per morté non rediret in cælum quæ fuerunt.
priusquam nouũ populum, id est, Christianum Deo patri acquisiuisset: & spiritualem domum, id est, ecclesiam, in qua per fidé Deus habitaret, in apostolis & discipulis fundasset. De quibus votis ita alibi inquit, sub persona Dauid de se loquens: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Sicut iurauit Domino, votũ vouit Deo Iacob: Si introiero in tabernaculum domus meæ etc. donec inueniam locum Domi- Psal.131.
no, tabernaculum Deo Iacob. ¶ O. Suprà dixit, pauperes, id est, humiles & alienos à terrenis cupiditatibus edisse & saturatos esse, & Dominum laudasse. Pingues autem manducasse quidem, et adorasse, sed nõ saturatos, quia renuunt imitari Christum, nec sitiunt, nec esuriunt iustitiam, ideò inanes relinquuntur. Pingues enim vocat homines carnales et terrenis opibus inhiantes. August. et item Hieron. in Cõmentarijs suis, pro pingues, legunt diuites: vnde Luc.1: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

¶ P. Datiuus hoc loco, vel acquisitiuè ponitur, vt sensus sit, annunciabitur, id est, euãgelizabitur ad Domini honoré: vel potest resolui in ablatiuũ mediante præpositione, vt sensus sit, generatio ventura, id est, popul⁹ christian⁹ ex gétibus collectus, qui ante Christi aduẽtũ venturus erat, is annũciabitur Domino, id est, à Domino accipiet lætum nuncium, pœnitentibus nimirũ appropinquare regnũ cælorũ. Sic enim apud Esaiam Dominus dicit se missum à patre, vt pauperibus euangelizaret, id est, lęta nunciaret, quod fecit per apostolos quos cæli appellatione significat, vt psalmo præcedenti dictum est, quamuis apud 70. grecè non addatur cæli, sed tantũ annunciabunt, vt intelligas nominatiuũ apostoli. Vnde et Hieronymus ad hebraicam veritatem, sic legit: Venient, et annunciabunt iustitiam eius populo, qui nascetur quem fecit Dominus.

Psalmus Dauid. Psalmus XXII.

DOmin⁹ A regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuę ibi me collocauit. Super B aquã refectionis educauit me, animã meã conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suũ. Nã & si ambulauero in medio C vmbrę mortis, non timebo mala, quoniã tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu tuo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus est. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Et vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Heb. Sic distinguitur interprete Hier. Et calix meus inebriãs. Et benignitas & misericordia tua subsequetur etc.

¶ A. Psal-

¶ A. Psalmus hic ex persona fidelis cuiusque animę canitur à propheta, gratulantis sibi de immēsis beneficijs à Christo præstitis, quæ longè exuperant terrenas illas et iudaicas benedictiones. Quod autem latinus interpres vertit, regit, August. legit, pascit me: est enim græcè verbū, ποιμαίνω, quod propriè pasco significat. Metaphoricè autem rego: Multa enim à brutis animantibus ad homines transferuntur, et ediuerso. Verùm quia pascuę meminit, meliùs cum August. legimus, Dominus pascit me. Nam sic etiam hebraicè legi annotat D. Hieronymus, qui primum hunc versiculum ad hebraicā veritatem ita transtulit: Dominus pascit me, nihil mhi deerit, in pascuis herbarum acclinauit me. Sic enim promittit Ezechiel. 34. Ego pascam oues meas, et ego eas accubare faciam. In pascuis vberrimis pascam eas, in montibus excelsis Israël erunt pascua earum. Sic contra per Zachariam comminatur: Non pascam vos: quod moritur, moriatur. ¶ B. Per refectionis aquam, dona Spiritus s. intelligit, quę restinguunt sitim terrenarum cupiditatum, quæ ita reficit nos, vt hac confortati è puluere terræ emergamus & ad cœlestia feramur, de qua Christus apud Iohan. 4. cap. Omnis (inquit) qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitā æternam. His autem aquis nemo reficitur, nisi in loco pascuę, id est, in ecclesia catholica collocetur: vel vt græcè sonat, habitet. Est enim græcè, κατασκηνῶ, quod propriè significat, velut in tabernaculo habito, vel habitare facio. In ecclesia enim catholica animæ spirituali pabulo sacramentorum & scripturarum reficiuntur: de his pascuis Dominus loquitur Iohan. decimo. Ego inquit sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. ¶ C. Vmbra ex duab⁹ rebus nascitur, ex corpore opposito, & luminis priuatione. Quoniam autem omne corpus mortale et corruptibile est, per vmbram mortis rectè mortalitatem accipimus, quod illa sit non vera, id est, animæ mors, sed vmbra quædam veræ illius mortis: de qua Dominus per Zachariam dixit, Ero mors tua ô mors. Cùm autem & luminis priuatione cōstet vmbra, rectè ignorantiam rerum diuinarum, per vmbram mortis accipimus, quòd hęc ignorantia mortem animæ generet. De hac vmbra mortis cecinit Zacharias Luc. 1. Illuminare, vel vt græcè est, illucesce his qui in tenebris et in vmbra mortis sedent: et Esaias, Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. ¶ D. Baculus tropo hebraico aliquando auxilium denotat, aut subsidium. sic Regum 4. cap. 18. An speras in baculo arundineo atq; cōfracto Ægypto. et Leuit. 26. Postquam confregero in te baculū panis: & Esaię 14. Contriuit baculum impiorum: Aliquando solatiū aut prę-sidium denotat vt Tob. 10. Heu fili, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorū nostrorum, baculum senectutis nostrę, solatium vitæ, et spem posteritatis nostrę? quomodo et hic sumitur. ¶. E. Caput, in sacris literis sæpe significat principale cordis, hoc est, principē animi nostri partem quam græci ob id, ἡγεμονικόν vocant: nos mentem appellare possumus: quod enim caput est in corpore, id mens in animo: vt enim ex capite regitur vniuersum corpus, ita mente gubernātur omnes motus animi. Oleū autem hoc loco spirituale lętitiā denotat, quam & Paulus inter fructus spiritus numerat ad Galat. 5. De quo psal. 44. Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. ¶ F. Suum calicem vocat, quòd à Deo nobis in sacrificio missę porrigatur, quem bene inebriantem vocat, quòd animam obliuisci faciat omnium terrenarum rerum, & mirabili quadam potestate totum hominem rapiat & trāsformet, ad quem calicem mysticum & mensam diuinarum scripturarum nos inuitat æterna Sapientia. Prouerb. 9. cap. vbi sic legimus. Sapientia ædificat sibi domum, excidit columnas 7. Immolat victimas suas, miscuit vinū, & proposuit mensam suam, & insipientibus locuta est. Venite comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis: De hac mensa, & hoc calice, plura vide apud Dionysium Areopagitam in epistola ad Caium.

Pascere metaphoricē pro regere, vt græcè quoque ποιμαίνειν.

Aquæ refectionis quæ sint.

Pascuæ locus quis sit.

Vmbra mortis.

Baculus.

Caput animæ quod sit.

Psalmus [A] *Dauid prima Sabbati. Psalmus XXIII.*

DOmini est terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo. Quia ipse super maria [B] fundauit eum, & super flumina prępárauit eum. Quis adscēdet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mūdo corde, qui non accepit

accepit in vano [C] animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiã à Deo ſalutari ſuo. Hęc eſt generatio quęrentiũ Deũ, quęrentiũ faciẽ Dei Iacob. Attollite [D] portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. [E] Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum [F] ipſe eſt Rex gloriæ.

¶ A. Pſalmus hic apud hebræos nullum titulum habet, quàm pſalmus Dauid. Verùm apud 70. græcè iſte titulus eſt, Pſalm⁹ Dauid, τῆς μιᾶσ σαββάτων, id eſt, vna ſabbatorum. Interpres autem noſter ſenſum magis reddens, quàm verba, vertit: Prima Sabbati, qui titulus ſine dubio ſacramentum reſurrectionis dominicæ ſignificat. Saluator enim noſter, vt Marcus inquit, Surgens manè prima ſabbati, primùm apparuit Mariæ Magdalenæ etc. Idemque habet eodem capite. Vna ſabbatorum (inquit) veniunt ad monumẽtũ. Itidẽ & Lucas habet: Quare perinde eſt, ſiue legamus prima ſabbati, aut vt græcè eſt, vna ſabbatorum: vtrobique enim reſurrectio dominica inſinuatur. Porrò ſabbati aut ſabbatorum nomine, non 7. dies ſignificatur hoc loco, ſed tota ſeptimana, à præcipua nimirum parte facta denominatione. Per reſurrectionẽ itaq; terra & plenitudo eius, id eſt, eccleſia per totum orbem ſparſa, quæ antè erat principis tenebrarum, facta eſt Domini Ieſu, cui omnis poteſtas data eſt in cęlo, & in terra, vt Matthęus habet.

Prima Sabbati & prima Sabbatorum idem.

¶ B. Iuxta Phyſicã rationẽ hęc vera ſunt. Terra enim vndiq; aquis cooperta, ab aquis & aëre cingẽtibus eã ſuſtinetur, quæ res magnificẽtiã & incõprehenſibilem Dei oſtẽdit potentiam, tam grauẽ & craſſam molem terræ liquidis elemẽtis ſuſtẽtari. Iuxta allegoriã verò nõ minùs mirandũ, Eccleſiam (quam per orbẽ terrarũ ſignificat) inter fremẽtes fluctus maris, id eſt, impugnãtis ſeculi fundari, & inter perſecutionũ & tribulationũ flumina præparari, vel (vt meli⁹ eſt hebraicè) ſtabiliri: De his aquis Dauid loquitur ex perſona eccleſiæ: Sonuerunt, & turbatę ſunt aquæ eorum.

Terra quomodo fundatur ſuper maria & flumina.

¶ C. Is animam ſuam in vano non accipit, interprete Auguſtino, qui animam ſuã non deputauit inter res fluxas, vanas & minimè permanentes, ſed immortalem illam ſentiens, deſiderauit æternitatẽ, ſtabilem & incommutabilem. Qui itaq; animã perdit ob rem aliquam terrenã & peniturã, qua nihil vanius eſt, is eam accipit in vano, vel, vt gręcè eſt ſignificantius, ob rẽ vanã. D. autẽ Hier. ad heb. veritatẽ ita vertit: Nec exaltauit fruſtra animã ſuam, id eſt, non eſt elatus per ſuperbiã, quæ omnis peccati initium & fons eſt.

Pſal. 45.

Animã accipere in vano.

¶ D. Verbũ gręcum hoc loco ἄρατε anceps eſt. Nã ſignificat tollite, id eſt, auferte: & attollite, id eſt, eleuate. Vnde geminus ſenſus eſſe poteſt: Prior hic, O principes tenebrarum auferte portas veſtras, id eſt, peccata quæ Matthæus portas inferi appellat, quibus occluſiſtis viam Chriſto, ne ad hominum corda veniret. Et vos ô portæ æternales, id eſt, virtutes per quas ad æternitatem nobis aperitur aditus, eleuamini, vt per vos via pręparetur ad ſuam eccleſiam Chriſto regi glorię, & ſic ferè Auguſtinus. Alter ſenſus, interprete Hieron. hic eſt: O principes, id eſt, angeli, qui gladio verſatili & flammea occluſiſtis viam paradiſi, attollite, id eſt, leuate & aperite portas, hactenus humano generi clauſas, vt iam ad ęternitatem pateat acceſſus, & per has introibit Rex glorię.

Portas quę ſint.

¶ E. Si per principes, bonos angelos intelligimus, hæc verba admirantium ſunt, humanam naturam in Chriſto euehi ſupra omnes choros angelorum, & cæleſtia omnia tranſcendere. Sic & Eſa. 43. admirabũdi loquuntur. Quis eſt iſte, inquiunt, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine ſuę fortitudinis. Aug. autem poſteriorem interrogationem dęmonibus tribuit. Sic enim habet: Quid, inquit, & tu princeps poteſtatis aëris huius miraris, & quęris quis ſit iſte Rex glorię? ¶ F. Pro eo quod nos legimus, Dominus virtutũ, hebraicè eſt, Dominus Sabaoth, quam vocem D. Hiero. aliquando relinquit, vt Hieremię 11. capit. Tu autem Domine ſabaoth, qui iudicas iuſtè, & probas renes & corda. Sic & Paulus citans illud Eſaię ad Rom. 9. cap. Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen etc. quo loco Hieronymus reddidit: Dominus exercituum: ſic etiam vertit

Dominus Sabaoth.

Dominus exercituum.

Dominus virtutum.

hunc

hunc versiculum ad heb.veritatem, Dominus exercituum ipse est Rex gloriæ, & ita ferè semper alijs locis:pro quo 70.græcè verterunt, κύριος τῶν δυνάμεων, id est, potestatum nimirum angelicarum, quam vocem noster interpres semper reddit. Per virtutes vt hic & apud Lucam:Nam & virtutes cælorũ mouebuntur & in actis. Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Iesu Christi & alijs multis locis cum potentiam significat, id est, fortitudinem animi.

Psalmus[A] *Dauid.* *Psalmus* XXIIII.

AD te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido non erubescam. Neque irrideant[B] me inimici mei, etenim vniuersi qui sustinent te non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè. Vias tuas demõstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es Deus saluator meus, & te sustinui tota die. Reminiscere miseratıonũ tuarum & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt. Delicta[C] iuuentutis meæ, & & ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam tuã memento mei tu propter bonitatem tuã Domine. Dulcis & rectus Dominus propter hoc[D] legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio docebit mites vias suas. Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas requirentibus testamẽtum eius & testimonia eius. Propter nomen tuũ Domine propitiaberis peccato meo, multũ est enim. Quis est homo qui timet Dominum, legem statuit ei in via quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur, &[E] semen eius hæreditabit terram[F]. Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius vt manifestetur illis. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellit de laqueo pedes meos. Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam & laborem meũ & dimitte vniuersa delicta mea. Respice inimicos meos, quoniã multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me. Custodi animam meam et erue me, non erubescam quoniã speraui in te. Innocentes & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te. Libera Deus Israël ex omnibus tribulationibus suis.

Quæ à seculo sunt. D. Aug. legit quia à seculo sunt, est enim græcè ὅτι, id est, q̃a. Itidẽ legit ad hebraicã veritatem D. Hier. Aug. autẽ sic enarrat, hoc inquit reminiscere, quia misericordiæ tuæ à seculo sunt, homines enim quasi oblitũ te operũ misericordiæ putant. Nũquã autem sine illis fuisti qui etiã peccantẽ hominẽ vanitati quidẽ, sed in spe subiecisti, & tot tantisq; creaturæ tuæ cõsolationibus non deseruisti.

Israël hoc loco accusatiui casus est, vt Lucæ 1. Suscepit Israël puerum suum, quod ex articulo greco liquet qui additur hoc modo, τὸν ισραηλ, Sic 72. psalmo: Quam bonus Israël Deus, datiui casus est, quod ex articulo τῷ (qui datiui càsus est) cõstat quæ ambiguitas per pronomen ipsum & ipsi tolli potest De Israël autẽ dictũ est suprà vbi explicuimus quod sit semen Israël. Psal.21.

¶ A. Psalmus iste ex persona ecclesiæ cãtatur implorãtis auxiliũ diuinũ aduersus hostes inuisibiles & impios quosque, & veniam precantis de peccatis, aut per ætatem aut ignorantiam patratis. ¶. B. Vox est ecclesię cui & dęmones insultant in aduersis: Vnde illud Dauid prophetæ alio loco Psal.41. Quare inquit oblitus es mei, & quare contristatus incedo dum affligit me inimicus? Dum confringũtur ossa mea. Dum dicunt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus? Irrident & gentiles ecclesiá quod spem reponat in Deo crucifixo. Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est, vt Paulus habet, & quod contemptis pręsentibus voluptatibus futura & cœlestia bona expectet. ¶ C. Delicta iuuentutis vocat aut lapsus adolescentię aut peccata commissa ante baptismum. Habet enim anima & suam pueriaciam, adolescentiam, & virilem, & perfectam ętatem. Ab hac infantia & pueritia deterret nos apostolus. Nolite inquit pueri effici sensibus, sed malicia paruuli estote, sensibus autem perfecti. Hinc eadẽ peccata ignorantias vocat, quod tum vero lumine diuinę cognitionis priuati fuimus antequam egressi eramus è domo patris nostri, id est, diaboli, cuius nos obliuisci

iubet

iubet Deus psal.44. Obliuiscere inquit populum tuum & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum. ¶ D. Apud 70. græcè est verbum compositæ figuræ νομοθετῶ, quod si verbum verbo reddas, sonat legem statuo aut sancio. Verùm in sacris literis accipitur pro erudio, instituo & doceo, quomodo paulò infrà accipiendum quoq; est, vbi idem verbum vertit, legem statuet, sicut hîc, legem dabit. Est enim vtrobiq; verbum futuri téporis, νομοθετήσει, quod D.Hier. vtroq; loco vertit, docebit, quomodo & illud Psal.118. verti debuit, Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum. Est enim sensus, doce me Domine viam iustificationũ tuarum. Vnde D. Hier. ad hebr. veritatem vertit. Ostende mihi Domine viam iustificationum tuarum. Νομοθετῶ quid apud 70. significet.

¶ E. Semen hoc loco, opera iustitiæ & virtutes appellantur. Ex his enim veluti ex semente facta, exurgit fructus vitæ æternæ, de hoc semine Dauid alibi Psal. 124. Euntes inquit, ibât & flebât, mittẽtes semina sua. Veniẽtes autẽ veniẽt cũ exultatione, portantes manipulos suos. Hæc enim virtutũ semina hæreditabũt terram viuentium, quam alibi propheta suspirat. Credo inquit, videre bona Domini in terra viuentium. Semen iusti quod sit.

¶ F. D.Hieron. ad hebraicam veritatem clariùs vertit hũc versiculum hoc modo. Secretum Domini timentibus eum, & pactum suum ostendet illis: eodem modo & cæteri interpretes ex hebraico vertunt. Nam hebraica vox סוד Sod, propriè significat arcanum consilium. Sic enim Christus inquit: Omnia quę audiui à patre meo, nota feci vobis. Deus itaque omnia sua arcana consilia, & pacta, pollicitationes, & promissiones timẽtibus se ostẽdit & exhibet: græca enim vox διαθήκη, quod pro pacto accipi debeat annotat varijs locis D. Hier. præcipuè autẽ scribens in epistolã Pauli ad Galat. Διαθήκη quid significet apud 70.

Psalmus Dauid Psalmus. XXV.

IVdica [A] me Domine quoniã ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans nõ infirmabor. Proba me Domine & tenta me, vre [B] renes meos & cor meum. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & [C] cõplacui in veritate tua. Nõ sedi cum cõcilio vanitatis, & cum iniqua gerẽtibus nõ introibo. Odiui ecclesiã malignantium, & cum impiis non sedebo. Lauabo inter innocentes [D] manus meas, & circundabo altare tuum Domine. Vt audiã vocem laudis, & enarrẽm vniuersa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitã meam. In quorum manibus iniquitates sunt, dextera [E] eorũ repleta est muneribus. Ego autẽ in innocẽtia mea ingressus sum, redime me & miserere mei. Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine. Aug. legit. Pes meus stetit in rectitudine.

Psalmus hic aut Ecclesiæ, id est, vniuersi congregationi fidelium tribui potest, vt ex persona loquatur eorum, qui iam in fide Christi stabiliti sunt perfectè: aut cuilibet homini christiano, qui ingressus viam mandatorum Dei, non inquinatus est vitiis huius mundi. Quanquam & de Christo, id est, Dei filio quatenus homo est, interprete D.Hier. intelligi potest. Hic enim solus cõfidenter & verè dicere potest se in innocentia ingressum esse, & perpetuò stetisse in via recta. ¶ A. Si de Christi membris, id est ecclesia, psalmũ intelligimus. Non rogat vt acceleretur futurũ Dei iudicium, vbi iustus vix saluabitur, vt Petrus Apostolus inquit. Nam magnę misericordiæ diuinæ argumentum est, quòd differatur seuerum illud & tremendum iudicium. Quia vt idem inquit cap.3. posterioris epistolæ. Patienter agit Dominus propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti: Vnde Amos 5. Væ inquit desiderantibus diem Domini, ad quid eam nobis? Dies Domini ista tenebræ & non lux, caligo & non splendor in ea. Optat ergo ecclesia siue homo quilibet pius, vt Deus cum eo exerceat iudicium discretionis, hoc est, vt certis signis ostendat se non esse similem peccatoribus, tametsi malis & incommodis multis prematur. De hoc iudicio alibi dixit Psal.41. Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente nõ sancta. ¶ B. Renes

 in ani-

Renes quid & vnde dicti.

in animalibus sunt sedes omnis delectationis & libidinis. Ab his enim fluit obscœnus humor: vnde à fluxu nomen habent, ῥέω enim græcè, latinè est fluo. Orat itaque homo Dei, vt Deus igni S. spiritus vrat renes suos, id est, expiet & purget omnes delectationes carnis: & cor, id est, affectus. Si de Christo accipiamus, petit renes & cor suum, id est, arcana & abditissima cordis sui explorari igne afflictionum. Nam hæc aliquando per renes & corda intelliguntur vt suprà psal. 7. Scrutans corda & renes Deus: Sic enim psal. 16. Probasti, inquit, cor meum & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuēta in me iniquitas. Pro eo enim, quod nos legimus, vre, græcè est πύρωσον, quod propriè est, igne explorare vel examinare vt suprà vertit Psalmo 16. vbi verbum πύρωσον, quod hic vertit, vre reddidit, igne examinasti. ¶ C. D. Hieronymus ad hebraicam veritatem ita reddidit versiculum hūc. Quia misericordia tua in conspectu oculorum meorum est, & ambulabo in veritate tua. Verbum enim hebr. propriè est, ambulare. 70. sensum reddiderunt non verba. Nam ambulare cum Deo, est pia & religiosa conuersatione illi placere, ita Genes. 5. Et ambulauit Enoch cum Deo: & Deus ad Abraham. Ambula inquit coram me, & esto perfectus. ¶ D. Augustinus legit: Lauabo in innocentibus manus meas: est enim græcè ἐν ἀθώοις, Quæ vox sumenda videtur substantiuè, vt ad rem, non ad personas referatur. Sic enim est hebraicè interprete Hieronymo qui ita vertit: Lauabo in innocentia manus meas, hoc est, habebo manus innocentes & mundiss. ab omni peccato. Sic contrà dictum est de impijs Esaiæ 1. Manus vestræ plenæ sanguine sunt: & hoc eodem psal. In quorum manibus iniquitates sunt. ¶ E. Munera (inquit Augustinus enarrans hunc psalmum) non solùm pecunia est, non solùm aurum & argentum, non solùm xenia. Quid ergo est accipere munera? propter munera laudare hominem, adulari homini, palpare blandiendo, iudicare contra veritatem propter munera: etiam munus accipit qui propter laudem iudicat malè. Patuit enim illi manus ad accipiendum iudicium linguæ alienæ, & perdidit iudicium conscientiæ propriæ, hæc ille. ¶ F. In ecclesiis benedicere Deum interprete August. est sic viuere, vt moribus nostris & vita benedicatur Deus. Nam qui benedicit Domino lingua, & factis maledicit, non benedicit Domino in ecclesiis: Nam in quorum moribus non inuenitur quod aiūt faciunt blasphemari Deum. Vnde Apost. ad Rom. 2. cap. Propter vos, inquit Dominus, nomen meum blasphematur in gentibus.

Benedicere in ecclesiis Deum.

A *In finem Psalmus Dauid priusquā liniretur. Psal. XXVI.*

DOminus B illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropinquant super me nocentes, vt edant C carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Si consistāt aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo D. Vnam petii à Domino hāc requirā, vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ. Vt videā voluntatem E Domini, & visitem templum eius. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me, in F abscondito tabernaculi sui. In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos G. Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo & psalmum dicam Domino. Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te, miserere mei & exaudi me. Tibi dixit cor meum, H exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me

De differentia domus & tabernaculi, vide hoc loco August.

Deus

Deus ſalutaris meus. Quoniã pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autẽ aſſumpſit me. Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Credo videre bona Domini in terra viuentium. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum.

Vtrobique eſt ὑπόμεινον, id eſt, expecta. Nam ſuſtinere eſt alterius rationis.

¶ A. Pſalmus hic apud heb. non habet alium titulum quàm præcedens, videlicet pſalmus Dauid. Quare ſimpliciter de eccleſia intelligi poteſt. Verùm quoniam 70. interpretes hunc titulum dederunt, In finem pſalmus Dauid: Antequam vngeretur, ſine dubio de Chriſto voluerunt illũ intelligi. Is enim vnctus eſt à Deo patre nõ corporali vnguine vel oleo, vt reges ſolent, ſed ſpiritu ſancto. Sic Petrus Act. 10: Vos inquit ſcitis quomodo Ieſum à Nazaret vnxerit Deus ſpiritu ſ. & virtute. Vnde & ab eiuſmodi vnctione Chriſtus dictus eſt: nam χρίω græcè, vngo latinè. Porrò regem Dauid ter vnctum legimus. Semel in Bethleem in medio fratrum ſuorum, 1. Reg. 16. capit. Et iterum in Hebron vt regnaret ſuper Iudam, 2. Reg. 2. cap: & 3. in Hebron vt regnaret in Hieruſalẽ ſuper totum populum Iſraeliticum. Itidẽ & Chriſtus, primùm in vtero matris, homo factus. Secundò in baptiſmo, cùm in eum deſcendit ſpiritus ſ. in ſpecie columbæ. Tertiò poſt reſurrectionem, cùm data eſt illi omnis poteſtas in cælo & in terra. De Chriſto itaque intelligitur hic pſalmus iuxta 70. priuſquã tertiò vngeretur: verùm ſic, vt omnia ad membra illius, ſiue myſticum corpus, id eſt, eccleſiã potiùs referatur. Nam & illa vngitur in baptiſmo in ſacramẽto cõfirmationis, & in extrema vnctione. ¶ B. Sicut enim corporis oculi illuminantur à luce hac creata, ita mentis oculi illuminãtur fide in Chriſtũ. Vnde dictũ eſt: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominẽ veniẽtẽ in hũc mũdũ. ¶ C. Duplex ſenſus eſſe poteſt, vt ad viſibiles hoſtes, id eſt, perſecutores eccleſiæ referamus. Ideo enim tyranni & hoſtes nominis chriſtiani perſecutiones mouerũt aduerſus chriſtianos, vt carnibus illorum, hoc eſt, tormentis & carnificina corporum ſe exaturarent: nam in animas piorum nihil iuris aut poteſtatis habent. Vel ad inuiſibles hoſtes hæc referemus: hi enim inſidiantur & oppugnant, vt ſe ſaturent carnalibus delectationibus & peccatis ad quæ nos ſollicitant. Vt enim Deus ſpiritu & rebus ſpiritualibus gaudet, ita dæmones carne & vitijs carnalibus paſcuntur, & ſe oblectãt. ¶ D. Auguſtinus ſubaudit vnã, videlicet petitionem, nec malè. Sciendum apud heb. neutrum genus deeſſe: quicquid igitur nos per neutrum genus exprimimus, illi per fœmininum reddunt, ſic hoc loco. Certè Hieron. ad hebr. vertit. Vnum petij à Domino, hoc requiram. ¶ E. Apud 70. græcè non eſt voluntatem, ſed τερπνότητα, id eſt, delectationem aut voluptatem, quare vitio ſcribarum irrepſiſſe videtur hoc vitium, & interpretem reliquiſſe voluptatem, & hinc corruptè factum, voluntatem. Nam ad hebr. veritatitem vertit Hieronymus, vt videam pulchritudinem Domini. Auguſtinus autem enarrans hunc pſalmum, legit, vt videam delectationem Domini, & eodem modo interpretatur. Ecce inquit, quare habitare volo in domo Domini? habet ibi magnum ſpectaculum, delectationem ipſius Domini contemplari, hoc eſt, ijs delitijs perfrui, quibus ſuos oblectabit Dominus.

Rex Dauid ter vnctus.

2. Reg. 5. cap.

Hebræi neutro genere carent.

¶ F. Intra ſepta eccleſiæ catholicæ, quam per tabernaculum ſignificat, hoc loco abſcondimur, & protegimur ab incurſu hoſtium inuiſibilium & fraudibus hæreticorum: & quoties tẽtationũ procellis & grauioribus malis affligimur, diuinitate ſua Dominus nos firmat & protegit: hoc enim abſconditum tabernaculi. Per fidem enim Deus habitat in eccleſia ſua, & in ea nobis reliquit arcana ſacramentorum ſuorum.

¶ G. Quod interpres hic vertit vociferationis, Auguſtinus legit, hoſtiam iubilationis: eſt enim græca vox ἀλαλαγμός. Sic et Hieronymus ex hebr. Immolabo in tabernaculo eius hoſtias Iubili. Tametſi non adeò malè reddidit interpres: Eſt enim propriè Iubilus ſiue iubilum, vox et clamor vincentium in bello et hoſtes profligantium: Vnde illud Lucani, Lætus et è ſcopulis audiuit iubila cyclops. Verùm eccleſiaſtici doctores, iubilum appellant gaudium maximum corde conceptum, quod verbis exprimere nequeas. Circuire autem hoc loco interprete Auguſtino eſt animo luſtrare

Iubilus. Iubilare.

omnia creata terrestria et cęlestia: ex harũ enim contẽplatione rerũ prorũpit pius animus in laudem Creatoris sui, & immolat Deo in tabernaculo, id est, ecclesia hostiam iubilationis. Circumeat animus tuus inquit Augustinus, per vniuersam creaturam: vndique tibi clamabit creatura, Deus me fecit. Quicquid te delectauerit in arte, artificem commendat. Vides cœlos, magna opera Dei sunt: vides terram: Deus fecit semina innumera, diuersitates germinum, multitudinem animalium. Et ipsæ species animalium voces sunt quædam creatorem laudantium. Immolamus hostiam iubilationis, lætitiæ, gratulationis, hostiam gratiarum actionis, abundantissimum & inenarrabile gaudium. Immolamus autem vbi? in tabernaculo eius, in sancta ecclesia: Hęc Augustinus. ¶. H. Desunt hoc loco in latinis exemplaribus duæ voces, hæ, Dominum requiram. Nam apud 70. interpretes, sic legitur versiculus hic: Tibi dixit cor meum, Dominum requiram, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

Restituta vulgata translatio.

¶ I. De rege Dauid iuxta literam id verum quoque est. Is enim contemptus à fratribus & derelictus à parentibus in pascuis & gregum custodiæ deputatus, ad regni fastigium euectus est à Deo. De ecclesia verò sic intelligendum est, eam relictam à patre diabolo, & à matre, hoc est, à Babylonia vel gentilitate, ad quos relinquendos hortatur fidelem animam Deus psal. 44. Obliuiscere populum tuum & domum patris tui: loco autem horum infelicium parentum: Deũ accepimus pro patre: & matrem Hierusalem cælestem, de qua ad Galat. 4. Illa autem inquit, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. ¶ K. Iniquitas mentita est sibi, id est, in suum malum & perniciem: aut sibi mentita est, id est, suis verbis confutata & redarguta, quod de Christo constat verum fuisse. Nam cùm multi falsi testes venissent, non erant conuenientia eorũ testimonia. De ecclesia etiam verũ est. Nam olim christiani mendacijs onerabantur, quòd in suis conuẽticulis & sacris nocturnis infantes trucidarent, & carnibus & sanguine eorum vescerentur, & extinctis lucernis pecudum more promiscuos haberent & incestos concubitus, vt in Apologetico suo testatur Tertullianus. Verùm mendacia hæc nunquam testibus conscijs probare potuerunt, aut eruere, vt ille inquit, vnquam curauerunt.

A *Psalmus ipsi Dauid vigesimus septimus.*

AD te Domine clamabo, B Deus meus ne sileas à me, nequando taceas à me et assimilabor descendentibus in lacũ. Exaudi Domine vocẽ orationis meæ, dũ oro ad te, dũ extollo man⁹ meas ad tẽplum sanctum tuũ. Ne simul tradas me cum peccatoribus, & cũ operantibus iniquitatem ne perdas me. Cum his qui loquũtur pacẽ cum proximo suo, mala autẽ in cordibus eorũ. Da illis secundũ opera eorũ, & secundum nequitiã C adinuentionũ ipsorũ. Secundũ opera manuũ ipsorum tribue illis, redde retributionũ eorum ipsis. Quoniã nõ D intellexerunt opera Domini, & in opera manuũ eius, destrues illos, & non ædificabis eos. Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocẽ deprecationis meæ. Dominus adiutor meus, & protector meus, & in ipso sperauit cor meũ, & adiutus sum. Et refloruit E caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei. Dominus fortitudo plebis suę, et protector salutionũ F Christi sui est. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuę: & rege eos, & extolle * illos vsque in æternum.

*F Extolle. Apud 70. gręcè quædã exẽplaria nõ legunt et extolle. Nam Frobenianum exẽplar nõ habet, sed Argentinense habet, ἔπαρον. Hiero. ex heb. legit subleua eos.

¶ A. In hoc psalmo vt Augstinus inquit, vox est mediatoris, in passionis conflictu loquentis ad Deum patrem. Quæ autem hoc psalmo videtur imprecari & optare inimicis, non maleuolentiæ votum est, sed enunciatio pœnæ eorum. Sicut in euangelio ciuitatibus non credentibus cùm tanta in illis fecisset oracula, non maleuolentia optat quæ dicit, sed quid eis immineat prædicit. ¶ B. Silere aut tacere ab aliquo, est alio

est alio clamante & inuocante, quasi obsurdescere, nec quicquam auxilij aut præsidij ferre, clariùs hunc versum reddidit ex heb. veritat. Hier. Ad te clamabo fortis meus, ne obsurdescas mihi, ne fortè tacente te mihi, comparer his qui descendunt in lacum. ¶ C. Quod noster interpres vertit hoc loco, & pluribus locis adinuentiones, græcè est, ἐπιτηδεύματα, quod propriè significat studia, siue exercitia, hoc est, quod manibus aut animo tractamus: Vnde Psalmo 80. quod nos legimus, Ibunt in adinuentionibus suis, Hieron. ex heb. vertit: Ambulabunt in consilijs suis. ¶ D. Apud 70. interpretes græcè bis ponitur præpositio εἰς, id est, in vel ad hoc modo. Quoniã non intellexerunt in opera Domini & in opera manuum eius. Quam præpositionem interpres primo loco omisit, & 2° loco posuit, cum vtrobique supprimenda erat: nam superest: vnde clariùs Hieron. ex heb. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & opus manuum eius. Intellexit autem opus Domini, illud admirabile redemptionis humanæ, quod perfidi Iudæi noluerunt intelligere, de quo Esaiæ cap. 5. Cythara inquit & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in cõuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, & opera manuum eius non consideratis. Et Abacuc primo cap. Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini, quia opus ego operor in diebus vestris, quod non credetis, si quis enarrauerit vobis. ¶ E. Quod noster interpres vertit, protector saluationum Christi sui est. D. Hieron. ex hebræo vertit. Robur salutarium Christi sui est. Similiter Aug. legit, protector salutariũ Christi sui est. Nã genitiuus græcus apud 70. σωτηρίων, anceps est. Nam potest esse à nominatiuo σωτηρία, id est, salus aut saluatio, vel à σωτήριος, id est, salutaris. Porrò per saluationes aut salutaria hoc loco, pios & Christi fideles significat, qui salutem consecuti sunt per Christum, quorũ Christus protector & defensor est. Sic enim aliquoties sumitur saluatio pro ipsis qui saluantur, vt Esaiæ 37. De Hierusalem exibunt reliquiæ, & saluatio de monte Sion. Et Ezechielis 14. Relinquetur in ea saluatio educentium filios & filias.

Adinuentione: græce ἐπιτηδεύματα.

Admirabile opus Domini.

Saluatio pro ijs qui saluantur.

Psalmus A *Dauid in consummatione tabernaculli.*

PSALMVS XXVIII.

AFferte Domino filii Dei, afferte Domino filios B arietũ. Afferte Domino gloriã & honorẽ, afferte Domino gloriã nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius. Vox Domini super C aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini cõfringẽtis cedros, & confringet Dominus cedros D libani. Et cõminuet eos tanq̃ vitulũ libani, & dilectus E queãdmodũ filius vnicorniũ. Vox Domini intercidentis flammã ignis, vox Domini cõcutiẽtis, desertũ, & cõmouebit Dominus desertũ F Cades. Vox G Domini pręparãtis ceruos, & reuelabit cõdensa, et in tẽplo eius omnes dicent gloriã. Dominus diluuium H inhabitare facit, & sedebit Dominus Rex in ęternum. Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.

¶ A. Titulus psalmi apud hebræos est, psalmus Dauid: verùm apud 70. est, Psalmus Dauid in consummatione tabernaculi, qui titulus intellectum psalmi nobis aperit, psalmũ videlicet hũc intelligẽdũ esse de ecclesia, quę est tabernaculũ & domus Dei. Hoc autem tabernaculum consummatum & perfectum est, cùm ecclesia per totũ orbem Christi fide diffusa, propagata est in fines orbis terræ. Quanquam græcè non sit in consummatione tabernaculi, sed ἐξόδου τῆς σκηνῆς, id est, in exitu tabernaculi, quod ad resurrectionem Christi referri potest. Nam postquam Christus egressus est per resurrectionem ex corruptibili & mortali hoc tabernaculo, fundata est per totum orbem ecclesia. Inuitat ergo Dauid nos, vt nosmetipsos Deo offeramus hostiam viuam, & immolemus ei in ecclesia sacrificium laudis. ¶ B. Per filios arietum, fideles in

les in

les in ecclesia intelligit, qui per euangelium geniti sunt Christo ab apostolis & eorum successoribus. Hi enim in sacris literis arietum nomine significatur: Nam vt arietes sunt duces gregis ouium, ita apostoli ecclesiæ sunt duces & spirituales patres. De quibus psal. 64. Induti sunt arietes ouium, id est, apostoli, & duces ouium Christi immortalitate induti sunt, & à morte ad vitam perpetuam translati. ¶ C. Iuxta literam etiam verum est hoc: Nam legimus Matth. 3. Vocem patris auditam in Iordanis flumine cùm à Iohanne baptizatus est Christus. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui. Verùm quoniam aquarum nomine sacræ literæ sæpe significant populos iuxta illud Apocalypsis 17. Aquę quas vidisti, populi sunt, & gentes, & linguæ: mysticè vox Domini intonuit super aquas multas cùm Christi euangelium gentibus, populis, & linguis, prædicatum est per apostol. Quorum prædicatio bene tonitruis assimulatur, quòd cum illuminatione spiritus sancti, salutari metu corda gentilium concusserit. De quo tonitru & fulgure suprà dictum est. Psal. 17. in illum versum: Intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. ¶ D. Libanus est inter Arabes & Phenices excelsis arboribus, & præcipuè cedris abundans, ex quo Orontes & Iordanis fluuius oriuntur. Porrò cedrorum appellatione figuratè intelliguntur in sacris literis, aliquando homines potētia & dignitate præditi et fastuosi, sic Esaiæ 2. Dies Domini super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur, & super omnes cedros libani sublimes, & erectas. Sic hoc loco vox Domini, id est, euangelica prædicatio depressit supercilium, & humiliauit fastum magnatum huius seculi: & hos comminuit, velut vitulum qui in libano pascitur, quia Christus illos adeò deiecit, vt ad sui exemplum non dubitauerint se morti tradere, vt vitulus mactatur & in frusta conciditur quoties Deo immolatur.

Filij arietum. Arietes. *Aquę significāt populos.* *Libanus. Cedri.*

¶ E. Per dilectum, accipimus hoc loco vnicum Dei filium, qui dicitur similis filio vnicornium: vel propter insuperabilem fortitudinem, vnde & leo dicitur in Apoc. Vicit leo de tribu Iuda: vel vocatur filius vnicornium, quia ex Iudæis ortus fuit, & similis Iudæis reputatus est, qui superbiebant de singulari sua iustitia, sic August.

Cades.

¶ F. Cades, locus erat in diserto Sin, siue Pharam vbi ex rupe percussa Moses aquam elicuit populo Iudæorum murmuranti, & maiestati diuinæ detrahenti. Vnde aquæ contradictionis appellatæ sunt per desertum, ergo Cades conuenienter obstinata Iudæorum corda, quæ iam à Deo deserta sunt, intelligimus, quæ vnà cum gentibus per euangelicam prædicationem commouebuntur ad salutarem pœnitentiam.

¶ G. De ceruorum natura suprà dictum est in psalmum 17. Christus itaque præparat ceruos quoties in ecclesia euangelistas & doctores facit, qui cum serpentibus, id est, dæmonibus, bella gerunt & habitu verbisque suis, regulos, id est, malignos spiritus extrahunt è cauernis suis, id est, è corporibus in quę se immerserant. Pro eo autē quod nos legimus præparantis ceruos, vel sicut Augustinus legit, & vt græcè magis sonat, perficientis ceruos. D. Hieron. & cæteri interpretes ex heb. verterunt. Vox Domini obstetricās ceruis vel parturire faciens ceruas. Quod autē ad pastores & euangelistas, similiter refertur, qui per euangeliū paruulos Christo generant. Quare & latinus interpres noster, per fœmineum genus reddere potuisset, hoc modo præparantis aut perficientis ceruas. Nam græca vox ἐλαφάς, communis generis est, significans ceruum & cervā. Quod interpres hîc vertit condensa, Hieron. ex heb. melius enim vertit, Saltus. Nam δρύμος, græca vox, significat syluam aut saltū: quia autē hæc frondibus & ramis densa sunt et minus peruia interpres vocat cōdēsa. Reuelat autē hęc cōdēsa Dominus, cùm obscura diuinarum scripturarum & oraculorum cęlestiū per spiritū s. patefacit vt inquit Hieron. ¶ H. Aug. legit, Dominus diluuium inhabitat, vulgata trāslatio nostra, diluuiū inhabitare facit. Idq; rectiꝰ iuxta versionē 70. Nā græcè est verbū κατοικιῖ, futurū tēpus à verbo κατοικίζω, quod est constituo & habitare facio. Sic enim vertit Psal. 112. Qui habitare facit sterilem in domo, matrē filiorum lætantē. Dominus itaq; ecclesiā fideliū habitare facit, & cōstituit in diluuio, id est, in fluctibus huius seculi, & eā custodit incolumem, non secùs atq; Noë cum familia sua seruauit in arca cùm cataclysmo & diluuio perijt mūdus. Per sanctos suos verò Dominus idem habitat. Quidam per diluuium aquas baptis. intelligunt, quòd his diluantur peccata, et in ijs Dominus per spiritum sanctum habitat.

Psalmus A cantici in dedicatione domus Dauid. Psalmus XXIX.

EXaltabo te domine quoniam suscepisti me, nec B delectasti inimicos

cos meos ſuper me. Domine Deus meus clamaui ad te, et ſanaſti me. Domine eduxiſti ab inferno animã meã, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum. Pſallite Domino ſancti eius, & C confitemini memoriæ ſanctificationis eius. Quoniã D ira in indignatione eius, & vita in volũtate eius. Ad E veſperã demorabitur fletus, & ad matutinũ lætitia. F Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternũ. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Auertiſti faciem tuam à me, et factus ſum conturbatus. Ad te domine clamabo, et ad Deũ meũ deprecabor. Quæ G vtilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam? Audiuit dominus & miſertus eſt mei, dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum H meum, & circundediſti me lætitia. Vt cantet tibi gloria mea I & non compungar, Deus meus in æternum confitebor tibi.

¶ A. Pſalmus hic apud heb. nõ habet aliũ titulũ quàm hũc, victori pſalmus Dauid. Verũ apud 70. hic titulus eſt. Pſalmus cãtici dedicationis aut inuocationis domus ipſi Dauid, vel vt noſtra vulgata editio habet, pſalmus cantici in dedicatione domus Dauid. Cõtinet itaq; hic pſalm⁹ ſacramẽtũ reſurrectionis dominicę. Nã per reſurrectioné, domus Dauid, id eſt, corpus Chriſti in quo habitat diuinitas corporaliter innouatũ eſt, & immortalitati dedicatũ. Nec ſolũ Chriſti corpus, ſed & myſticũ corpus eius, id eſt, eccleſia, quę eſt dom⁹ Dei, vt habet Paulus, per reſurrectioné innouatur, & totũ Deo cõſecratur. Vnde Auguſt: Pſalmus inquit lætitiæ reſurrectionis atque in immortalé ſtatum mutationis atq; innouationis corporis non tantùm Domini, ſed etiam totius eccleſiæ. Nam in ſuperiore pſalmo tabernaculum cõſummatum eſt, vbi habitamus belli tempore. Nunc autem domus dedicatur quæ in ſempiterna pace permanebit, Hęc ille.

¶ B. Ad tẽpus gauiſi ſunt hoſtes Chriſti tam viſibiles quàm inuiſibiles, cùm conſputum, flagellatum, & ſpinis coronatũ in crucem ſuſtulerunt, & ignominioſam mortem obire viderent, ſperantes ſe nomen Chriſti & gloriam abolere poſſe. Verùm cùm reſurgentem viderunt, & victorem mortis & inferni, cælum adſcendere conſpexerunt, mœrore et inuidia contabuerunt. Idem & eccleſia dictura eſt de ſuis hoſtibus & perſecutoribus qui ad breue tempus inſultant pijs, ſed gaudere deſinent, cùm in nouiſſimo die inter ſanctos ſtare viderint dicentes: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos ſors illorum eſt.

¶ C. Datiuus memoriæ rectiùs vt videtur & clariùs per ablatiuum verti poſſet hoc modo, Confitemini Domino per memoriã ſanctificationis eius, id eſt, aſſiduè commemorãdo quo pacto ſanguine ſuo & ſpiritu ſuo vos ſanctificauerit. ¶ D. Iſtud ſicut ſuprà monuimus accipiendum eſt, dictum eſſe à propheta ἀνθρωποπαθᾶς, id eſt, humano affectu. Nam in Deo, nec ira, nec indignatio eſt vt in nobis, qui omnis perturba- **Ira in Deo &**
tionis expers eſt. Ira itaq; hoc loco eſt iuſta vindicta. Indignatio autem eſt motus ani- **indignatio.**
mi parantis ſe ad vindictam. Sic cùm peccauit Adã, indignatus eſt Deus. Iratus autem eſt, cùm de paradiſo expulit. In voluntate autem Dei eſt vita, hoc eſt, faciendo eius voluntatem, vitam adipiſcimur æternam. D. verò Hieron. ex hebræo ſic reddidit hunc verſiculum: Quoniam ad momentum eſt ira eius, hoc eſt, momentanea, & vita in repropitiatione eius. ¶ E. Veſpera appellatur hoc loco totum tempus mortalitatis & vitæ humanæ: vt enim dies vergit in tenebras & noctem imminente veſpera, ſic & hæc vita ad mortem. Poſtquam enim homo per peccatum ſe ſubduxit à **Veſpera quæ ſit**
lumine diuino, declinare cæpit in noctẽ immortalitatis? naſcẽdo nãq; morimur. Vnde **in ſacris literis.**
& Adã vbi peccaſſet, audiuit vocẽ Domini vocãtis & maledicẽtis ſibi poſt meridiẽ veſpera iã aduẽrãte, vt legimus Gen. 3. Sic per matutinũ tẽpus intelligimus tẽpus reſurrectionis, cùm illuceſcet nobis dies ille immortalitatis, qui nũquã in veſperã aut noctem verget, tũc deſinẽte luctu, & finito mœrore gaudiũ obtinebimus & lætitiã, de Chriſto quoq; ad literã verum eſt. Nã veſperi de cruce depoſitus & ſepultus, luctũ & mœrorẽ

ſuis reliquit,at manè reſurgens,ineffabili gaudio eoſdem affecit. ¶ F. Hæc ex perſona membrorum ſuorum dicit Chriſtus.Nam primus parẽs noſter Adam in paradiſo voluptatis conſtitutus,& omnium rerum abundantia perfruens, putabat ſe nunquam eijciendum è paradiſo,quare aures accommodauit mendacio diaboli diuinitatem ſibi falsò pollicẽtis.At vbi expulſus eſt è paradiſo,tũc cognouit quòd lumẽ illud diuinę ſapientiæ ab eo receſſiſſet, & quòd omnis illa gratiarum vbertas & dotes animæ & corporis à Deo ſibi collatæ eſſent,& omnia à Deo non à ſe poſſediſſet.Idem & de ſingulis nobis verum eſt,qui tunc demum à Deo nos totos pẽdẽre intelligimus cùm noſtræ vires ſuccumbunt. ¶ G. Humanitas Chriſti ad Deum patrẽ loquitur: Si inquit deſcendero in corruptionem, hoc eſt, ſi non reſurrexero,nulla eſt vtilitas in ſanguine meo effuſo,nec vllus eſt fructus paſsionis meæ. Alter ſenſus hic eſſe poteſt interprete Hieron.Quę vtilitas in ſanguine meo,id eſt,in gente mea,hoc eſt,in Iudęis,nullus erit fructus laborum meorum niſi reſurrexero à mortuis: nõ enim credent me niſi purum hominem fuiſſe,quem non ſolùm occiderunt,ſed & in mortuum ſęuierunt aperientes lancea latus meum. ¶ H. Olim in luctu & pœnitentia,ſacco operiebãtur & cilicio, & cinere ſe conſpergebant,& in eo humi ſparſo ſedebant. Vnde Dominus Eſaiæ 58: Nunquid tale eſt ieiunium inquit quod elegi,per diem hominẽ affligere animam ſuam & ſaccum & cinerã ſternere. Et Iohel.1.Pãlge quaſi virgo accincta ſacco et e:cubate in ſacco miniſtri Dei mei. Per ſaccum itaq; hoc loco mortale & corruptibile corpus intelligit,quo omnes operimur tempore peregrinationis & pœnitentiæ noſtræ, qui ſaccus confundetur cùm mortale induerit immortalitatem, & corruptibile incorruptionem.Similiter et in Chriſto reſurrectionis ſuæ tempore ſaccus illius conſciſſus eſt, cùm poſt crucis ignominiam gloria & honore coronatus eſt. ¶ I. Gloria mea, id eſt,egoipſe qui iam gloria reſurrectionis & honore decoratus ſum: nã in terra gemuit tibi humilitas mea: vel gloria mea, id eſt, fideles qui ſunt materia gloriæ meæ. Non compungar,ſi de capite accipimus,id eſt,non moriar nec infeſtabor aculeo mortis. Si de membris,non compungar conſcientia & ſtimulis peccatorum.Sic Auguſt. & Hier.

Saccus quid ſignificat.

In A *finem pſalmus Dauid pro Ecſtaſi.*

PSALMVS XXX.

IN te domine ſperaui non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me & eripe me.Inclina ad me aurem tuam,accelera vt eruas me. Eſto B mihi in Deum protectorem & in domum refugii, vt ſaluum me facias.Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me & enutries me. Educes me de laqueo hoc quem ſtatuerũt mihi, quoniam tu es protector meus.In C manus tuas commẽdo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis.Odiſti obſeruantes vanitates D ſuperuacuè.Ego autem in Domino ſperaui,exultabo & lætabor in miſericordia tua. Quoniam reſpexiſti humilitatẽ E meam,ſaluaſti de neceſſitatibus animam meã.Nec concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco ſpacioſo pedes meos. Miſerere F mei domine quoniam tribulor,conturbatus eſt in ira oculus meus,anima mea & venter meus. Quoniam defecit in dolore vita mea,& anni mei in gemitibus.Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea cõturbata ſunt.Super G omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde,& timor notis meis. Qui videbant me foras fugerunt à me,& obliuioni datus ſum tãquam mortuus à corde. Factus ſum tãquam H vas perditum,quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

¶. A. Titulus psalmi 30. apud 70. hic est. In finē psalmus Dauid pro Ecstasi, vel vt August. habet, psalmus ipsi Dauid Ecstasis, vt sensus sit, psalmus Ecstaseos ipsi Dauid. Est enim Ecstasis hoc loco genitiuus vt ex græco liquet. Significat autem Ecstasis græca vox, vt Augustini verbis vtar, excessum mentis qui fit vel pauore, vel aliqua reuelatione, quoties mens extra se rapitur ad contemplanda arcana rerum cælestium. Hoc autem loco interprete Aug. capitur pro extasi, quæ pauore aliquo accidit. In hoc enim psalmo maximè apparet pauor perturbati populi Dei ob persecutiones omnium gentium & fidei defectū per totum orbē. Primùm autē loquitur ipse mediator Christus Iesus, deinde populus redemptus sanguine eius gratias agit. In fine autem ipsius prophetæ persona interponitur. ¶ B. Esse in Deū protectorem idiomate heb. non est aliud q̃ esse Deus protector & esse in domū refugij, esse domus refugij: tale est & illud, Ego ero illi in patrē, & ipse erit mihi in filiū, id est, ero illi pater, & ipse mihi filius. Simile est illud Genes. 2. Et erūt duo in carne vna, vel vt græcè est melius: In carnem vnam, id est, duo erūt vna caro. D. autē Hier. sic vertit ex hebr. veritate. Esto mihi in lapidem fortissimū & in domū munitā. ¶ C. Principiū huius versiculi, Christus in cruce protulit cùm iam expiraret, vt testatur Lucas cap. 23. euangelij sui, tempore solùm verbi mutato. Nā apud 70. græcè est verbum futuri temporis παραθήσομαι, id est, cōmendabo, quomodo & Luc. euangelista græcè reliquit, eodem modo & D. Hier. ex hebræo vertit. Bene autem dicit se commendare siue deponere spiritum in manus patris, quem breui ab eodem resuscitante sumpturus iterum erat. Quod enim alicuius fidei cōmēdamus, saluū esse cupimus tantisper dum recipiamus: quanquam Christus non tam suum spiritum q̃ corporis sui mystici, id est, ecclesię suæ spiritū cōmendauit, quem bene suum spiritum appellat. Quia teste Apost. qui adhæret domino, vnus spiritus est. ¶ D. Id est, interprete Aug. obseruantes falsam beatitudinem seculi. Qui enim inquit Hier. istam præsentem vitam tantūmodo amant, & cælestia contēnunt, sperātes inaniter in beatitudinem seculi, dicitur Deus illos odisse, quia reijcit & cęlestibus bonis priuat. Nihil autem vanius omnibus rebus fluxis & caducis. Vnde Ecclesiastes. Vanitas inquit vanitatum & omnia vanitas. ¶ E. Humilitas hoc loco non virtutem animi subiuisse de se sentientis significat, sed depressionem aut contemptum: est enim græcè ταπείνωσις non ταπεινοφροσύνη. Vnde Hier. ita vertit ex hebr. Quia vidisti afflictionem meam, eodem modo sumitur vox hæc psal. 135. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, & redemit nos ab inimicis nostris. ¶ F. Oculus, id est, mens Christi turbata est, & anima & venter, id est, cor propter iram & sæuitiā hostiū suorum. Ecclesię verò oculus conturbatur, vel in ira, id est, propter vindictā & supplicia peccatis nostris parata. Vt psal. 6. Turbatus est inquit à furore oculus meus: Vel turbatur mens ecclesiæ, quoties irascitur vitijs & peccatis membrorū suorū quæ videt conuersari non dignè Christo. Porrò ventris appellatione cordis ventriculus significatur idiomate hebraico. In paupertate. Paupertas aliquādo in sacris literis vitium sonat vt sit inopia iustitiæ, vt in illo. Omnes dies pauperis mali: & iterū, nequissima paupertas in ore impij: hac paupertate infirmatus est vigor aut robur mēbrorū ecclesiæ. Aug. paupertatē pro indigentia sanitatis accipit. Egeo inquit sanitate corporis, nec parcitur cruciatibus: egeo resolutione, & parcit morti, & in hoc infirmata est fiducia & spes mea. ¶ G. D. Hier. ad hebraicam veritatem vertit clarius. Apud omnes hostes meos factus sum opprobrium. Est enim græcè præpositio, παρά, quæ accusatiuo iuncta significat aliquando inter, aliquando ob vel propter: datiuo iuncta significat apud: cum itaque apud 70. iuncta sit accusatiuo, rectius vertisset interpres latinus: Inter omnes inimicos meos factus sum opprobriū. ¶ H. Vas idiomate hebraico sæpe vsurpatur pro quolibet instrumento: Vnde alibi: Cōfitebor tibi in vasis psalmi, tale est et illud: Vas electionis est mihi iste, & Apostolus alia vasa esse dicit in honorem, alia in contumeliam: vnde Hieremiæ 22. Nunquid vas fictile & contritum vir iste Iechonias, nunquid vas absq; omni voluptate? Sic & Christus in passione sua cū sceleratis reputatus, habit⁹ est velut vas aliquod vilissimū & nullis vsibus aptū. Vase enim fictili & rupto aut fracto nihil est cōtēptius.

Ecstasis quid significet.

Commendare spiritū quid sit.

Differētia inter Ταπείνωσιν & ταπεινοφροσύνην.

Vas quid idiomate hebraico significet.

In I eo dum cōueniret simul aduersum me, accipere animā meā consiliati sunt. Ego autem in te speraui Domine, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis sortes K meæ. Eripe me de manu inimicorū meorū, et à persequētibus me. Illustra faciē tuā super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua, Domine non cōfundar, quoniā inuocaui te. Erubescant

bescant impii & deducantur in infernum, muta fiāt labia dolosa. Quæ loquūtur aduersus iustū iniquitatē in superbia [L] & in abusione. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ domine quā abscōdidisti timētibus te. Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorū hominum. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Benedictus dominus quoniā mirificauit misericordiā suam mihi in ciuitate munita [M]. Ego autem dixi [N] in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudisti vocem orationis meæ dum clamarem ad te. Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet [O] abundanter facientibus superbiam. Viriliter agite, & cōfortetur cor vestrū omnes qui speratis in Domino.

¶ I. Præpositio in, cum suo casu superest hoc loco: voluit enim interpres græcam locutionem exprimere, quam pluribus locis nō potest reddere per præpositionē. Vnde durè minusq; latinè reddidit illud: In cōueniendo populos in vnum, & illud: In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, cùm vertere debuit, conuenientibus aut congregatis populis in vnum: & conuertente Domino captiuitatem Sion, vel dum conuerteret etc. D. August. citra præpositionem legit versum hunc, hoc modo: Dum congregarentur ipsi simul aduersum me: Hiero. ex heb. sic, Dum inirent consilium aduersum me.

Sors quid significet in sacris literis.

¶ K. Sors inquit August. scribens in hunc locum, non aliquid mali est: sed res est in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem. Sic cùm Matthias annumeratus est apostolis, electi sunt duo iudicio humano, & electus de duobus vnus iudicio diuino: de duobus enim consultus Deus dum significat quę vellet, cecidisse dicitur sors super Matthiam, gratiam itaque qua saluamur August. interprete per sortem intelligimus. Vt enim in sorte non est electio nec respectus meritorum, ita & in nobis quoties à Deo vocamur ad fidem & cognitionem nominis sui, nulla cōsiderantur merita. Nam vbi hæc considerantur, ibi est electio, non sors. Quando autem Deus nulla nostra merita inuenit, sorte voluntatis nos saluos fecit, non quia digni fuimus, sed quia voluit. Sic Paulus cap. 1. epistolæ ad Coloss. Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, & ad Ephes. 1. in quo etiam nos sorte vocati sumus. Quanquam hebr. non sit: Sortes meæ, sed tempora mea, quomodo D. Hieron. vertit ad heb. veritatem.

Restituta nostra translatio.

¶ L. Non est græcè apud 70. in abusione, sed in comtemptu: nam græca vox est ἐξουδενώσει, quæ significat contemptum vel nihili pensionem. Vnde August. legit: In superbia & contemptu: Hiero. ad hebr. veritatem in superbia & despectione. Iustus enim apud iniquos & impios cōtēptui patet & despectui habetur. Vnde Apostolus, tāquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema, & Psal. 122. ex persona ecclesię clamat Dauid. Miserere nostri Domine miserere nostri, quia multū repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus & despectio superbis.

Ciuitas munita περιοχῆς.

¶ M. Quod nos legimus in ciuitate munita, August. legit, in ciuitate circunstantiæ: est enim græcè vox περιοχή, quæ significat complexionē, siue comprehensionem & argumentum, id est, materiam libri paucis comprehensam. Nam περιέχω verbum græcum est complector, vndique comprehendo & contineo. Duplici itaque ratione Ecclesia vocatur ciuitas περιοχῆς, vel quòd per orbem sparsa, omnes fines mundi comprehendat intra se, vel quòd angelorum præsidio cingatur vndique et Dei auxilio muniatur. Vnde Dauid alibi de ecclesia loquens sub nomine montis Sion: Qui cōfidūt inquit in Domino sicut mōs Sion, nō cōmouebitur in ęternū qui habitat in Hierusalē. Mōtes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi eius, ex hoc nūc & vsq; in seculū. Aug. ita interpretatur versiculū hūc: Benedictus Dominus, quoniam post emēdationē acerrimarū persecutionū mirabilē fecit misericordiā suā per orbē terrarum in circuitu societatis humanę. ¶ N. Hoc est interprete Aug. in pauore meo dixi, vidit se pauētē intus & cor suū pauidū & trepidū, & ait: Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Si in facie tua essem, non sic pauerem, non sic trepidarem. At quia id confessus sum nec superbus extiti, & in tribulatione mea titubans ad te clamaui, ideo exaudisti

oratio-

orationem meam. ¶ O. Aduerbium abūdanter, cohæret participio facientibus, nō autē verbo retribuet. Vnde Aug. clariùs legit hoc modo: Retribuet his qui abundanter faciunt superbiā. Is autem abundanter facit superbiam interprete Aug. qui nec cōuictus conuertitur, quia multū superbit, quales sunt obstinati peccatores & hæretici. Abūdāter facere superbiam.

Intellectus David. *Psalmus XXXI.*

BEati [A] quorū remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata. Beatus vir cui nō imputauit Dominus peccatum, nec est in [B] spiritu eius dolus. Quoniā tacui, inueterauerūt ossa mea dum clamarē tota die. Quoniā die ac nocte grauata est super me manꝰ tua, cōuersus [C] sum in erumna mea dum configitur spina. Delictū meum cognitū tibi feci, & iniustitiā meā non abscondi. Dixi cōfitebor aduersum me iniustitiā meā Domino, et tu remisisti impietatē peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus [D] in tēpore oportuno. Verūtamē in diluuio aquarum multarū [E] ad eū nō approximabunt. Tu es refugiū meū à tribulatione quę circundedit me: exultatio mea erue me à circūdātibus me. Intellectū [F] tibi dabo et instruā te in via qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus nō est intellectus. In camo et freno maxillas eorū cōstringe, qui nō approximant ad te. Multa flagella peccatoris: sperātē autē in Domino misericordia circundabit. Lętamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini oēs recti [G] corde.

Aug. Si iā exultas, quid vis redimi, gaudeo inquit et gemo, gaudeo in spe, gemo adhuc in re.

¶ A. Titulus psalmi huius est in nostris exēplaribus. Intellectꝰ Dauid. Apud Aug. Ipsi Dauid intelligentia. Sciendū autē apud 70. græcè vocē intellectus esse genitiui casus & regi à substātiuo psalmus vt admonuimus in titulo psalmi pręcedētis. Apud 70. enim ita habet titulus, psalmus ipsi Dauid intelligētię vel intellectus, vt sensus sit psalmus intelligentię scriptus ipsi Dauid, vel ab ipso Dauid. Apud D. Hier. ad heb. veritat. ita habet titulus. Eruditio Dauid. Hoc enim psalmo spiritus s. per prophetā erudit nos, vt intelligamus nō meritis operū nostrorū, sed gratia Dei hominē liberari cōfitētē peccata. Iudęi enim suam iustitiā ostentantes et stabilire volētes, à Dei iustitia exciderunt. Hinc et apostolus Paulus cap. 4. ad Rom. ostēdere volēs fide nos iustificari nō operibus legis vtitur testimonio huius psalmi. Hoc igitur quia noluerūt intelligere Iudęi, à gratia Dei exciderunt, aduersus quos hic psalmus præcipuè scribitur, vt aliquando discant non in operibus legis & propria iustitia gloriandum esse, sed in Dei gratia & misericordia. ¶ B. Diuus Hieronymus & item August. legunt. Nec est in ore eius dolus, quomodo & græca nostra exemplaria habent. Tametsi Hieronymus scribens ad Simiam & Fretellā asserat hanc lectionē esse solius Symmachi: nam 70. interpretes Theodotio Aquila & quinta & sexta editio & hebraica veritas legunt, nec est in spiritu eius dolus: sensus autem idem est. Nam is non habet in ore dolū, qui cùm sciat se peccatorē, non prædicat verbis nec ostentat suā iustitiā reclamāte propria conscientia: qui autē talis est, is profectò nec in spiritu, id est, animo dolū meditatur, vt falsa iustitia & simulata sanctitate se cōmendare cupiat, vnde Nathanaël ille apud Iohannē meruit audire à Christo. Ecce vere Israëlita in quo dolus nō est. ¶ C. Id est, resipui & miserijs meis didici me peccatorem esse. Quod autem sequitur, dum cōfigitur spina, græcè est significantius, dū infigitur mihi spina: additur enim datiuus mihi, nec est configi, sed ἐμπαγῆναι, id est, infigi, per spinam autem hoc loco intelligit remorsum & stimulum cōsciētiæ quæ peccatorē assiduè pungit, & scelerū suorū admonet. ¶ D. Oportunū tempus intelligit Aug. tēpus noui testamenti & legis euangelicæ, quando manifestāda erat gratia Christi. De quo Paulus scribens Galatis. Cùm venit inquit plenitudo temporis, misit Deus filiū suū factū ex muliere, factū sub lege, vt eos qui sub lege erāt, redimeret: per legē enim cognitio peccati: lex itaq; quæ peccādi pronitatē auxit, spinā infixit, & peccati cōsciētia animā assiduè pupugit, vnde idem apost. Legē stimulū peccati appellat scribēs Corint. D. verò Hier. per oportunū tēpꝰ intelligit tēpꝰ vitę nostrę, quòd hoc opor-

Quare titulus habeat. Intellectus siue intelligētiæ Psalmus.

Quis dolus in ore: & quis dolus in spiritu.

Spina.

Tempus oportunū quod sit.

hoc oportunum sit ad exorandum Deum pro peccatis à quibus nemo immunis est, quod & Esaias appellat tempus acceptum & diem salutis: sanctos autem vocat eos qui per baptismum sanctificati sunt. ¶ E. Aquarum nomine sæpe afflictiones significantur, vt ibi, intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam: cùm autem fluctus diluuiorum, id est, grauissima mala & intolerabilia supplicia in iudicio extremo impios vallabunt, ad sanctos qui in hac vita Deum exorauerunt pro peccatis suis hęc non peruenient, nec illos attinget tormentum malitiæ. D. Hiero. ad hebraicam veritatẽ ita reddidit hos versiculos. Pro hac orabit omnis misericors ad te tempus inueniens: vt cùm inundauerint aquæ multæ, ad eum non accedant. ¶ F. Intelligere te faciam vnde petenda sit vera iustitia. Nam psalmus hic habet titulum intelligentiæ, vel interprete Hieron. Faciam vt intelligas, cur in hoc seculo affligãtur boni & multis calamitatibus opprimantur, & prosperitate fruãtur mali, quæ res nisi intellectum nostrum illuminet Deus, grauiter nos offenderet. Vnde & Hieremiam res ista anxium & dubium habuit dicentem. Iustus quidem es Domine si disputem tecum. Quare prosperatur via impiorum, bene est his qui operantur malum? De hoc itaque dono intellectus Dauid alibi: Quis sapiens & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini? ¶ G. Recti corde sunt, vt inquit Hiero. quibus omnia iudicia Dei placent, vtpote recta & æquissima: & se accusant quoties præmuntur malis, & Deum siue in prosperis siue aduersis semper laudant. Qui autem eiusmodi sunt, habent vnde semper gaudeant. Nam tales Deus non desinit cumulare varijs donis & immensis beneficijs, vt hîc cum persecutione centuplum accipiant, & præterea vitam acquirant sempiternam. Nam Dauid alibi. Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde.

Aquæ significant sæpe afflictiones. Diluuium.

In A finem psalmus Dauid. *Psalmus* XXXII.

EXultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio. Confitemini Domino in cithara, in psalterio B decem chordarum psallite ei. Cantate ei canticum nouum, bene psallite ei in vociferatione. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Diligit misericordiam & C iudicium Dominus, misericordia Domini plena est terra D. Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Congregans E sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris F abyssos. Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. Consilium G autem Domini in æternum manet, et cogitationes cordis eius in generatione & generationem.

August. legit solidati sunt.

¶ A. Psalmus hic continet vocem prophetæ cohortantis omnes quotquot fide iustificati sunt & recti corde sunt, submittentes se tam in aduersis quàm prosperis diuino iudicio, vt Deum laudent & in eo exultẽt, cuius tanta maiestas & potentia est, vt solo iussu omnia cælestia & terrena condiderit, & eadem sapientissimè gubernet, & cunctis benignissimè prospiciat. ¶ B. Inter citharum & psalterium hoc interesse volunt, quòd cithara chordas aut fides deorsum propendentes habet. Psalterium autẽ easdem habet in planum porrectas & iacentes atq; supinas: & cithara triangularem formam habet, psalterium quadrangularem. Porrò cùm vtrunq; fidibus intendatur, quę vel ex neruis aut intestinis animalium mortuorum fiunt, mysticè per citharam & psalterium, animus humanus significatur, qui mortificatis membris & crucifixis concupiscentijs, & carne vigilijs, ieiunijs, & pijs exercitijs attenuata & extensa in modum neruorum citharæ, suauissimum & Deo gratissimum concentum edit: & bene psalterium decem chordarum dixit: tunc enim Deo canimus psalterio decachordo, cùm decalogi præcepta obseruantes, spirituale canticum illi occinimus, quod & nouum canticum appel-

Cithara. Psalterium.

pellatur respectu cantionum illarum, quæ apud Iudæos erant, qui externo fidium concentu se putabant Deum posse placare & demulcere, quæ olim abiecit & repudiauit Dominus. Sic enim per Amos prophetam dicit: Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam. ¶ C. Istud pugnare videtur cum illo quod pręcipit Moses Exod. 23. Non misereberis pauperis in iudicio: verùm explicat paulò pòst, quomodo id intelligendũ sit cùm dicit. Nõ declinabis in iudicium pauperis, id est, non deflectes à recto vt pro paupere iudices. Est itaq; sensus: Non propter pauperem, nõ propter diuitẽ, nõ propter familiarẽ aut alienũ declines à recto iudicio, sed priùs iudica rectũ iudicium, & deinde subueniat misericordia, & leuet inopiam pauperis. ¶ D. Terra, id est, omnes terrã habitantes: pluit enim super iustos & iniustos. ¶ E. Iuxta literã id verum est: Nã Deus pater per Verbũ, id est, filium suũ omnia fecit: vnde Paulus scribẽs Colossensibus inquit: In ipso, id est, per ipsum filiũ sunt cõdita vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia: & Iohan. cap. 1. sui euãgelij: Omnia inquit per ipsum Verbũ facta & sine ipso factũ est nihil quod factũ est. Et per filiũ cõdita est omnis virt⁹, id est, potẽtia cælorũ qua alũt vegetãt & conseruãt terrestria: aut per virtutẽ cælorũ, intellige potestatẽ angelicã, vt apud Lucã: virtutes cęlorũ mouebũtur. At iuxta allegoriã, per cælos intelligim⁹ Apostolos vt psal. 18. dictũ est, vt sensus sit, verbo Domini, id est, per filiũ qui patris sapiẽtia est, cæli, id est, apostoli qui nos cõpluunt doctrinis vt seges ecclesiæ per totum mundũ pullulet, firmati sunt, hoc est, plenè instructi & aduersum persecutionum procellas solidati, & per spiritum S. collata est illis omnis eorum virtus in edendis miraculis. ¶ F. Thesaurus vt Paulus iuriscõsultus ait, Est vetus quædã repositio pecuniæ cuius nõ extat memoria, vt iam Dominum non habeat. Hodie autem omnem pecuniã grandiorem repositam, thesaurũ appellamus. Hinc sępe pro ipso scrinio quo claudũtur accipitur. Hinc Virg. 4. Geor. Aluearia apũ, thesauros metaphoricè appellat: sic hoc loco subterranea illa immẽsarum aquarum receptacula, thesauros appellat. Sic & Iob propheta: Nunquid adspexisti thesauros niuis & grandinis, quæ præparaui in diem belli: & Dauid alibi, Qui producit ventos de thesauris suis. ¶ G. Consilium intelligit illud arcanum de redimendo genere humano & fundanda ecclesia, & creando nouo populo christiano, qui in locum perfidorum Iudæorum substituẽdus esset: vnde & apud Esaiam, filius appellatur magni consilij angelus. Hoc consilium subuertere conati sunt tyranni, & reges huius mundi & principes tenebrarum concitantes gentes & Iudæos in odium Christi, & populi christiani, sed nihil profecerunt: vnde Esaiæ 8. inquit Dominus, velut digito illos notans. Inite consilium & dissipabitur, loquimini verbum & non fiet. Consilium autem meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.

Amos 5.

Quomodo exercemus iudicium & misericordiam.

Quomodo cęli firmati sunt verbo domini.

Thesaurus.

Consiliũ Domini arcanum.

Beata[H] gens cuius est Dominus Deus eius, populus quẽ elegit in hæreditatẽ sibi. De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De[I] præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. Qui finxit sigillatim corda eorũ, qui intelligit omnia opera eorũ. Nõ saluatur Rex per multã virtutẽ, & gigas nõ saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutẽ, in abũdantia autẽ virtutis suæ non saluabitur[K]. Ecce oculi Domini super metuentes eũ, & in eis qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte animas ipsorũ & alat eis in fame[L]. Anima nostra sustinet Dominũ, quoniã adiutor & protector noster est. Quia in eo lætabitur cor nostrũ, & in nomine sancto eius sperauimus. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.

¶ H. Hæc solida est & vera beatitudo, quæ homini in hac vita contingere potest. Nã tametsi ratione creationis omnibus sit vnus Deus, affectu tamẽ et religione non omnes Dominũ pro Deo habẽt. Nã auarus pecuniã pro Deo habet: vnde auaritiam, Apostolus idolorũ seruitutẽ appellat: alij ventrem, id est, voluptates ventris pro Deo habent. Is autẽ Dominũ Deum habet, qui nihil amplectitur, amat aut colit supra

Deum, aut ęquè ac Deum: vnde Dauid psal.143. Beatum dixerunt populũ cui hęc sunt. Beatus populus cuius Dominus Deus eius: Potest & hic sensus esse, Beata gens quæ Deũ suũ habet pro Domino, vt illi soli seruiat non ventri, non cupiditatibus, & hunc sensum Aug. reddit, sic enim habet: Vna gens beata est pertinẽs ad cœlestẽ ciuitatẽ, quę sibi Dominum non nisi Deum suum elegit. Ne autem quis existimet, id sua industria aut labore solùm assequi, subdit, quem eligit Dominus in hæreditatẽ sibi. Is enim necesse est, vt prior nos eligat: vnde apud Iohannem ait: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. ¶ I. Præparatum habitaculum dicit interprete Aug. Apostolos & prædicatores, quorum corda sibi in habitaculum præparat: vidit itaq; nos de Apostolis & prædicatoribus quos ad nos conuertendos misit. Hæc enim omnia domus & habitaculum eius, quia hæc omnia cæli quæ enarrant gloriam Dei. Sciendum tamen idiomate hebraico præparatum dici, quod est firmum & vndiq; munitum, & ad cuius firmitatem nihil desideretur: vnde clariùs ex hebr. vertit Hier. De firmissimo solio suo perspexit ad vniuersos habitatores terræ. Sic & psal.92. vbi nos legimus, Parata est sedes tua ex tunc, ille ad heb. verit. vertit, Firmum soliũ tuũ ex tunc. ¶ K. Dauid hæc duo metum & spem ferè coniungit, quod alterũ sine altero non posit Deo placere: qui enim metuit vt nulla spe bonorum animum suum sustollat, is in disperationis Barathrum propellitur: qui autem sperat sic vt non metuat, in temeritatem & negligentiam prolabitur. Nam metu retinendus est animus, ne insolescat, spe firmandus, ne malis succumbat: vnde psal.146. Beneplacitũ est Domino super timẽtes eum, & in eos qui sperant super misericordia eius. ¶ L. Famem intelligit, non tam panis & alimenti corporei, quàm verbi Dei, & diuinorum oraculorum & omnis gratię spiritualis, quibus mens alitur & vegetatur: hác famem comminatur Dominus per Amos prophetam cap.8. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & emittam famem in terrã, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiẽdi verbum Domini. In illa die deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti.

Præparatum quid appelletur idiomate hebraico.

Spes, & metus.

Fames.

Psalmus Dauid cùm immutauit[A] vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum & abijt. *Psalmus XXXIII.*

BEnedicã Dominũ in omni tẽpore, semper laus eius in ore meo. In[B] Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur. Magnificate Dominũ mecũ, & exaltemus nomẽ eius in idipsum. Exquisiui Dominũ & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me[C]. Accedite ad eum & illuminamini, et facies vestræ non confundentur. Iste[D] pauper clamauit, et Dominus exaudiuit eum, et ex omnibus tribulationibus eius saluauit eũ. Immittet [E] angelus Domini in circuitu timẽtiũ eũ, et eripiet eos[F]. Gustate et videte quoniam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo. Timete Dominũ omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eũ. Diuites eguerunt et esurierunt, inquirẽtes autem Dominum, non minuentur omni bono. Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos.

Titulus huius psalmi historiam notat quæ scribitur cap. decimo octauo 1. Regum de Dauid, quomodo fugiẽs insidias Saul post occisum Goliath Phlisteũ venerit in Geth ad Achis regem, & cùm ibi quoq; se proditũ videret & insidias sibi timeret, mutauerit vultum suum & insaniam & delirium quoddam simulauerit coram rege cadens & impingens in ostium portæ, saliuis defluentibus per barbam illius, quo viso Achis Rex Geth amoliri illũ iussit & expelli è regia sua, & hoc pacto saluus abijt & elapsus est è manibus hostium. Verùm cùm titulus habeat nomen Abimelech nõ Achis sciendum altius quoddam mysteriũ hîc occultari, & æthimologiam nominis attendendam vt annotauimus in psal.7. vbi Saul appellatur Chus, quod æthopiem sonat: aut cum quibusdam dicemus omnes reges Palestinæ olim Abimelech dictos: aut scribarum vitio Abimelech positum pro Achimelech vel Achis melech, id est,

Achis Rex. Nam Melech heb. regē ſonat latinè. Sonat autem Abimelech pater meus Rex, aut patris mei regnum, quod ſine controuerſia in populum Iudaicum, aut regnum Iudæorum quadrat, ex quo ſecundum carnem genitus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: corā hoc ergo populo immutauit vultū ſuū exinaniens ſeipſum, & formam ſerui accipiens: & cùm cœleſtia ſacramēta carnalibus Iudæis ingereret, pro deliramentis hæc reputarunt: vnde inſanum & dæmoniacum illum appellarūt. Defluxus autem ſaliuæ in barbā, ſignificat diuinitatē fuiſſe infirmitate & humilitate carnis aſſumptæ: quare ſpretus à Iudæis & dimiſſus ab illis, abijt ad gentes, è quibus eccleſiam congregauit. Hoc itaque pſalmo Dauid ex Chriſti perſona Deo patri gratias agit, & ad ſimilem gratiarum actionem omnes inuitat, commemorās quàm bonus & ſuauis ſit Dominus & beneficus in timentes ſe. ¶ B. Id eſt, vita mea ſtudio pietatis dedita, & aſpera mundi ęquo animo ſuſtinens, laudabitur ab ijs qui Domini ſunt. Aut laudabitur in Dño, id eſt, in exercitio et obſeruatione mādatorū Domini, ex quo vera et ſolida laus naſcitur. ¶ C. Accedimꝰ, & appropinquamus Deo fide & affectu: vnde Apoſtolus in epiſtola ad hebr. Accedentē ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt. Affectu quoq; dicimur Deū accedere: vnde Iacobus ait: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: vt enim corpus paſsibus, ita anima affectibus mouetur. ¶ D. Aut ſeipſum demōſtrat propheta, quomodo alibi ſe appellat: Ego inquit mēdicus ſum & pauper, Dominꝰ ſolicitus eſt mei. Aut Chriſtū denotat, de quo Apoſtolus ſcribēs Corin. Scitis gratiam Chriſti, qui cùm diues eſſet, pauper factus eſt, vt illius inopia diuites eſſetis. ¶ E. Quod interpres noſter vertit immittet, gręcè eſt παρεμβαλεῖ, eſt autē παρεμβάλλω, pręter alia aciem ordino aut caſtrametor: vnde interpres in epiſtola ad hebr. Caſtra vertit, quod græcè eſt παρεμβολαί. Eſt itaq; ſenſus, angelus Domini ſuo pręſidio cinget & vndiq; muniet timentes Dominum. Vnde clariùs vertit ex hebr. D. Hieron. Circundat angelus Domini in gyro timentes eum.

Quid ſit in Domino laudari.

Emendata noſtra editio.

¶ F. Hæc dulcedo nō oris faucibus aut lingua percipitur, ſed animo. Benè autem præponit guſtum viſioni aut cognitioni: diuina enim dulcedo nulli effabilis eſt, nec ab vllo cognoſcitur, niſi qui guſtarit. Vnde Aug. ſcribens in pſal. 30. Quomodo inquit oſtēdam tibi multitudinem huius dulcedinis, qui palatum febre iniquitatis perdidiſti? Mel ſi non noſſes, quàm benè ſaperet non clamares, niſi guſtaſſes, palatum cordis non habes ad hęc bona guſtanda, quid tibi faciam? quomodo oſtendam? non eſt cui dicam, Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.

Dulcedo diuina animo, non faucibus percipitur.

Quis eſt homo qui vult vitam? diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum [G]. Diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorū. Vultus autē Domini ſuper faciētes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta eſt Dominus his qui [H] tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia [I] oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. Mors peccatorū peſſima, & qui oderūt iuſtum, delinquent. Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum, & non delinquent omnes qui ſperant in eum.

¶ G. Quod interpres vertit nō malè, diuerte à malo, Aug. legit: Declina à malo: eſt enim græcè ἔκκλινον, quomodo & latinus interpres vertit cap. 3. prioris epiſtolæ Petri, vbi ſic habet: Qui enim vult vitam inquit diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquātur dolum: declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam. Propriè autem dixit, declina à malo: vbiq; enim offerunt ſe mala, & inuitis etiam nobis ſe ingerunt, cùm virtutes per laborem acquiramus nobis. Nec enim ſatis eſt declinaſſe mala, niſi faciamus bona. Parū enim eſt inquit Aug. vt non exſpolies veſtitum, veſti nudum. Si non exſpoliaueris, declinaſti

à malo:sed non facies bonum, nisi nudum operueris,& peregrinum susceperis in domum tuam. ¶ H. Non est propriè apud 70. græcè,tribulato corde, id est, afflicto & ęrūnis oppresso, sed contrito corde:vnde Aug.rectiùs legit. Iuxtà est Dominus his qui obtriuerunt cor . Porrò conterere siue obterere cor , est duritiam cordis emollire pœnitentia & humilitate animi.Idiomate enim hebraico excelsi appellantur superbi:contriti autem & confracti humiles & animo submissi : vnde clariùs ad heb.veritatem hunc versiculum legit D. Hieron. Iuxtà est Dominus contritis corde , & confractos spiritu saluabit,gręca lectio sic habet,συντετριμμένοις τὴν καρδίαν.Ossa allegoricè in sacris literis appellantur virtutes animæ, præcipuè eæ quas theologicas vocant, fidem,spem,& charitatem.His enim animus firmatur & solidatur,ne succumbat aduersis,nō aliter quàm corpus firmatur ossibus.Hæc ossa Dominus custodit, quoties in tribulationibus non finit suos per impatientiā amittere spem & charitatem erga Deum & proximum:& gratiam illi largitur,ne deficiat eorū fides :vnde Petro dixit. Simon, satanas expetiuit,vt cribraret te velut triticum:ego autem rogaui pro te,vt non deficiat fides tua.Sic quāuis latroni iustificato fracta sunt ossa & crura , firmamētū tamen fidei eius frāgi nō potuit ictibus illis,quibus fracta sunt crura eius,inquit August.

Cor contritum siue obtritum quod sit.

Ossa quæ appellantur in sacris.

A *Psalmus ipsi Dauid.* *Psalmus* XXXIIII.

IVdica Domine B nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende C arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam & cōclude aduersus eos qui persequuntur me, dic animæ meæ salus tua ego sum. Cōfundātur & reuereantur quærētes animam meam. Auertantur retrorsum,& confundantur cogitantes mihi mala. Fiant tanquam puluis ante faciē venti,et angelus Domini D coartans eos. Fiat via eorum tenebrę et lubricum,et angelus Domini persequēs eos. Quoniam gratìs absconderunt mihi E interitum laquei sui, superuacuè exprobrauerunt animā meā. Veniat illi laqueus quē ignorat,& captio quam abscondit, apprehēdat eū, et in laqueū cadat F in ipsum.

D.Hier.ad heb. verit.reddidit, Et præoccupa aduersus eos etc.

¶ A. Psalmus hic ex persona Christi canitur orantis Deum patrē, vt liberetur ab inimicis suis,quæ sic tamen accipienda sunt,vt pro membris suis hæc etiam precetur. Continet autem psalmus sacramentum passionis dominicæ in quo notandū est,quòd ea quæ hîc fletum lamentationem & ærumnas sonant,non diuinitati , sed humilitati assumptæ carnis conueniunt. ¶ B. Interpres reliquit accusatiuū, quē inuenit græcè,qui tamen vertendus erat in datiuum.Nam apud Atticos omnes datiui acquisitiuè positi,mutantur in accusatiuos:quod enim nos dicimus, facio tibi malum, illi dicunt, facio te malum:nos noceo tibi,illi noceo te,quamuis apud 70 . non sit propriè nocentes,sed ἀδικοῦντας,id est,lædentes,siue vt verbum reddamus verbo,iniuriátes aut iniuriam facientes: vnde ad heb.veritatem vertit Hier. Iudica Domine aduersarios meos.

¶ C. Per arma inquit Hier.diuinū adiutoriū:per scutum , diuinam protectionem accipimus.Sic per frameā vel gladiū diuinā vltionē intelligere possumus : aut cælestē illā & spiritualē panopliā postulat sibi à Deo dari, qua Apostolus Paulus nos instruit, ca.6.ad Ephes. Accipite inquit armaturā Dei,state succincti lumbos vestros in veritate, induti loricam iustitiæ , in omnibus sumentes scutum fidei , & galeam salutis assumite:& gladiū spiritus,quod est verbum Dei. ¶ D. August.legit , & angelus Domini tribulans eos,quamuis græcè non sit tribulans nec coartans, sed elidens eos.Est enim græcum participium ἐκθλίβων,vnde rectiùs ad hebr . veritatem reddit Hieronymus,Et angelus Domini impellat eos,nimirum ad ruinam, hoc est, cadere eos faciat. Porrò per tenebras interprete Augustino , ignorantiam intelligimus : per lubricum autem,luxuriam . Sunt autem mala ista magnæ pœnæ hominum : horrenda enim via . Nam tenebras solùm quis non horreat,& lubricum quis non caueat . In lubrico enim & in tenebris quacunque is , non habes vbi pedem figas : quòd si pedem promoueris, laberis. ¶ E. Non est apud 70. græcè interitum,sed διαφθοράν, id est , corruptionem laquei, quomodo Augustinus legit , apud quem clariùs legitur hic ver-

Arma,Scutū. Rhomphæa, framea.

Emendata nostra translatio.

hic versiculus. Absconderunt mihi muscipulã, id est, laqueum corruptionis suæ, id est, qua me perdere & interimere conati sunt. Quanquam hebr. nec corruptio, nec interitus sit, sed insidias laquei. Vnde ad hebr. veritatem ita reddidit Hieronymus. Quoniam frustra absconderunt mihi insidias retis sui, sine causa foderunt foueam animæ meæ. ¶ F. Legendum est hoc loco non id ipsum, sed in ipsum, subaudi, laqueum, quare August. sic legit, & in muscipula cadat in ipsa. Nam propter epitasin & maiorem vehementiam repetitur relatiuum, ipsum. Quod reliquit Hieron. qui ita reddidit: Veniat illi calamitas quam ignorat, & rete suum quod abscondit comprehẽdat eum & cadat in laqueum.

Restituta germana lectio.

Anima mea autẽ exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo. Omnia ossa mea dicent, Dñe quis similis tibi? Eripiens inopem de manu [G] fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis, [H] sterilitatẽ animæ meæ. Ego autẽ cùm mihi molesti essent, induebar [I] cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meã, & oratio mea in sinu [K] meo cõuertetur. Quasi proximum & quasi fratrem nostrũ sic cõplacebam, quasi lugens & contristatus, sic humiliabar. Et aduersum me lætati sunt & conuenerunt, congregata sunt super me flagella & [L] ignorabam. Dissipati sunt, nec compuncti tentauerũt me, subsannauerũt me subsannatione, frẽduerunt super me dẽtibus suis. Domine quando respicies? restitue animã meã à malignitate eorũ, à leonibus vnicã meam. Cõfitebor tibi in ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Nõ supergaudeãt mihi qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis & annuunt oculis.

¶ Genitiuus est hoc loco positus loco ablatiui. Nã dicendum erat de manu fortiorum eo. Nam apud græcos comparatiuus semper habet genitiuum, quia ipsi ablatiuo carent, eodẽ modo & illud in euãgelio Iohannis translatũ est. Opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, pro maiora his. Hiero. clariùs sic vertit. Eripiẽs pauperem à validiore, & mendicum à violento. ¶ H. Animæ meæ datiuus est, non genitiuus, quod ex græco patet, ἀτεκνίαν τῇ ψυχῇ μου, & refertur ad verbum retribuebant. Cùm enim Christus omnibus beneficijs illos prosequeretur, morbos curaret, & mortuos suscitaret, & æternam obedientibus sibi vitam polliceretur, illi authorem vitæ occiderunt. Et animæ illorum vacuę omnium virtutum & steriles fructuum spiritualiũ beneficia pẽsabãt maleficijs: Vnde Dominus Esaię 5. De hac virtutũ & spiritualiũ fructuum sterelitate queritur appellatione vineæ, significans populum Iudaicum. Et nunc inquit, quid vltra debui facere vineæ meæ & non feci? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit lubruscas? ¶ I. De ieiunio Domini legimus in euangelijs? verùm cilicij quo vsus sit, nulla vspiam mentio fit. Quare cilicium appellat interprete Hieron. asperitatem passionis, & luctum de duritia populi non credentis: in luctu enim & pœnitentia cilicijs induebantur: græcè tamen non est cilicium, sed saccum σάκκον, quod tamen Hieron. ad hebr. veritatem reddidit cilicium. ¶ K. Oratio Christi conuersa est in sinum suũ, cùm in nulla re frustratus est à Deo patre: per sinum enim cor Dei patris, vnde prodiit filius, intelligimus: vnde Iohan. cap. 1. Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus Dei filius, qui est in sinu Dei patris, ipse enarrabit. Quanquam & hic potest esse sensus, etsi oratio mea propter multorũ perfidiã & incredulitatem non omnibus profutura sit, eadem tamen in meũ cõmodum & gloriam redundabit, vt simile sit illi euãgelico: Dicite, pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super eum: sin autẽ, ad vos reuertetur. ¶ L. Hoc loco accusatiuus pro datiuo positus videtur: certè Hieron. & Aug. in commentarijs suis in hunc psalmum legũt per datiuum hoc modo. Quasi proximo & fratri sic cõplacebam. Significat itaque

Genitiuus loco ablatiui.

Accusatiuus loco datiui positus.

 Christus

Christus his verbis (vt ex hebr. veritate colligimus) se suauitate & comitate morum cupiuisse pertrahere ad meliorem vitam Iudæos: & quāuis vnicus Dei filius esset, tam ciuiliter & humaniter cum illis se vixisse & versatum fuisse, acsi proximi & fratres sui fuissent: & cùm nullis beneficijs nec vllo amore saxea & ferrea illorum corda emollirentur, defleuisse & luxisse eorum obstinatam maliciā paterno aut materno potiùs affectu. Quare rectiùs hunc versum reddidit ad hebr. verit. Hieron. Quasi ad amicum, quasi ad fratrem sic ambulabam, quasi lugens mater tristis incuruabar. Et ignorabam: Ignorasse flagella & cruciatus dicitur Christus, non quòd horum aliquid eum latuerit, cùm Iohannes dicat, Iesum sciuisse omnia quæ ventura erant super eum: sed ignorasse dicitur, quia nullius culpæ, ob quam flagella perferret, sibi conscius fuit, quo sensu & suprà dictum est, quæ ignorabam, interrogabant me.

Quoniam mihi pacificè loquebātur, & super[M] iram dolos cogitabāt. Et dilatauerunt super me os suum, dixerunt euge euge, viderunt oculi nostri. Vidisti[N] Domine ne sileas, Domine ne discedas à me. Exurge & intende iudicio meo Deus meus et Dominus meus in causam meā. Iudica me Domine secundū iustitiam tuam Domine Deus meus, & non[O] supergaudeant mihi. Nō dicant in cordibus suis euge euge animæ nostræ, nec dicant[P] deuorabimus eum. Erubescant & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis. Induantur confusione & reuerentia qui magna loquuntur super me. Exultent & lętentur qui volūt iustitiam meam, & dicant semper, magnificetur Dominus qui volunt pacem serui eius. Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

¶ M. Quædam exemplaria hoc loco contra versionoem 70. interpretum legunt, In iracundia terræ loquentes dolos cogitabant: quæ lectio ex hebraica versione irrepsisse videri potest. Nam D. Hieron. sic reddidit hunc versiculum: Nō enim pacem loquuntur, sed in rapina terræ, verba fraudulenta cōcinnant: verùm græcè, apud 70. est: & super iram vel potiùs in ira dolosè cogitabant aut dolos comminiscebantur.

Silere quando dicitur Deus.

¶ N. Silere dicitur Deus quoties vindictā differt. Vnde suprà: Deus meus inquit, ne taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum. Vnde psalmo 49. De impio loquēs, Hæc fecisti & tacui. Sic apud Esaiā ca. 42. dicit Domin⁹: Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo, absorbebo simul, desertos faciam montes. Quāuis enim vtriusq; latronis & Christi pœna similis fuit, causa tamē diuersa fuit. Nā & martyres nō pœna facit, sed causa: alioqui omnia metalla martyribus plena essent, omnes cathenæ martyres traherent, omnes qui feriūtur gladio, etiā coronarētur: causa itaq; supplicij discernēda est, quod Christus hîc precatur. ¶ O. Reddidit interpres & compositionem & constructionem græcanicam, sed vtrumq; duriter minusq; latinè. Græci enim casum præpositionis addunt verbo cum quo componitur. Sic hoc loco ἐπιχάιρω, componitur cum præpositione ἐπί, quæ iuncta datiuo significat de aut propter, non autem super: quare resoluendum erant verbum compositę figuræ hoc modo, Non gaudeant propter vel de me, eodem modo & suprà vertendū erat.

Ἐπιχάιρειν, ob rē aliquam gaudere.

¶ P. Præteriti temporis verbum græcè est, non futuri vt quædam exemplaria habent, nec est propriè deuorauimus, sed deglutiuimus, vel vt Aug. legit, absorbuimus eum. Est enim idem verbū græcè hoc loco, καταπίομεν, quod est psal. 123. vbi ita vertit interpres. Cùm exurgerent homines in nos, forsan viuos deglutissent nos.

Christus seruus patris.

¶ Q. Seruum patris se appellat Christus propter carnem assumptā & serui formam. Sic Esa. 42. Ecce seruus meus suscipiam, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. & cap. 49. Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Israël, & feces Iacob conuertendas: posui te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Ipse autem est pax nostra, vt habet Paulus, factus nobis à Deo patre sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio.

In finem

In finem seruo [A] *Domini psalmus Dauid.* *Psalmus* XXXV.

DIxit iniustus vt delinquat in semetipso, nō est timor Dei ante oculos eius. Quoniam dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur [B] iniquitas eius ad odiū. Verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere vt bene ageret. Iniquitatē meditat⁹ est in [C] cubili suo, adstitit omni viæ nō bonæ, malitiā autē nō odiuit. Domine in cælo [D] misericordia tua, & veritas tua vsq; ad nubes. Iustitia tua sicut mōtes [E] Dei, iudicia tua abyssus multa. Homines & [F] & iumenta saluabis Domine, queādmodū multiplicasti misericordiā tuā Deus. Filii autē hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ: & [G] in lumine tuo videbimus lumen. Prætende [H] misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his qui recto sunt corde. Nō veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris nō moueat [I] me. Ibi ceciderūt oēs qui operātur iniquitatē, expulsi sunt nec potuerūt stare.

¶ A. Psalmus hic vel ad prophetam Dauid referri potest, vel ad Christum filium Dei, qui propter carnem assumptam & formā serui, in qua redemptionis humanæ dispēsationē execut⁹ est, bene seruus Domini appellatur, qui ex persona hominis assumpti ad Deum patrē loquitur. Quod autē in fine psalmi dicit, Nō veniat mihi pes superbiæ, si ad Christum referamus, nō pro se, sed pro membris suis, id est, pro nobis orat. Summa itaq; psalmi est hæc: vt doceat fontē omnis vitij & peccati ex libero nostro arbitrio nasci, nec aliquē peccare necessitate aut fati aut cōstellationis, quę peccatores prętexere solent flagitijs & sceleribus suis: Dei autem misericordia, quæ maxima est, omnes saluādos, modò antè actæ vitæ eos pœniteat & à peccatis abstineāt. ¶ B. Augustinus hūc versum rectiùs legit, quàm nos in vulgatis exemplaribus habemus. Hoc nimirum modo quo est apud 70. interpret. græcè. Quoniam dolosè egit in conspectu eius vt inueniret iniquitatem suam, & odisset: est enim græcè non ad odium aut & odium, vt alij codices habēt, sed & odisset, nec est verbum passiuum vt inueniatur, sed inueniret, actiuæ vocis vtrunq; verbum εὑρεῖν καὶ μισῆσαι, id est, inuenire & odisse. Est itaque hic sensus interprete Aug. Iniustus dolosè egit, id est, fraudulenter & non syncerè quæsiuit, & rimatus est iniquitates suas non vt illas odisset, vt easdem fugere & vitare posset, quia peccata sua defendere & excusare maluit quàm odisse & vitare, prætexens suis sceleribus aut fati necessitatem aut diuinam prædestinationem & præscientiam: quòd si simpliciter & syncerè ingressus fuisset quærens peccatum suum non vt defenderet, sed vitaret, inuenisset profectò fontē omnis peccati in nobis esse et idem odisset. ¶ C. Ad odium. Quoniā interpretatio D. Aug. coactior est quàm modò annotauimus, maximè cùm negationem addat, dicens peccatorem nō odisse peccata sua, quæ negatio in textu nō additur. Commodè possumus hoc odiū referre non ad illius peccata, sed ad Deū, quē velut authorem suæ impietatis accusat & odit. ¶ D. Istud pugnare videtur cū eo quod alibi dixit: Misericordia Domini plena est terra. At sciendum est duplicem esse misericordiā Domini, altera est quam nulli denegat qua vtitur etiam erga malos, quoties solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos: huius misericordiæ nullus expers est: quòd enim rationis participes sumus, qua Deum intelligere possumus quòd igni, aëre, et aqua vtimur, salute corporis fruimur, & cætera, eiusmodi diuinæ misericordiæ munus est, & de hac misericordia dictum est, Misericordia Domini plena est terra. Altera est quam præstat electis, quos sinit hìc malis & aduersis premi, vt in perpetuum illos coronet, & hæc misericordia est in cęlis, id est, ijs qui cęlestia quærunt & suspirāt, de qua alibi dictum est: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: misericordiā autē meā non auferā ab iis. Et veritas, id est, fides in pręstādis promissis est vsq; ad nubes, hoc est, nubibus, id est, verbi Dei prędicatorib⁹ cōmissa est vt eā hoīb⁹ annūciēt. ¶ E. Mōtes Dei tropo

Emendata nostra interpretatio.

Duplex misericordia diuina.

Montes Dei.

tropo hebraico dictum est pro altissimis montibus:quicquid enim eximium & omnibus modis excellens est,id Dei esse appellāt. Sic alibi Cedros Dei appellat,procerissimas & maximas:et vir Dei,pro excellenti et pręstanti & omnibus animi dotibus ornato:sensus itaq; est,iustitiam Dei esse maximam. ¶ F. Iuméta vocat,homines corporis voluptatibus & carnis affectibus per omnia obsequentes,qui se diaboli mācipia faciunt,quos suprà equis & mulis comparauit.De his & Iohel.1.propheta. Computruerunt iumenta in stercore suo.Vnde Psal.48.Cōparatus est iumentis insipientibus etc.

Iumenta.

¶ G. D.Hier.ad heb.veritaté legit hoc modo. Quàm preciosa est misericordia tua Deus,idq; rectiùs.Nam particula ὡς non est hoc loco similitudinis aduerbium,sed admirādi aduerbiū:quare vertisset, Quàm siue quātū multiplicasti misericordiā tuā Deus.

¶ H. Παράτεινον,id est,porrige siue proroga aut protrahe,hoc est,cōtinuā illis praesta, vt in nullo eos destituat & relinquat. Vnde Hieron.ad hebr.veritatem, attrahe misericordiam tuam. Vnde videtur autem interpres reliquisse protende,nō pętende.

¶ I. Per superbiam enim ceciderunt angeli autores omnis impietatis & iniquitatis,& per eandem superbiam expulerunt hominem è paradiso promittentes illi diuinitatem.Quare bene dictum est,initiū omnis peccati,superbia. Hæc enim angelos cælo expulit: nec enim cælum ampliùs eos sustinere potuit: vbi hanc animo & sola cogitatione conceperant,eadem & nos quotidie depellit ex via mandatorum Dei,quoties enim hæc interiora nostra occupat,iam stare ampliùs nequimus in via Dei.

Psalmus Dauid. Psalmus XXXVI.

NOli ęmulari in malignantibus, neque zelaueris A facientes iniquitatem. Quoniam tanquā fœnum velociter arescēt,& quemadmodum holera herbarum cito decidét.Spera in domino & fac bonitatem,& inhabita B terram,& pascêris in diuitiis eius. Delectare in domino,& dabit tibi petitiones cordis tui.Reuela domino viam tuam & spera in eo,& ipse faciet.Et educet quasi lumen iustitiam tuam, C & iudicium tuum tanquam meridiem, subditus esto Domino & ora eum.Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua,in homine faciente iniustitiā.Desine ab ira & derelinque furorem, noli æmulari vt maligneris.Quoniā qui malignātur exterminabuntur: sustinentes autem Dominum,ipsi hæreditabunt terram Et adhuc D pusillum & non erit peccator,quęres locum eius & non inuenies.Mansueti autem hæreditabunt terram,& delectabuntur in multitudine pacis.

Diuisio.

Psalmus 36.planè moralis est.Personā enim iusti glorificat & laudibus euehit. Iniusti autem notat & detestatur.Mores optimis præceptis format & instruit, bonitatem Dei erga suos prædicat,& vt potétiùs persuadeat ad virtutes amplectēdas & fugienda vitia,personam iusti & iniusti proponit,& quid cuiq; proprium sit,docet, simul ostendens quāta iustorum felicitas & iniustorum calamitas. ¶ A. Ζῆλος gręca vox plura significat,sicut æmulatio apud latinos:est enim aliquando vehemens amor,quoties nullum in partem amoris admittimus.Vnde & ζηλῶ verbum pro vehementer amo, hæc apud Paul.2.ad Corint.sunt,quæ interpres vertit eo loco.Æmulor vos Dei ęmulatione.Aliquando significat vehemens studium & conatum imitandi alium. Vnde & ζηλόω pro contendere cum aliquo & alterum imitari studere capitur. Sic accipitur in primo hoc versu,& item in 7.versu huius psalmi. Quanquam & 2° loco pro inuidere accipi posset:nam & hoc significat ζῆλος,Vt apud Paulum in prima ad Corint.epistola. Cùm inter vos est zelus & contentio etc.Quoties enim conamur alterum imitari & pares illi esse, & id assequi nequimus, inuidere illi incipimus: nam & latinè æmulus inuidus dicitur.August.vtrobiq; legit,æmulari,hoc modo.Noli æmulari in malignantibus neque æmuleris facientes iniquitatem. Clariùs ad heb.veritatem vertit Hieron.

Æmulari varijs modis vsurpatur in sacris.

Noli

Noli cõtendere cum malignis,neque ęmuleris facientes iniquitatem. ¶ B. Per terram Augult. ecclesiam catholicam intelligit,quam Dominus rigat & colit, cuiusque agricola pater est. Multi enim inquit quasi exercẽt bona opera,sed quia nõ inhabitant hanc terram,quòd abscissi sint ab ecclesia,non pertinent ad agricolam. Alij per terram,corpus hoc nostrum terrenum intelligũt,vt iubeat propheta nos dominari carni, non autem carnẽ nobis dominari. Verũ vtrunq; alienũ videtur ab heb. veritate quam ita reddidit Hier.Spera in Domino et fac bonitatem,& peregrinare in terra,& pascere fide:vel vt alij interpretes,pascere veritate.Monet itaq; propheta,vt velut peregrini et hospites viuamus in hoc mundo, quærentes cælestem patriam & fide nos alamus,& veritate promissionum diuinarum nos confirmemus. ¶ C. Iudicium hoc loco intelligit illud,quo decernimus relictis vitijs & cupiditatibus seculi adhærere Christo & sectari cælestia.Hoc enim iudicium hominis pij & iusti irridetur ab impijs & amatoribus mundi,qui putant stultitiam aut insaniam potiùs esse,spretis ijs quæ videntur ea sequi quæ non videntur,& longè absunt. Hoc itaque iudicium quàm sanum & egregium fuerit,ostendet palàm Christus in nouissimo die,cùm stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt,cùm serò iam damnabunt errorẽ suum dicẽtes:Ecce hi sunt etc. ¶ D. Adeò dicit aboléda omnia quæ sunt impiorũ & iniustorum,vt nec memoria eorum aut locus siue vestigium aliquod eorum reperiri possit:vnde paulò infrà.Vidi inquit impium exaltatum sicut cędros Libani,transiui et ecce non erat,quæsiui & non est inuentus locus eius.Hinc Sapient.5. sic loquuntur. Quid nobis profuit superbia?quid diuitiarum iactantia cõtulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam nauis,cuius,cùm præterierit,non est vestigium inuenire, neq; semitam carinę eius in fluctibus,sic & nos nati continuò desiuimus esse,& virtutis quidem signum nullũ valuimus ostendere,in malitia nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt,quoniam spes impij tanquam lanugo quę à vẽto tollitur: vnde et Iob 22,de momẽtanea felicitate hominis peccatoris ita legimus, Hoc scio quòd laus impiorũ breuis sit,& gaudiũ hypocritæ ad instar pũcti. Si adscenderit vsq; ad cęlum superbia eius,et caput eius nubes tetigerit,quasi sterquiliniũ in fine perdetur,et qui eum viderant,dicent:Vbi est? velut somnium auolans non inuenietur, & transiet sicut visio nocturna.Oculus qui eum viderat,non videbit, neque vltrà intuebitur eum locus suus.

Iudicium nostrum.

Obseruabit peccator iustum,& stridebit super eum dentibus suis. Dominus autem irridebit eum,quoniam prospicit quòd veniet dies eius. Gladium [F] euaginauerunt peccatores,intenderũt arcum suum,vt decipiant pauperem et inopem,et trucidant rectos corde.Gladius eorum intret in corda ipsorũ,& arcus eorũ confringatur. Melius est modicum iusto,super diuitias peccatorũ multas. Quoniam brachia peccatorum conterentur,confirmat autẽ iustos Dominus.Nouit [F] Dominus dies immaculatorum,& hæreditas eorũ in ęternum erit.Non confundẽtur in tempore malo, & in diebus famis [G] saturabuntur,quia peccatores peribũt. Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Mutuabitur peccator & non soluet, iustus autem miseretur & retribuet. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt [H]. Apud Dominum gressus hominis dirigentur,& viam eius volet. Cùm ceciderit non [I] collidetur,quia Dominus supponit manum suam.

¶ E. Per gladium, intelligimus apertam oppugnationem & persecutionem: per intẽtionem arcus, occultas insidias.Nã gladio palàm et cominus aggredimur hostem: arcu verò ex insidijs, occultè & ex insidijs adorimur aliquem. Quanquam per arcum non absurdè fraudulenta dogmata, & falsa scripturæ testimonia accipere possumus, quæ concinnant hæretici ex scriptura falsò & perperàm interpretata, vt annota-

annotauimus psalmo decimo in illum versum. Quoniam peccatores intenderunt arcum, parauerunt etc. Nec est hoc loco vt decipiant, sed κατaβaλεῖν, id est vt deijciant siue prosternant pauperem etc: vnde hebr. veritas ita legit, vt percutiant egenum & pauperem. ¶ F. Non est græcè apud 70. dies immaculatorum, sed ὁδοὺς, id est, vias, quomodo & apud Hieron. habet vulgata editio: similiter August. legit, Nouit inquit Dominus viam immaculatorū, quod idem sic interpretatur. Quando patiuntur mala, vias malas ambulare creduntur ab ignorātibus, qui non nouerunt videre vias immaculatorum. Ille qui eas nouit, scit per quam rectam viam ducat mansuetos suos. Porrò nouisse Domino id dicitur quod approbat, et sua cognitione dignū ęstimat: sic Prouerbiorū 4. ca. Vias quę à dexteris sunt, nouit Dominus: peruersę verò sunt, quæ à sinistris sunt. ¶ G. De hac fame non tam panis, quàm verbi Dei, & omniū diuinorū charismatum suprà dictum est psal. 32. in illum versum, Vt eruat à morte animas eorum. Quod autem hic vocat tempus malum & dies famis, Hiere. 17. vocatur tempus siccitatis, quo loco elegans discrimen ponit inter iustum sperantem in domino, & impium confidentem in homine. Maledictus inquit homo qui cōfidit in homine, & ponit carnem brachium suum vt à Domino recedat cor eius: erit enim quasi miricæ in deserto, & non videbit cùm venerit bonum: benedictus vir qui confidit in Domino, & erit tanquam lignum quod transplantatur super aquas, & nō timebit cùm venerit ęstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum. ¶ H. Rectiùs legit August. hunc versiculum in suis Commentarijs, quàm nos in vulgata editione, hoc modo. A domino gressus hominis dirigentur, cui consentit heb. veritas quæ sic habet. A domino gressus viri firmantur: est enim gręcè præpositio παρά, quæ iuncta genitiuo significat a vel ab: iuncta verò datiuo, significat iuxta vel apud, quam differentiam non satis animaduertit interpres: & in græcis exemplaribus additur vox, quæ in latinis relicta est. Sic enim 70. græcè legunt. A domino gressus hominis dirigentur, et viam eius volet nimis: hoc est, homo cuius gressus dirigūtur à Domino, is nimis cupiet vias Domini ingredi, sicut alibi dictum est, Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. ¶ I. Cùm ceciderit inquit Hier. propter infirmitatem carnis, quia septies in die cadit iustus & resurgit: non collidetur, hoc est, non accipit lætale vulnus animę, quia agenti pœnitētiam manum misericordiæ porrigit. Sic Dauid & Petrus cognitum peccatum lachrymis expiarunt, & à Domino confirmati sunt.

Restituta germana lectio. *Fames spiritualis.* *Restituta lectio.*

Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec K semen eius quærens panem. Tota die miseretur & commodat, & L semen illius in benedictione erit. Declina à malo & fac bonum, & inhabita in seculum seculi. Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos, in æternum conseruabuntur. Iniusti punientur, & semen impiorum peribit. Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius. Considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum cùm iudicabitur ei. Expecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te vt hæreditate capias terram, cùm perierint peccatores videbis. Vidi impium superexaltatum sicut M cedros Libani. Et N transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Custodi innocentiam & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ O homini pacifico. Iniusti autem disperibūt, simul reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos quia sperauerunt in eo.

¶ K. Istud non est intelligendum de pane corporali, sicut & suprà monuimus famem non tam ad corpus quàm ad animam referendam. Nam patriarchas constat famem passos & panem quæsiuisse. Nam Abraham fame compulsus est descendere in Ægyptum: similiter Isaac & Iacob, penuria frugum & fame vrgente, regiones mutare coacti sunt, sicut de Helia quoque constat. Apostolos quoque fame laborasse, & panem hūc corporeum scimus quęsiuisse. Quare mysticum panē hoc loco accipimus, id est, verbū Dei quo anima nutritur, de quo Deuter.8. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei: de quo alibi Dauid. Percussus sum vt fœnū, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panē meū. ¶ L. Semē iusti vel opera iusti, id est, virtutes & honestas actiones dicit vt psal.125. Euntes ibant & flebāt mittentes semina sua. Aut semen vocat filios, nepotes et posteros, quos imitatores suæ virtutis post se reliquit superstites. Sic psal.111. Potens in terra erit semē eius, generatio rectorum benedicetur. Imperatiuus hoc loco potest videri positus loco futuri indicatiui, pro inhabitabis, nimirum terram illam viuentium, de qua paulò infra: Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam. Verùm quoniam hebraica veritas legit interprete Hier. Et inhabita in sempiterno: Per sempiternū non absurdè ipsum Deum accipimus, in quo iustus habitare dicitur, quia in eo acquiescit, & vltimum finem suum collocat. Vnde illud Deuteronomij. Amantissimus Domini habitabit confidenter, & in eo tanquā in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. ¶ M. Cedrus arbor est quæ cariem non sentit sicut & cupressus: vnde apud latinos cedro digna dicuntur scripta, quæ immortalitatem merentur, hoc est, quæ eiusmodi sunt vt digna sint quæ perpetuò seruentur: chartæ enim illitæ succo cedri, immunes erant à tineis & blattis: vnde illud Persij, Cedro digna locutus: & Horat. Speramus carmina fingi posse linenda cedro, & leui seruāda cupresso. Comparat itaque impium sublimatum dignitate & opibus cedro, vel propter perpetuitatem ligni, vel propter proceritatem & firmitatem materiæ: Syria enim vt scribit Theoph. lib.5. de plantarum natura cap.9. procerissimas habet cedros. Eius verba hæc sunt interprete Theodoro Gaza. In Syria inquit cedri in montibus & crassitudine & longitudine pręstantissimę exeunt: quippe adeò crassescunt, vt sint quas vlnę hominum quatuor nequeant amplecti: Hæc ille. ¶ N. Transire non est hîc, gressu de loco ad locum transferri, sed à carnali sensu & iudicio transire ad spiritualem intellectum, & subtilius exactiúsque rerum examen: transit itaque mens, quoties iam in contemplatione rerum proficit, vt singula talia videantur illi qualia reuera sunt. Vnde August. Si adhuc carnaliter cogitas inquit, & ista terrena felicitas, vera tibi videtur felicitas, nondum transisti. Profice & transi, & cùm proficiendo transieris, videbis nouissima ipsius & dices: Ecce non est iste qui sic tumuerat, hæc ille. ¶ O. Reliquiæ dictæ sunt, omnia quæ relinquuntur: quare per reliquias, mortale hoc nostrum corpus intelligimus, quod anima exuit & in terra relinquit, quod quidem nō perit, tametsi in puluerem redigatur, sed quiescit vsque ad diem iudicij suscitandum denuo ad immortalem vitam, quæ spes adempta est impijs, quorum & anima & corpus perpetuis supplicijs & æternæ morti traduntur: vnde subdit, Reliquiæ autem impiorum interibunt. Quanquam per reliquias possimus accipere & opera & memoriam nomēq; quod posteris relinquunt, de quibus dictum est illud, Perijt memoria eorū cū sonitu, cùm cōtrà de iustis dictum sit: In memoria æterna erit iustus.

Panis mysticus.

Semē iustorum quod sit.

De cedrorum natura.

Trāsire quid sit.

Reliquiæ.

Psalmus Dauid in rememoratione diei Sabbati.

PSALMVS XXXVII.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ [A] tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Putruerunt [B] & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem,

finem,tota die contristatus ingrediebar. Quoniam C lumbi mei impleti sunt illusionibus,& non est sanitas in carne mea. Afflictus sum & humiliatus sum nimis,rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Cor meum conturbatum est,dereliquit me virtus mea,& lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. Amici D mei & proximi mei aduersum me ap-

Titulus huius psalmi apud heb.est.Cãticum Dauid in commemoratione. Apud 70. verò interpretes,Psalmus Dauid in rememoratione diei Sabbati, vel vt Aug.legit, In recordationem Sabbati. Qui titulus optimè præfigitur huic psalmo, qui ex persona pœnitentis canitur:tunc enim maximè dolemus & plangimus miseriam conditionis humanæ in quam per peccata incidimus, quoties recordamur mystici & spiritualis illius sabbati quod egit anima in paradiso,in statu innocentię adhuc cõstituta,cùm caro aduersus spiritum nulla intestina bella mouebat. Sabbatum enim requiem significat:is itaq; mysticè & spiritualiter agit sabbata,qui desinit à peccatis,& non implicat se seruilibus operibus:nullum enim opus seruilius peccato,quod in miserrimam seruitutem nos redigit: vnde Apostolus scribens heb. Relinquitur itaq; Sabbatismus populo Dei. Vt hic quoad possibile est ferietur à peccatis, dum ad verum illud sabbatum & cælestem requiem transferatur. De quo Esa. vlt. Et erit inquit mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato. Totus itaque hic psalmus ex persona hominis pœnitentis, vt diximus,canitur: sic tamen vt ad Christum referri possit,non quidem ratione capitis quod ipse est,sed ratione membrorum suorum quę nos sumus, vt iam sępius admonuimus.

Sabbatũ mysticum quod sit.

¶ A. Sagittas dicit vel diuina oracula,quę cum salutari metu amore nos sauciant. De quibus psal.44. Sagittæ tuæ acutæ etc. Vel sagittas dicit interprete Aug. Pœnas & vindictam peccatorum,id est,corporis & animæ dolores quos necesse est hîc pati.

Cicatrices animæ quæ sunt, vide.

¶ B. Non de cicatricibus corporis,sed animæ hæc accipienda sunt. Sacræ enim literæ frequentissimè ea quæ corporũ propria sunt, ad animã transferũt: vnde Esa.cap. 1. Signficare volẽs populum Iudaicum plenum vitijs, & grauissimis animæ vulneribus saucium,inquit:Omne caput languidum, & omne cor mœrens,à planta pedis vsq; ad verticem,non est in eo sanitas: vulnus & liuor & plaga tumens non est circunligata, nec curata medicamine,nec fota oleo, Similiter hoc loco intelligẽdũ. Tũc itaq; cicatrices,vel vt Aug.legit,liuores nostri putrescunt & corrumpuntur,cùm per peccatum accepto lætali vulnere animæ,non curamus illud per pœnitentiam, sed falsa nobis persuadentes negligimus,& leui cicatrice obducta curatũ credimus,quod neglectum longè grauius fit: peccatũ enim eius naturæ est,vt Grego. inquit,vt suo pondere ad aliud grauius peccatum trahat. Græca autem vox μώλωπες, significat liuores & cicatrices. Quoties hæc particula in contextu orationis ponitur, significat idem quod omnino,prorsus,vel nimis,vt ad hebr.ver.vertit Hier. Sic Paulus ca.2. prioris epistolæ ad Thessa. de perfidis Iudæis loquens, peruenit enim ira Dei super illos vsq; in finem, id est,maxima & extrema ira. ¶ C. Per illusiones interprete Hier. titillantem corporis voluptatem accipimus,quæ falsa quadam specie boni animam inescat, & in mortem pellicit, obijciens menti vanissimam illam pompam illecebrarum carnalium,quę vbi paululum sensus deliniuerint,fugiunt: & infixo aculeo, grauissimum & acerbissimum dolorem in anima relinquunt, quare falsas has rerum imagines bene illusiones vocat. ¶ D. Huc vsq; ex persona peccatoris iã pœnitentis locutus est vel propheta, vel si libet, Christus. Nunc verò sine cõtrouersia ex Christi persona accipiẽda sunt,quæ sequuntur. Vnde Hier. Ego inquit ab eo loco vbi ait, Amici mei etc. vsque ad finem psalmi,video Dominum meũ Iesum Christum à Iudæis circundari, in cruce suspendi, & ex inferno resurgere.

Illusiones quæ sunt.

propinquauerunt & steterunt. Et qui iuxta me erant de longè steterunt,& vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates,& dolos tota die meditabantur.

Ego

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. Quia dixi, nequando ſupergaudeāt mihi inimici mei, & dum [E] commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt. Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in cōſpectu meo ſemper. Quoniā iniquitatem meam annunciabo, & [F] cogitabo pro peccato meo. Inimici autem mei viuūt & cōfirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt me iniquè. Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniā ſequebar bonitatem. Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne deceſſeris à me. Intēde in adiutoriū meū Domine Deus ſalutis meæ.

¶ D. Amicos autē vocat Iudæos propter patriarchas chariſſimos Chriſto, vt Aug. placet. Sed quomodo amici erant, qui ignominioſiſſima crucis morte Chriſtum affecerunt? Sciendum itaq; græcè non eſſe, aduerſum me, ſed potiùs ex aduerſo, vel ex oppoſito. Nam græca vox ἐξεναντίας, locum potiùs quàm inimicitiæ affectum hoc loco ſignificat: quare de cognatis & veris amicis hæc accipi poſſunt, inter quos recenſentur ab euangeliſtis, mater filiorum Zebedæi, Maria Iacobi, & Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ, quæ ex aduerſo ſteterunt, id eſt, ex oppoſito crucis Ieſu. ¶ E. Pedes Chriſti nunquam commoti ſunt, quare rectiùs ad hebr. veritatem vertit D. Hier. verſiculum hunc iſto modo: Quia dixi, ne fortè inſultēt mihi inimici mei, et cùm vacillauerint pedes mei, ſuper me magnificentur. Pedum enim appellatione deſideria animæ ſignificātur, quibus nūquam fruſtratus eſt Chriſtus: nam alibi habet de eo Dauid: Deſideriū animę tribuiſti ei etc. ¶ F. Quod interpres noſter vertit, Cogitabo pro peccato meo, græcè eſt μεριμνήσω, id eſt, anxius ero ſiue ſolicitus ero de peccato meo. Nā μεριμνὰ, græcè propriè eſt anxia cogitatio et cura plena ſolicitudinis: vnde μεριμνάω non eſt ſimpliciter cogito, ſed ſolicitè & anxiè cogito: conſentit & heb. veritas quę habet, Et ſolicitus ero pro peccato meo. Auguſt. verò legit. Et curam geram pro peccato meo, idemq; ſic enarrat: Ne fortè inquit ſecurus ſis cùm cōfeſſus fueris peccatū tuum, tanquam ſemper paratus ad confitendū & committendum, ſic pronuncia iniquitatem tuam, vt et curā geras pro peccato tuo. Hoc eſt autem curā gerere pro delicto, ſemper niti & ſedulò agere vt ſanetur peccatum & vulnus animæ, ne, vt ſuprà dixit, computreſcant & corrumpantur cicatrices. Reſtituta vera lectio.

In finem, pro Idithum Canticum Dauid. *Pſalmus* XXXVIII.

DIxi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiā, cū cōſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum & ſilui à bonis, & dolor meꝰ renouatus eſt. Cōcaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Locutꝰ ſum in lingua mea, [A] notū fac mihi Domine finē meū. Et numerū dierū meorū quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi. Ecce [B] menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquā nihilū ante te. Verūtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuēs. Verūtamē in [C] imagine pertrāſit homo, ſed & fruſtra cōturbatur. Theſaurizat & ignorat cui cōgregabit ea. Et nunc quę expectatio mea, nonne dn̄s? et [D] ſubſtātia mea apud te eſt. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobriū inſipiēti dediſti me. Obmutui, & non aperui os meum quoniam tu feciſti, amoue à me plagas tuas. A fortitudine manus tuę ego defeci, in increpationibus

propter iniquitatem corripuisti hominem. Et tabescere [E] fecisti sicut araneam animam meam, veruntamen vanè cõturbatur omnis homo. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe, lachrymas meas ne [F] sileas. Quoniam aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei. Remitte mihi vt refrigerer, priusquam abeam, & [G] ampliùs non ero.

Græcè est αὐτοῦ & huic suffragatur heb. veritas, vt referatur ad hominem.

¶ Titulus huius psalmi apud 70. græcè sic habet. In finem ipsi Idithum, canticum ipsi Dauid. Iam admonuimus suprà, datiuos pro genitiuo vsurpari idiomate hebraico, quasi dicas: In finem ipsius Idithum, canticum psalmus ipsius Dauid, vt intelligamus psalmum hunc ab ipso Dauid, vt reliquos scriptum esse, sed harmoniã aut modulationẽ psalmi cõpositũ ab ipso Idithũ: fuerũt enim instituti ab ipso rege Dauid tres principes cãtorũ, qui vnà cum filijs suis præessent musicæ, et doctores essent et docerẽt ceteros cãtica Domini, Asaph, Hemã & Idithũ, de quibus ita habet primus Paralypomenõ liber, cap. 25. Igitur Dauid & magistratus exercitus segregauerũt in ministerium filios Asaph, Hemã & Idithum, qui prophetarent in cytharis & psalterijs & cymbalis, vniuersi sub manu patrum suorum ad cantandum in templo Domini. Psalmus itaque hic patientiã docet maximè necessariã homini innocẽter victuro, vt refrenãs linguam suam caueat ne incidat in peccatum, cùm & de verbis ociosis reddenda sit ratio in die iudicij: & quoniam breuis & fluxa est humana vita, thesaurizemus diuitias in hoc seculo, quæ permanebunt perpetuò, & ad solidam prouehunt beatitudinẽ. ¶ A. Non istius vitæ finem inquit Hieron. notum sibi fieri cupit propheta, sed illum, in quo euacuatis potestatibus et destructa morte, iũgatur Christo qui est finis legis. Christus nãq; est finis noster: creauit enim nos Deus in laudem & gloriam nominis sui: hũc itaq; finẽ nosse, est vita ęterna & summa beatitudo. Hæc enim est vita ęterna, inquit Christus apud Ioannẽ, vt cognoscant etc. deinde scire cupit, quis, hoc est, qùã breuis & exiguus sit numerus dierũ nostrorũ, quãq; fluxa et caduca et ærumnarũ plena sit vita nostra, vt hinc intelligamus, quantũ nobis desit ad veram beatitudinẽ, ne relictis æternis & cælestibus bonis, in fluxis & momentaneis rebus felicitatem ponamus. ¶ B. Quod noster vertit, mensurabiles, græcè est παλαιστὰς, quasi dicas, mẽsurabiles palmo. Hier. ad heb. verit. vertit, breues: quod autẽ sequitur, substantia mea etc. græcè est ὑπόστασις, quod à subsistendo dictũ est, quasi dicas, subsistẽtia: vnde clariùs vertit D. Hier. ad heb. verit. & vita mea quasi non sit in conspectu meo. ¶ C. Geminus sensus esse potest: prior hic, homo pertransit in imagine, id est, similis imagini quam in speculis videmus, quæ amoto corpore obiecto, statim euanescit, vt sit simile illi quod est apud Iob prophetã c. 13. Homo quasi flos egreditur et cõteritur et fugit velut vmbra. Alter sensus est, Homo pertransit, vel vt hebraicè est, ambulat in imagine, scilicet Dei, id est, gestans in se Dei imaginẽ: & quãquã Deo similis sit, & totus aspirare deberet ad cęlestia, tamẽ frustra cõturbatur curis & solicitudinibus rerũ terrenarũ. ¶ D. D. Aug. substãtiã hoc loco, pro diuitijs accipit cælestibus, quas in cælis iubet nos thesaurizare Christus. Verùm nõ est græcè οὐσία, quæ aliquando diuitias aut facultates denotat, sed ὑπόστασις, quæ et suprà erat, quare aut pro vita illa æterna, quę apud Deũ pijs est reposita, accipitur: vel pro spe vel expectatione qua anim⁹ se sustẽtat, et firmat ne succũbat reb⁹ aduersis: vnde ad heb. verit. ita vertit Hier. Nũc ergo quid expectato Dñe? pręstolatio mea tu es. ¶. E Araneis nihil magìs tabidum est, quę in sese tabescũt et prorsus cõsumũtur. Dicit itaq; Dauid, se ob recordationem pristinorũ delictorũ suorum tabescere nimio animi mœrore: vnde Ezech. cap. 33. Iniquitates nostræ & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus. Sic Hieremias Thre. 3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Aut animam pro vita accipit, quod magìs placet: vt significet se tempore tabescere & consumi. Sic enim psalm. 89. Anni inquit nostri velut aranea meditabuntur, id est, vita nostra diuturnitate temporis tandẽ deficiet non secùs atq; aranea, quæ telis assiduè texendis se consumit, & tandem planè contabescit. Sciendum autem hoc loco nõ addi apud 70. gręcè verbũ cõturbatur, sed ita legi: veruntamẽ frustra omnis homo, aut vanè omnis homo, quod heb. veritas clariùs reddit hoc modo: verumtamẽ vanitas oĩs homo. Testatur autẽ Hier. scribẽs ad Suniã et Fretellã, verbũ hoc ex editione quã κοινὴν, i. cõmunẽ vocãt, adiectũ esse trãslationi 70. interpretũ sub verũtamẽ. ¶ F. Latina exemplaria

Tres principes cãtorum à Dauid instituti.

Substantia ὑπόστασις.

exemplaria perperam distinguunt hoc loco. Nam penultimum versum ita ordiuntur. Ne sileas quoniã aduena ego sum etc. cùm verbũ sileas sit finis præcedentis versus. Nam 70, græcè ita distinguũt & legunt, quorum lectionem sequitur in suis Commentarijs Hieron. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe, lachrymas meas ne sileas, quam distinctionem & hebr. veritas sequitur, quæ clariùs legit hunc versiculum hoc modo: Audi orationem meam Domine, & deprecationem meam exaudi, ad lachrymam meam ne obsurdescas. ¶ G. Non dicit se prorsus abolendum, vt quidam falsò existimarũt animas interire cum corporibus, sed dicit se nõ fore ampliùs, quia nõ ampliùs subsistet in hac vita. Si enim diues ille epulo non erat, quis ardebat inquit Aug? quis erat qui guttam aquæ de digito Lazari stillari in linguam suam desiderabat? Quis est qui dicebat, pater Abrahã mitte Lazarũ? (Qui itaq; per peccata abit à Deo qui solus est & à quo omne esse fluit, is pergit ad non esse) Cupit itaq; peccata sibi remitti vt refrigeretur, & quiescat conscientia exonerata æstu solicitudinis qua solicitus erat de peccato suo, priusquam abeat, id est, moriatur: vel interprete August. priusquam per peccatum prorsus à Deo alienetur. Qui itaq; per peccata abit à Deo, esse desinit. Peruersa distinctio.

In finem psalmus David. *Psalmus* XXXIX.

EXpectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriç & de luto A fecis. Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Videbunt multi & timebunt, & sperabunt in Domino. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in B vanitates et insanias falsas. Multa fecisti tu Domine Deus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. Annũciaui & locutus sum, multiplicati C sunt super numerum. Sacrificium & oblationẽ noluisti, aures D autẽ perfecisti mihi. Holocausta & pro peccato non postulasti, tunc dixi ecce venio. In E capite libri scriptum est de me, vt facerem volũtatẽ tuã Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei. Annunciaui iustitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea nõ prohibebo Domine, tu scisti. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiã tuã & veritatẽ tuã à concilio multo.

Diuisio.

Psalmus hic ad Christum referendus est, quod vel hinc constare potest, quòd Apostolus scribens ad Hebræos cap. 10. huius psalmi testimonium Christo applicet vt infrà dicemus. Meminisse tamen debemus sic ad Christum referendum esse, vt prima pars psalmi, membra Christi, id est, populum fidelem magìs spectet quàm caput, id est, Christi personam. Ex persona itaq; membrorum suorum orditur psalmũ Christus, dicens eos non falsos spe aut frustratos expectatione sua & Christi beneficio ereptos è cœno peccatorum: geminatio autem illa expectans expectaui, ad epitasin & vehementiam facit, vt significet se ardenter expectasse. ¶ A. Non est grçcè fecis, sed cœni vt ad hebraicam veritatem vertit Hieron. vel de luto limi, vt August. legit, vt significet lutum non quodlibet, sed limosum & cœnosum, ἰλύς enim propriè limum significat, id est, molle & fluidum lutum: vnde grammatici Nilum fluuium dictum volunt quod νεὰν ἰλὺν, id est nouum limum inuehat in agros Ægyptiorum quotannis. Restituta lectio. Nilus vnde dictus.

¶ B. Insanias falsas siue mendaces vocat, quòd mendaci imagine & falsa rerũ specie nos ludant. Nam vel nimia cupiditate vel metu aut dolore immodico insanire nos faciunt. Quæ enim vides inquit Augustinus bona putas, falleris, sanus non es: nimia febre phreneticus factus es, verum non est quod amas: hinc & nos miseros putant, & quia cum eis non insanimus, amisisse nos putant magnas & varias voluptates in quibus ipsi insaniũt, nec vident quia mẽdaces sunt. ¶ C. Interpres latinus vertit,

Emendata lectio.

multiplicati sunt, cùm potiùs vertendũ erat multiplicata sunt, vt referatur ad mirabilia quæ Deus patrauit & quotidie patrat in redimẽdo homine & curandis rebus humanis: est enim apud græcos verbũ passiuum, quod nullam distinctionem generum apud illos habet, sicut apud latinos habet: vnde clariùs ad heb. verit. vertit Hieron. hunc locum hoc modo. Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationes tuas pro nobis. Non inuenio ordinem coram te, si narrare voluero & numerare, plura sunt quàm vt narrari queant. ¶ D. Exemplaria latina ferè habent, aures autem perfecisti mihi, cùm græcè sit apud 70. σῶμα, id est, corpus: vnde August. legit. Corpus autem perfecisti mihi: & ad hebr. decimo capite interpres vertit, Corpus autem aptasti mihi. Quod dupliciter accipi potest, vt per corpus solida veritas intelligatur, quæ opponitur figuris & vmbris legalibus, à quo non abhorret Augustini interpretatio, Perfectio inquit promissorum abstulit verba promittentia. Illa promittebantur quibusdam signis, ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa: vnde Apostolus. Quæ omnia sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi: vel perfecisti siue aptasti mihi corpus, videlicet humanę naturę, quod loco sacrificiorũ legalium tibi offerrẽ: hebraica tamẽ veritas habet, Aures autem fodisti mihi, quo fidei obedientia significatur, quam reiectis vmbris, cæremonijs, & sacrificijs legalibus, Deus requirit à suis cultoribus. ¶ E. Caput libri, August. accipit principium libri psalmorum: nam sub persona viri beati descriptus est filius Dei. Is enim solus nunquam abijt in consilio impiorum, nec in via peccatorum stetit etc. vt eo loco diximus. Alij principium Geneseos intelligunt. Verùm cùm hebr. sit, non in capite libri, sed in volumine libri, meliùs interprete Theophy. caput libri, volumen legis aut veteris testamenti appellat, in quo caput & summa est aduentus Christi in carne. Huc enim omnia sacrificia legalia & prophetarum vaticinia spectabant.

Caput libri quod sit.

Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me, misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me. Quoniam circundederunt me mala quorum non est numerus, comprehenderunt me [F] iniquitates meæ, & nõ potui vt viderem. Multiplicatę sunt super capillos capitis mei, & cor meũ dereliquit me. Cõplaceat tibi domine vt eruas me, domine ad adiuuandum me respice. Confundantur & reuereantur simul, qui quærunt animam meam vt auferant eam. Auertãtur retrorsum & confundantur, qui volunt mihi mala. Ferãt confestim confusionem suam, qui dicunt mihi euge euge. Exultent & lætentur super te omnes quærentes te, & dicant semper magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum. Ego autem [G] mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei. Adiutor meus & protector meus es tu Domine ne tardaueris.

¶ F Iniquitates suas vocat Christus eas quas nos patrauimus, vt iam antè sæpe admonuimus propter communionem membrorum & capitis: nam propter nimiam charitatem suam erga nos, peccata nostra in se transtulit, & pœnas nobis debitas in se recepit: vnde Esaias, Omnes inquit nos quasi oues errauimus, vnusquisq; in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm, vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra. Porrò iniquitates nostræ innumerabiles factæ sunt, & adeò oppresserunt mentes humanas, vt omne lumen diuinæ cognitionis eriperẽt: & propter multitudinẽ peccatorũ, cor, id est, sapiẽtia nos relinqueret diuinarum rerum. Quisquis enim peccat ideò labitur, quòd reliquerit eum sapientia: vnde dictũ est, Adulter propter cordis inopiã, perdit animã suã. ¶ G. Non est mendicus græcè, sed πτωχός, id est egenus. Sunt enim hoc loco eædem voces græcanicæ quę sunt in 1. versu sequentis psalmi, vbi ita vertit: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem etc. Certè Aug. legit, Ego autem egenus sum & pauper. Nam Christum egenum fuisse testantur euangelia: mendicum autem fuisse, nequaquã. Mendicus enim is est, qui ostiatim stipẽ aut cibum rogat: is autem ἀίτης græcè appellatur.

In finem

In finem psalmus Dauid. *Psalmus* XL.

BEatus qui intelligit A super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus cõseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super B lectum doloris eius, vniuersum stratũ eius versasti in infirmitate eius. Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomẽ eius. Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras, & loquebatur C in idipsum. Aduersum me susurrabat omnes inimici mei, aduersum me cogitabant mala mihi. Verbum D iniquum constituerunt aduersum me, nunquid qui dormit adiiciet vt resurgat? Etenim homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos E magnificauit super me supplantationem. Tu autem Domine miserere mei & resuscita me, & retribuã eis. In hoc cognoui quoniã voluisti me, quoniã nõ gaudebit inimicus meus super me. Me autem propter innocentiã suscepisti, et cõfirmasti me in cõspectu tuo in ęternum. Benedictus Dominus Deus Israël à seculo in seculum, fiat F, fiat.

Psalmus hic quadragesimus, de Christo intelligendus est totus. Is enim pauper & egenus propter nos factus est: vnde Apostolus Paulus, Scitis inquit gratiam Christi, qui cùm diues esset, propter vos egenus factus est, vt illius inopia vos diuites essetis. Cùm autem in fine dicat: Me autem propter innocentiam suscepisti: quomodo versu quarto dicit: Ego dixi Domine, miserere mei quia peccaui tibi. Verùm ibi ex sua persona loquitur qui agnus fuit sine macula: hic autem ex persona membrorum suorum, vt psalmo præcedenti admonuimus. Queritur autem Christus hoc psalmo de capitali inimicitia et odio hostium suorum, qui nihil aliud quàm sanguinem suum sitiebant, omnibus modis cupientes abolere memoriam et nomen Christi, aduersus quos implorat auxilium Dei patris, vt ex mortuis resurgens vicem rependat hostibus suis.

¶ A. Egenum & pauperẽ vt iam diximus, Christum Dei filium appellat. Is autem beatus est: & liberabitur in die mala, id est, in die iudicij, qui intelligit in vero homine latêre veram diuinitatem. Intellige itaq; in eo occultas diuitias, quem pauperem vides, nec te offendat forma serui. In eo enim habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, & in eo sunt absconditi omnes thesauri sapiẽtiæ & scientiæ. Inuitaris inquit Aug. vt quod nõ vides credas, ne cùm videris, erubescas. Quod enim modò nõ vis credere, manifestũ erit in fine, sed nõ fugies cùm fuerit manifestũ, quia nõ credis cùm est occultũ. Quędã autẽ exẽplaria nõ rectè legũt, in manus inimicorũ ei⁹, quod nec apud 70. nec apud heb. legitur. Nam minus est tradi in manus q̃ tradi in animã, siue vt heb. veritas habet, tradi animæ inimicorũ, id est, volũtati arbitrio & libidini hostiũ: quanquã Aug. legat in manus. ¶ B. Lectus doloris, infirmitas carnis appellatur, in qua adiuuamur à Domino, quoties proponimus nobis Christũ qui passus est pro nobis, relinquẽs nobis exemplum vt sequamur vestigia eius, & cogitatione hac nos armamus aduersus omnia mala & aduersa. Et tanquam quærat aliquis, si Dominus opem nobis fert, cur tot malis premimur, cur tantos sustinemus labores? cur tanta in quietudine carnis & seculi affligimur? conuertit se ad Deum, & quasi exponens nobis rationem diuini cõsilij, dicit Deũ hoc velut acerba quadã potione & tristi pharmaco præseruare nos, ne diffluamus voluptatibus, et perdamur, et insolescamus rebus nimiũ secũdis, ideo miscet amaritudines & dolores rebus lætis, huc illuc versans & agitãs multis laboribus corpus hoc nostrum, in quo velut strato quiescit anima, ne viator (vt Aug. inquit) tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua, sed per amaritudinem rerum secularium ad amorem inflammetur cælestiũ. ¶ C. Hebraica veritas alio modo distinguit hos

Marginal notes: Quis egenus & pauper. — Lect⁹ doloris.

Vera distinctio. duos versus, vt illud, In idipsum: vel vt hebraicè est simul, sit principiũ sequẽtis versiculi, non finis præcedentis, idq; rectiùs: vnde D. Hier. ad Sophroniũ ita vertit. Egrediens foras detrahet, pro quo nos legimus, egrediebatur foras & loquebatur: deinde sequitur, Simul aduersum me murmurabant omnes odientes me: quam distinctionẽ & D. Aug. in Cõmentarijs sequitur. Sic enim legit. In idipsum aduersum me susurrabãt etc. Quod idem exponit: Quid est inquit aduersum me in idipsum? vno cõsilio, vna cõspiratione.

¶ D. Verbum iniquum constituerunt aduersus Christum, cùm dixerunt Pilato: Nobis non licet interficere quenquam, tolle crucifige, vel quando dicebant eum dæmonia eijcere in Beelzebub. Aut certè quando pacti sunt militibus sepulchri custodibus grandẽ pecuniã, vt dicerẽt corpus Christi à discipulis noctu sublatũ furto. Quod mẽdaciũ, vt euãgelista inquit, diuulgatũ est apud Iudęos vsq; in hodiernũ diem. Quod autem apud nos sequitur & cum interrogatione legitur, hebræi citra interrogationẽ legunt: vnde hebr. veritas interprete D. Hier. ita habet. Verbum diaboli infundebant sibi, qui dormit, nõ addet vt resurgat. ¶ E. His verbis Iudã proditorẽ suũ notat, quem vocat hominem pacis, nõ quòd pacem amauerit, qui auaritia stimulatus dominum suum precio vendidit, sed quia pacẽ simulauerit: nã osculo quod pacis & amoris symbolum est Christum hostibus prodidit: vnde eundem Iudam psal. 54. his verbis alloquitur. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Quod autẽ hîc dicit, magnificauit super me supplantationẽ, heb. est, leuat cõtrà me plãtam, quomodo Ioan. 13. allegatur hic locus à Christo, vt impleatur inquit scriptura.

Fiat, fiat. Amen, amen

Qui mãducat panẽ meũ, leuabit cõtra me calcaneũ suũ. ¶ F. Quod apud nos est, fiat, fiat, apud 70. gręcè est, γένοιτο γένοιτο. Apud heb. Amen amen. Quod Aquila põticus vetus interpres bibliorum græce reddidit πεπισομένως, id est, fideliter aut verè. Existimãt autẽ nõnulli primũ librũ psalmorũ hîc finiri. Secũdũ verò, psal. septuagesimo 1. Tertiũ psal. 88. Quartũ 150. psal. Quintũ verò psalmorũ librũ incipere à psal. 106. & finiri psal. 150. quod omnes hi excepto vltimo desinant in Amẽ amẽ, vel vt nos legimus, fiat fiat. Cui opinioni refragatur D. Hier. in pręfatione quadruplicis psalterij ad Sophroniũ, dicens vnũ esse dũtaxat psalmorũ librũ, vt in præfatione nostra admonuimus. D. tamen Hier. ad Cyprianũ in enarratione psal. 89. dicit heb. in hac esse sentẽtia, psalmorũ librum in quinq; volumina esse diuisum, sicut duodecim prophetæ minores, cùm singula volumina habeant, apud heb. vno libro tamen contineri.

In finem intellectus filijs Chore. Psalmus XLI.

QVemadmodum desiderat ceruus [A] ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum [B] fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciẽ Dei? Fuerũt mihi lachrymę meę panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus. Hæc recordatus sum & effudi in me animã meã, quoniã trãsibo in locum tabernaculi [C] admirabilis vsq; ad domũ Dei. In voce exultationis & cõfessionis, sonus epulantis. Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniã adhuc cõfitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus. Ad meipsum anima mea cõturbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis et Hermoniim [E] à mõte modico. Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarũ tuarũ. Omnia [G] excelsa tua & fluctus tui super me trãsierũt. In [H] die mãdauit Dominus misericordiã suã, & nocte cãticũ eius. Apud me oratio Deo vitę meę, dicã Deo susceptor meus es. Quare oblitus es mei, et quare cõtristatus incedo dũ affligit me inimicus. Dũ cõfringũtur ossa mea, exprobrauerũt mihi qui tribulãt me inimici mei. Dũ dicũt mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus, quare tristis es anima mea, et quare cõturbas me? Spera in Deo quoniã adhuc cõfitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.

Græci ita distinguũt et hebręi. Et nocte cãticũ eius apud me.

Ex per-

Ex persona prophetæ aut pij cuiuslibet hominis cantatur hic psalmus inuitãs omnes christifideles, vt desiderio rerum cælestium rapiantur & accendantur flagrantissimo Dei amore, apud quẽ est fons vitæ, qui solus sitim animę restringuere potest: vnde titulus habet, in finem, id est, ad Christi laudem. Intellectus siue vt græcè est εἰς σύνεσιν, id est, ad intellectum. s. præstandũ filijs Core, id est, christianis qui cum Christo commortui sunt in baptismo, & carnem suam crucifixerunt ad Christi exemplũ. Core autem pronepos fuit ipsius Leui, qui vnà cum Dathan & Abiron seditionem excitauit contra Mosen & Aaron, & vnà cum illis perijt vt scribitur Nu. 16. Porrò Core hebr. Caluariam significat latinè. Cõstat autẽ Christum in Golgotha, quod sonat Caluariæ locum, crucifixum esse. Porrò cùm ad Deum conuertimur relicta vitiorum caligine, tum demum illuminatur intellectus noster: vnde Apostolus scribens Ephesiis, obsecrat, vt iam non ambuletis sicut & gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Admonemur itaque hoc titulo, intelligi præmia illa cœlestia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis adscẽderunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. ¶ De ceruorum natura iam suprà nonnulla dicta sunt, quo pacto cum serpentibus confligentur, & spiritu narium suarum extrahant eos è cauernis suis: vnde accensus maiore siti propter veneni acrimoniã, fontes appetit vt Augustino placet. Serpentes inquit necat, & pòst serpentum interemptionem maiore siti inardescit, & ad fontes acriùs currit. Verùm Aristoteles omnis naturæ conscius lib. 6. historiæ animalium dicit, ceruos in aquas fugere propter æstum & anhelitum: vbi enim aquas contigerint, refrigerantur & vires recreant. Filij Core qui dicantur. Psal. 17. Ceruorum natura.

¶ B. Vulgata exemplaria latina mendosè legunt, ad Deũ fontẽ viuum, cùm græcè sit non fontem, sed ἰσχυρὸν, id est, fortẽ, quomodo in emendatioribus exemplaribus vbiq; legitur apud D. Hier. nec D. Aug. legit fontẽ, sed hoc modo: Sitiuit anima mea ad Deũ viuum: vnde librariorum incuria id factũ constat, inter fortem & fontẽ modica est distinctio. Librariorum autẽ vitio id factum fatetur Hiero. scribens ad Saniam & Fretellam. Fortem itaq; Deum appellat & viuum, ad distinctionẽ deorum gẽtilium qui & mortui, & ob id nullarum virium sunt. Consentit & hebraica veritas quæ habet, ad Deũ fortem viuum. ¶ C. Per tabernaculum intelligit ecclesiã militãtem. Sic enim tabernaculũ aliquãdo vsurpant sacræ literæ, vt annotauimus in psal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Quod bene admirabile vocat, quia oĩa quæ in veteri illo tabernaculo testimonij sub figuris & vmbris quibusdã gerebãtur, in rei veritate fiunt hodie in ecclesia. Benè autẽ tabernaculum appellatur, quòd Deus in eo habitet: vnde Paulus scribens Timotheo, ecclesiã domum Dei appellat: hinc illud Apocalypseos. Ecce tabernaculũ Dei cum hominibus: Per hoc autẽ tabernaculum aditus nobis aperitur ad cœlos & æternam illam Dei domum. Per tabernaculũ quoque machina hæc cœli & terræ non absurdè intelligi potest, qua nihil admirabilius. Ex his enim mens humana subuehitur ad inuisibilia Dei contẽplanda, quæ ex rebus creatis & visibilibus cognoscũtur teste Apostolo, Sic infrà: Qui extendis cœlum sicut pellem, id est, modũ tabernaculi ex pellibus consuti. ¶ D. Sonus, græcè genitiui casus est, ἤχου, id est, soni aut sonitus, vt regatur à voce, vt reliqui genitiui. Quod autem vertit epulantis, græcè est ἑορτάζοντος, hoc est, festa celebrantis, quomodo Hier. ad hebraicam veritatẽ reddidit: similiter Aug. qui ita legit hunc locũ in suis Cõmẽtarijs, In voce exultationis & confessionis, soni festiuitatem celebrantis. Porrò quod interpretes verterunt, sonus aut soni, hebraicè est ambigua vox, & sonum, & multitudinem significat, המון hamon: vnde hebraica veritas interprete Hiero. habet. In voce laudis & confessionis multitudinis festa celebrantis. Est enim hebraicum verbum, hogog, propriè cum epulis festum celebrare. ¶ E. Hermon mons est, non adeò arduus in planum proiectus, qui protẽditur vsq; ad fontes Iordanis sub radicibus Libani montis: porro Hermonym plurale est ab Hermon vt Seraphim à Seraph: Cherubim à Cherub: Elohim ab Elohi, quasi dicas, mõtes aut montana Hermon. Sonat autẽ idiomate hebraico, anathema gręcè, aut detestatio latinè. Iordanis autẽ baptismi typũ gerit. His itaq; duobus sedatur animus cõturbatus cõsciẽtia peccatorũ suorũ, quòd recordatur se lotũ baptismate, et anathematizasse diabolũ, & renũciasse suis cõcupiscẽtijs et mũdi pricipis. Emendata lectio. Tabernaculum admirabile. Hermon Hermonij.

¶ F. Abyssi nomine significatur vetus & nouũ testamentũ, propter profunditatẽ mysteriorũ. Abyssus autẽ abyssum inuocat, quoties vetus testamẽtũ nouũ annunciat, explicat, & quodãmodo interpretatur: aut ediuerso, vel cũ vetus nouum, aut nouum Abyssus quomodo abyssum inuocat.

testamentum, vetus in testimonium vocat, idque in voce. Per vocem aut prædicationem apostolorum & euangelistarum, quæ velut cataractæ irrigauerunt orbē terræ, velut quatuor illi fluuij ab vno fonte orti, qui paradisum Dei irrigant, vt est Genes. 1. cap. Sunt autem cataractæ propriè fluuiorum ostia, aut loca in præceps abrupta, per quæ cū maximo impetu aqua ruit, sic dictæ à græco verbo καταῤάττω, quod est, collido, præcipito, cum strepitu impello, aut decido. ¶ G. Aug. legit, Omnes suspēsiones tuæ, quod noster vertit, excelsa tua, græca vox est μετεώρισμοι, quam vertit psal. 92. rectiùs elationes. Mirabiles elationes maris, significat itaque per excelsa aut elationes, vt aliàs vertit, vndas altiùs se extollentes μετεωρίζω enim est in altum suspēdo, eleuo. Hieron. ad hebr. veritatem vertit: Omnes gurgites & fluctus tui super me transierunt, significans se afflictionum vndis obrutum. ¶ H. Per diē antea semel atq; iterum admonuimus sæpe prosperitatem & res secundas intelligi: per noctem vero aduersa. Dominus itaq; præcipit, in prosperis & secundis rebus laudari & prædicari suā misericordiā, & similiter in aduersis Deo nos gratias agere, & illi cātare laudes ad exemplum beati Iob, qui in iactura omnium rerum suarum dixit: Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum: vnde Apostolus. In tribulationibus gaudentes inquit. Quanquam 70. interpretes græcè & hebraica veritas secùs atq; nos distinguant hoc loco, vt videlicet illud, apud me, sit finis præcedentis versus, non sequentis principium, vt in nostris codicibus, & hoc modo subaudiendum esset verbum substantiuum est aut erit.

Dies & nox qd allegoricè significent.

Psalmus David. Psalmus XLII.

IVdica me Deus, & discerne [A] causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me. Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, & quare tristis incedo dum affligit me inimicus. Emitte [B] lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuū & [C] in tabernacula tua. Et introibo [D] ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.

Psalmus hic vel ex Christi persona intelligi potest, vel ex persona mēbrorum eius, hoc est, cuiuslibet hominis christiani: vtriq; enim accommodari potest. ¶ A. Si autē Christum referamus, cupit vt Deus pater declaret causam suam ob quam affligitur malis, & morte mulctatur, longè dissimilem esse ab ea causa, quam profana gens iudaica Christo impingebat, dicens eum magum, seductorem, & violatorē legis. Si ad pium hominem referimus: Is videns in hac peregrinatione zizania tritico mixta, necdum triticum à paleis separatum, sed bonos cum malis omnia habere communia, æqualiter nasci, similiter mori, eodem aëre respirare, iisdem elementis & fructibus vti, & iisdē & sæpe grauioribus premi malis quàm impij & peccatores, cum quibus non habet communem nec eandem causam, optat, vt Deus certo iudicio hæc dirimat & discernat. ¶ B. Per lucem, non absurdè Dei fauorem & benignitatē erga nos accipimus, vt idem sit quod psal. 4. Lumen vultus, vt eo loco annotauimus, vt idem optet hìc quod 66. psalmo precatur. Deus misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri: vnde illud Ecclesiastici 36. Ostende nobis lucem miserationum tuarum. ¶ C. Per sanctum montem & tabernacula, cælum intelligit, vt ibi: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum etc. Nec est hebr. deduxerunt, sed verbum futuri temporis: vnde ad hebr. veritatem ita reddidit Hieron. Mitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa ducent me & introducēt ad montem sanctum tuum & in tabernaculum tuum: ad hæc autem peruenire non possumus sine Dei fauore & gratia, & sine fide promissionum diuinarum, quam fidem Deus suis seruat. Id enim est veritas vt suprà iam sæpe diximus: Aut iuxta August. hæc non possumus obtinere sine Christo duce, qui lux mundi est, & via & veritas.

Lux.

Aug. per lucem & veritatem Christum intelligit.

In finem

In finem pro filijs Core, intellectus. *Psalmus* XLIII.

DEus auribus nostris audiuimus, patres A nostri annũciauerũt nobis. Opus quod operatus es in diebus eorũ, & in diebus antiquis. Manus tua gẽtes disperdidit, & plãtasti eos, afflixisti B populos & expulisti eos. Nõ enim in gladio suo possederũt terram, & brachiũ eorum nõ saluauit eos. Sed dextera tua & brachium tuũ, & illuminatio vultus tui, quoniã cõplacuisti in eis. Tu C es ipse Rex me⁹ & Deus meus, qui mãdas salutes Iacob. In te inimicos D nostros vẽtilabimus cornu, & in nomine tuo spernem⁹ insurgentes in nobis. Nõ enim in arcu meo sperabo, & gladius meus nõ saluabit me. Saluasti enim nos de affligẽtibus nos, & odiẽtes nos confudisti. In Deo laudabimur E tota die, & in nomine tuo confitebimur in seculũ. Nũc autẽ repulisti & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus F nostris. Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos diripiebant sibi. Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine precio, & non fuit multitudo in commutationibus G eorum. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt. Posuisti nos H in similitudinẽ gentibus, commotionem capitis in populis.

Diuisio.

Titulus psalmi huius 43. apud 70. habet. In finem, pro filijs Core intellectus: vel vt ad hebr. verit. reddit Hieronymus, filijs Core eruditio, quo titulo admonemur quotquot sumus filij Dei, & passionis illius participes, vt erudiamur & intelligamus peccatores & impios in hac vita prosperitate frui: sanctos autem maximis ærumnis & calamitatibus premi, nec aliam viam nobis patêre ad cælos. Psalmus itaq; hic ex persona apostolorum, martyrum, & omnium piorum, qui ob nomen Christi persecutionem patiuntur, scriptus est à propheta Dauid, quod & Apostolus Paulus scribens ad Rom. cap. 8. satis indicat, qui testimonium huius psalmi non alijs quàm christifidelibus applicat. Quis ergo inquit separabit nos à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an gladius? sicut scriptũ est, Propter te mortificamur tota die, æstimati sum⁹ sicut oues occisionis. Quare psalmus hic vt Hieron. annotat, non anteriora, id est, ante Christi aduentum acta docet, sed ecclesiam in Christo renasci pronunciat, & fideles ad agonem prouocat exemplo martyrum, quòd nemo coronandus sit, nisi qui legitimè certauerit. ¶ A. Patres appellantur hîc prophetæ & apostoli, quorum prædicatione renati sumus ad vitam æternam. Prophetę enim narrant nobis, quæ Deus operatus est in diebus antiquis, id est, priscis temporibus quibus ipsi fuerunt, quorum operum plenum est vetus testamentum. Apostoli autem annunciant nobis quæ viderunt Christum fecisse ad redimendum humanum genus. ¶ B. Populos dicit, septem illas gentes Chananæorum quas eiecit Deus, & terram illarum tradidit filijs Israël possidendam. Hos autem afflixisse dicitur, quia immisit illis crabrones, qui fugabãt eos vt sedes mutare & loca relinquere coacti sint. Sic enim promittit per Mosen Exod. 23. Terrorem meum inquit mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorũq; inimicorum tuorum coram te: terga vertã emittens crabrones priùs qui fugabunt Heuæum, Chananæum, & Hethæum antequam introẽas. ¶. C. Id est, interprete Augustino. Tu es ipse: non enim mutatus es, tempora mutata video, creator temporum non mutatur. Tu es idem ille ipse Rex & Deus meus, qui filios Israël saluasti, & mirabilia olim patrasti, & hodie veros filios Israël & semen Abrahæ saluas, qui per apostolos mandata salutis dedisti populo christiano, qui verus Iacob est, id est, vitiorum supplantator. ¶ D. Ventilare

Prophetę & Apostoli patres nostri.

Ventilare quid sit.

tilare propriè est ad ventum purgare: vnde frumenta ventilare Plin. Multi grana ventilari vetant: vnde & huc illuc iactare, & mouere aliquando significat: Iuuenalis, ventilat æstiuum digitis sudantibus aurum: vnde in sacris literis, Ventilare hostes, est huc illuc dispergere & in fugam vertere. Quod autē interpres noster vertit, ventilare cornu, græcè est κερατίζειν à κέρας, quod est cornu, quasi dicas, cornu petere aut impellere. ¶ E. In Deo laudari dicimur, quia ipse est laus & gloria nostra: porrò verbum hebraicum hoc loco non passiuæ, sed actiuæ significationis potiùs est: vnde clariùs vertit ad hebr. veritatem Hiero. In Domino gaudebimus tota die, & nomini tuo confitebimur in æternum. Sanctes autem & Munsterus recentiores interpretes, idem verbum reddiderunt per glorari, quod similiter actiuę significationis est. At 70. passiuè reddiderunt: Nam apud hebr. nulla est inter actiua & passiua verba distinctio, sublata punctorum varietate: vnde accidit sæpe vt idem verbum alij actiuè reddant, alij passiuè vertant. ¶ F. Virtutes hîc appellantur non habitus animi, vt iustitia castitas & cætera eiusmodi, sed robur exercitus: est enim græcè δυνάμεσι: vnde clariùs hebraica veritas, & nō egredieris Deus in exercitibus nostris: vnde Aug. explicans hūc locum. Procedimus inquit ad inimicos nostros, & tu nobiscum non procedis, videmus eos, præualent illi & nos inualidi sumus, vbi est illa virtus tua? vbi est dextera & potentia tua? vbi mare siccatum? vbi Ægyptij persequētes, fluctibus obruti? vbi Amelech in crucis ligno superatus? ¶ G. Sine precio dicitur Deus vēdidisse populū christianum, quia tradidit illos manibus hostiū trucidādos, & videmus quos tradidit, non videmus quos acceperit. Persecutores enim in sua perfidia permanserūt, nec fuit multitudo in commutationibus eorum, id est, etsi quos lucrifecit vt Saulū persecutorem & similes, qui martyrum constantia sunt ad fidem amplectendam inducti. Hi tamen pauci fuerunt, non autem multitudo grandis. Porrò pro commutationibus Aug. legit, non satis rectè iubilationibus deceptus, vt videtur, similitudine vocis græcanicæ ἄλλαγμα, quod commutationem mercium significat, & ἀλάλαγμα, quod iubilationem sonat. ¶ H. In similitudinem posuit Deus martyres & electos suos inter gentes, interprete Hier. quia sui similes illos fecit. Nam similiter atque Christus odio habiti sunt à mundo: vel interprete August. posuit eos in similitudinem, vt quoties mala imprecari extrema sanctis vellent, dicerent eadem morte pereas qua Christus tuus, qua Bartholomæus, qua Laurentius, qua cæteri, qui ante vos hanc superstitionē amplexi sunt, spreta gentiū religione & dijs patrijs: verùm heb. autho. Hier. sonat in prouerbiū.

Virtutes quas dicat.

Hier. ad Suniā & Fretellam.

Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrātis & obloquentis, à facie inimici & persequentis. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo. Et non recessit retrò cor nostrum, & declinasti [I] semitas nostras à via tua. Quoniā humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit [K] nos vmbra mortis. Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum. Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die, ęstimati sumus sicut oues occisionis. Exurge quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finē. Quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostrę? Quoniam humiliata est in puluere [L] anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster. Exurge Domine adiuua nos & redime nos propter nomen tuum.

De vmbra mortis vide psal. 22. Domin' regit.

Vera lectio ab heb. petenda hoc loco.

¶ I. Septuaginta interpretes longè alium sensum reddiderunt, quàm est apud hebr. Cùm enim psalmus hic non ex persona populi Iudaici, qui sæpe Dei oblitus est, & pactum Domini violauit, scribatur: sed ex persona apostolorum & martyrum, non satis clarum est, quomodo dicant Deum declinasse semitas eorum à via sua. Nam id contrarium videtur illi, quod continuò præcedit. Et non recessit retrò cor nostrum. Si enim

Si enim ex persona totius populi vel Iudaici, vel Christiani, hęc dicta essent, facilis esset interpretatio illorũ verborum: Declinasti semitas nostras à via tua: nam similia videri possent illis Esaiæ verbis, Quare inquit errare nos fecisti de vijs tuis, & indurasti cor nostrũ vt non timeremus te? Sciendum itaque hebraicam veritatem ita habere interprete Hier. ad Sophronium: Nõ est conuersum retrò cor nostrum, nec declinauerunt gressus nostri à semita tua. ¶ K. In puluere humiliari dicitur anima, quæ prorsus deijcitur, & adeò patet contemptui vt ab omnibus conculcetur: sic Dauid psalmo 7. Persequatur inquit inimicus animam meam & comprehendat, & cõculcet in terra vitam meã, & gloriã meam in puluerẽ deducat. ¶ L. Testamẽtũ vocat, legẽ euãgelicam quam cruore suo Christus sanciuit & ratam fecit. Sicut enim extrema voluntas hominis tunc demum rata est, cùm mors testatoris interuenerit, alioqui nullas habitura vires, ita & lex euangelica morte Christi sancita est: vnde Apostolus scribẽs Heb. Testamentũ inquit in mortuis cõfirmatũ est, alioqui nondũ valet, dũ viuit qui testatus est, Annotat autẽ D. Hier. in epistolã ad Galat. vbicunq; 70. interpretes transtulerunt testamentũ, hebraicã vocẽ sonare pactũ fœdus: & Apostolũ Paulũ Galatis scribẽtẽ non vsum reconditis sensibus, sed vilibus, & quæ possent prudẽtibus displicere. Nã græca vox διαθήκη, vtrumq; significat, & testamentũ, & pactum: vnde illud Exod. 24. quod Apostolus citat ad heb. 9. hic sanguis testamẽti quod mãdauit ad vos Deus. D. Hiero. iuxta heb. idioma ita reddidit: Hic est sanguis fœderis, quod pepegit vobiscum Deus. Sensus itaque hic est: Non egimus iniquè in testamento tuo, id est, non violauimus pactum tuum: vel vt ad hebr. veritatẽ reddit Hiero. Nec mentiri sumus in pacto tuo.

Esaiæ 63.

Διαθήκη testamẽtum & pactũ siue fœdus significat.

In finem pro his qui commutabuntur filijs Core ad intellectum. Canticum pro dilecto. Psalmus XLIIII.

ERuctauit cor meũ [A] verbũ bonũ, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis. Speciosus [B] forma præ filiis hominũ, diffusa [C] est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternũ. Accingere gladio tuo super femur tuũ potẽtissimè. Specie tua & pulchritudine tua, intende [D] prospere procede & regna. Propter veritatẽ & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ [E] tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis. Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiã & odisti iniquitatẽ, propterea vnxit te [F] Deus Deus tuus oleo lætitię præ consortibus tuis. Myrrha [G] & gutta & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Adstitit regina à dexteris tuis in vestitu deaurato circundata varietate [H]. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Et [I] filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis [K] aureis circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines post eam, proximæ eius adferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templũ regis. Pro patribus [L] tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione et generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in

seculum

seculum seculi.

Psalmus hic spiritualium nuptiarum continet sacramentum, id est, coniunctionem Christi cum ecclesia:vnde velut Epithalamion quoddã est,id est,nuptiale carmen. Titulus autẽ psalmi hui⁹ apud 70. in vulgatis nostris exẽplaribus latinis est hic. In finẽ pro his qui cõmutabantur filijs Core,ad intellectum cãticum pro dilecto. Apud hebr. verò interprete Hieron.titulus est, Victori pro lilijs filiorum Core, eruditionis canticum amantissimi.Quod enim 70.verterunt in finem,Hieronymus & reliqui interpretes ferè reddunt,Victori nimirum Christo qui mundum & diabolum vicit.Qui autem filij sint Core, iam est dictum in præcedentibus psalmis. Porrò per eos qui commutabuntur, christiani intelliguntur prædestinati ad æternam vitam, qui mortalitatem immortalitate commutabunt.Omnes namque vt Paulus resurgemus, sed non omnes immutabimur:vel commutabuntur, id est, à vitijs transibunt ad virtutes, à carne ad spiritum, candidi facti per baptismi gratiam:vnde hebr. sonat pro lilijs filiorum Core: nam lilijs nihil candidius. Amantissimus autem siue dilectus appellatur Christus, de quo pater: Hic est inquit filius meus dilectus,in quo mihi benè complacui.

¶ A. Augustinus & reliqui ferè interpretes ex persona patris hęc omnia dici volunt, qui ex sese ineffabiliter genuit filium sine vllius commixtione carnali,non aliter quàm nos ex corde generamus consilia quibus varia molimur:& eidem verbo,id est, Christo,qui est princeps regũ terræ,pater dicit,id est, iudicat opera sua: quicquid enim facit,per filium operatur,nec potest filius aliud facere,nisi quod viderit patrem facientem,vt Iohannes inquit cap.5.Pater enim diligit filium,& omnia demonstrat ei quæ ipse facit.Idẽ verò verbũ,id est,Dei filius lingua est patris,id est,interpres volũtatis paternæ.Per filium enim pater locutus est nobis, & similis est calamo velocis Scribæ, qui per spiritũ sanctũ scripsit:scripsit nõ in tabulis lapideis,sed in tabulis cordis carnalibus, vt Paulus habet summam legis euangelicæ,id est,fidem, spem,& charitatem,idq; velocissimè.Nulla enim in docẽdo mora est, vbi spiritus sanctus doctor adest.D. verò Hier. scribens ad Principiũ virginem, quanquã non improbet hanc interpretationem, annotat omnia hæc ex persona prophetæ dici posse,&, verbum appellare vaticinium suum: opera verò,carmina hæc sua siue cantica quæ Christo consecrat, & ita duo hi versiculi veluti procemium quoddã sunt Epithalamij huius. ¶ B. Hæc de humana forma accipienda sunt:nam diuinitatis nulla est comparatio:Christi enim humanitas(vt Hieron.inquit)vniuersis pulchrior est,virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset in vultu quiddam sidereum,nunquam eum statim secuti fuissent apostoli. ¶ C. Non est græcè diffusa,sed effusa,cum quo consentit quoque hebr. veritas:vnde Hieron.enarrans hunc versiculũ: Propriè autem inquit in saluatorem verbum effusionis adiungitur, vt significet gratiæ largitatem: in effundendo enim nihil reseruatur. ¶ D. Verbũ græcum hoc loco est ἐντείνω,quod non solùm significat intendo, sed etiam percutio aut ferio. Hortatur enim siue pater filium,siue propheta Christum, vt semel arrepta bella non deserat,& super hostium strages victor incedens, præparet sibi regnum in his,quos de diaboli ereptos potestate suo copulauit imperio,sic Hieron. ¶ E. Versiculus hic alioqui obscurior sic distingui potest conuenienter: Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis, vt populi & sagittæ, per appositionem cohæreant inter se. Apostoli enim & prophetæ & omnes euangelistæ,id est, prædicatores verbi Dei,iuxta Christi placitum verba scripturarũ explicantes,sagittæ sunt acutæ in manu Dei,quibus transfiguntur corda humana & amore Dei, & desiderio rerum cælestium vulnerantur, de quibus sagittis Dauid psal.126. Sicut sagittæ in manu potentis,ita filij excussorum:vel vt hebraicè est, filij iuuentutis. Eiusmodi sagitta & ipse Christus fuit, de quo Esaias, In pharetra sua abscondit me,& posuit me sicut sagittã electam.His sagittis sauciantur corda inimicorum regis, id est,hominũ à Deo per peccata auersorum, vt ex hostibus amici fiant. Sanctes tamẽ & Munsterus illud: Populi sub te cadent, intelligunt quasi per parenthesim insertum, & repetunt verbum. Sanctes hoc modo:In corda inimicorum regis cadent.Munsterus ita:In corda defigentur odientium regem. ¶ F. Vox Deus,priori loco vocatiuus est, posteriori verò nominatiuus, ad quam ambiguitatem tollendam ita legit Aug. Propterea ô tu Deus,vnxit te Deus tuus etc.In latino enim putatur idem casus nominis repetitus: in græco autem euidentissima distinctio est inquit August.non de hac nostra editione græca loquens: nam ibi vtrobique est nominatiuus

De humana Christi pulchritudine.

minatiuus, sed Aquilæ translationem significans. Nam is, vt annotat Hier. hebraicam vocē Elohim, non nominatiuo casu, sed vocatiuo casu transtulit θεὲ, id est, dee, vt sit vocatiuus à Deus. Per oleū autē exultationis, vnctionē spiritus S. significat, qua Christus delibutus fuit supra omnes participes & consortes suos, id est, nos, qui à Christo, Christi siue christiani appellamur. ¶ G. Quod noster interpres vertit, gutta, grçcè est Stacte, quam alij florē esse volūt ipsius myrrhæ. Dioscorides autē Stactē vocat, pinguedinem recentis myrrhæ cum exigua aqua contusæ, sic dictum à destillando: nam στάζω, græcè, stillo est latinè, quia dumtaxat ex stillatitia myrrha fiat: vnde & latini stactem vocant: Lucretius, aut amaricini blandū, stacteq; liquorem. Quidam eādem esse volūt cum Aloë, sed falluntur. Casea autē frutex est amplitudinis triū cubitorū, vt author est Pli. lib. 12. ca. 19. odoris gratissimi, gustu maximè feruēs, quç omnes pituitas et rheumata noxiosq; humores suo calore excoquit. Quibus omnibus mortificatio carnaliū vitiorū significatur, quibus mūdantur vestimēta, id est, corpora nostra, quæ tēpla sunt spirit⁹S: & propter nitorē puritatis, dom⁹ appellātur eburneæ, quibus Deū oblectāt piorū animæ. ¶ H. Huc vsq; inquit Hier. per prophetæ linguā, quam calamo velocis scribæ cōparat, loquitur spiritus S. Hic persona patris inducitur, loquentis ad sponsam filij sui et eā cohortantis, vt veteris gentilitatis & idololatriç contempto errore, obliuiscatur primum populū suū, & cum Abrahā de Caldça egrediens, relinquat terrā natiuitatis & cognationis suç, & domū patris sui, id est, mundū hunc, in quo diabolus pater omniū, qui illius desideria sectantur, dominatū habet: vnde & princeps huius mundi appellatur. ¶ I. Aug. aliter atque nos & legit & distinguit hunc locū, hoc videlicet modo: Et adorabunt eū filiæ Tyri in muneribus. Quanquam græcè non sit adorabunt, sed adorabis eum: heb. autē adora eum, vt ad filiā regis referatur, tametsi sensus ferè idē sit. Nam ecclesia ex gētibus collecta Tyri filia appellatur. Nam Tyrus in sacris literis sæpe mundum figuratè denotat: vnde diabolus princeps mundi apud Danielē & Ezechielē princeps Tyri appellatur. Diuites autem plebis appellantur sapientes huius mūdi, & philosophorum disciplinis eruditi: hi ad ecclesiam venientes, eā vt matrē venerātur, & in illius gremiū recipi deprecantur, scientes extra ecclesiam nulli esse spē salutis. Hier. ad Principiā virg. annotat hebr. esse tsor, quod significat idē quod fortis, aliquādo Tyrus, aliquando tribulatio: vnde Symmachus vert. κράτιστος, id est, fortissima, Hiero. Et filia fotis etc. vt tamen ad Deū referatur fortis, & genitiui casus sit. ¶ K. Per fimbrias aureas, metaphoricè charitatē vsq; in finē perseuerātē accipim⁹: aurū enim charitatis symbolū est: fimbriç autē, vestium extremitates sunt. Alij inter quos est Hier. & Aug. per fimbrias, sensuū spiritualiū & variarū rerū diuinarū sciētiā intelligūt. ¶ L. Patres vocat philosophos, & cæteros variorū dogmatū & errorū magistros, aut patriarchas Abrahā, Isaac & Iacob, loco quorū nati sunt filij apostoli, sic Hier: Aug. verò sic, Pro patrib⁹, id est, apostolis, qui te p̄ euāgeliū genuerūt Christo, nati sunt tibi filij, id est, apostolorū successores episcopi, quos principes constituisti p̄ ecclesias toto orbe sparsas. ¶ M. Nō est in emēdatis exēplarib⁹ græcis & latinis plurale memores erūt, sed μνησθήσομαι, id est, memor ero, vt ad filiam regis siue spōsam ecclesiā referatur, quomodo & D. Hier. legit & enarrat hūc versum scribens ad Principiā virginē. Intelligēs inquit regina iussa obliuisci populū suū & domū patris sui, quāta decorāda sit gloria, & quib⁹ prçmijs subleuāda, cōuertit ad spōsam voces suas, & pollicetur se recordaturā semper nominis sponsi in omni generatione & generatione.

Gutta Stacte.

Casea frutex.

Domus eburneæ.

Diuites plebis philosophi.

Emēdata lectio.

In finem pro filijs Chore pro arcanis. Psalmus XLV.

DEus noster refugiū & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dū turbabitur terra, & trāsferētur mōtes in A cor maris. Sonuerūt & turbatæ sunt aquæ eorū, cōturbati sunt mōtes in fortitudine eius. Fluminis B impet⁹ lçtificat ciuitatē Dei, sanctificauit tabernaculū suū altissimus. De⁹ in medio eius nō cōmouebitur, adiuuabit eā Deus manè diluculo. Conturbatæ sunt gētes, & inclinata sunt regna, dedit vocē suā, mota est terra. Dn̄s virtutū nobiscū, susceptor noster De⁹ Iacob. Venite et videte opera Domini

quæ posuit prodigia super terrā, auferēs C bella vsq; ad finē terræ. Arcū conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni. Vacate & videte quoniā ego sum Deus, exaltabor in gētibus, et exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.

Titulus psalmi huius 45. apud 70. interpretes habet. In finē pro filijs Core, pro arcanis. Qui autē filij sint Core, iā sæpe dictū est: Illud autē, pro arcanis, denotat psalmū tractare de vocatione gētiū, & reprobatione Iudæorū, q̄ res occulta fuit & arcana: vnde & Apostolus scribēs ad Ro. cap. 11. idipsum vocat mysteriū, id est, arcanū. Nolo inquit vos ignorare fratres mysteriū hoc, quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gētiū intraret, & sic omnis Israël salu⁹ fieret. Apud heb. verò titul⁹ est, victori filiorū Core pro iuuētutib⁹, vel vt alij trāstulerūt, pro iuuēculis: tractat enim psal. de incunabulis & initijs nascētis ecclesię, quasi de eius iuuēta, occultis & internis S. S. incrementis roborata. ¶ A. Illud, in cor maris, siue vt græcè est, in corde maris, ἐν καρδίαις, determinat substātiuū, mōtes: nō autē, verbū trāsferētur, quod ex he. verit. cōstat, quā ita reddidit Hier. Ideo nō timebim⁹ cùm fuerit trāslata terra, & cōcussi mōtes in corde maris, id est, positi in medio maris. Per terrā itaq;, homines terrena sapiētes: p mōtes autē positos in corde maris, intelligūtur magnates & prīcipes huius mūdi hostes euāgelij, q immersi sunt & vndiq; tūdūtur salsissimis fluctib⁹ vitiorū & curarū hui⁹ seculi, q cōcussi sunt & suo loco moti, cùm vnanimiter impugnauerūt ecclesiam nascētē. ¶ B. Per ciuitatē Dei & tabernaculū Dei, idē accipim⁹ hoc loco, videlicet ecclesiā catholicā, quæ in aduersis & persecutionibus lætificatur charismatib⁹ Spiritus s. de his aquis Christ⁹ apud Iohānē, Qui credit in me, flumina de vētre ei⁹ fluēt aquę viuæ. Hoc autē dixit de spiritu inquit Iohā. quē accepturi erāt credētes in eū. Heb. autem nō est impet⁹, sed fluminis diuisiones lętificāt etc. quod aptissimè cōuenit illis apostoli verbis: diuisiones gratiarū sunt, idē verò spirit⁹ ¶ C. Istud iuxta literā cōpletū est, cū bellis vbiq; gētiū sopitis, tot⁹ orbis terrarū descript⁹ est ab Augusto Cęsare, de qua pace Isaias ca. 2. Cōflabūt inquit gladios suos in vomeres, & lāceas suas in falces: non leuabit gēs cōtra gētē gladiū, & nō exercebūtur vltrà ad prælium: verùm iuxta mysticū sensum hęc implēda sunt, cū erit Deus oīa in omnibus, cùm finē accipiet impietas, & adducta fuerit iustitia sempiterna, vt Daniel inquit. Per arcū autē, insidias: per arma, publicā & manifestā oppugnationē: per scutū, variā præsumptionē, qua Deo nos resistere cōfidimus, vnde illud Iob 15. Cucurrit aduersus Deū crassa ceruice scuti sui. Quod alia trāslatio sic habet: Cucurrit aduersus Deum erecto collo, et pingui ceruice armatus est.

Mare, & mōtes in corde maris.

Restituta lectio.

In finem pro filijs Core. Psalmus XLVI.

OMnes A gētes plaudite manib⁹, iubilate Deo in voce exultationis. Quoniā Dn̄s excelsus, terribilis, Rex magn⁹ super omnē terrā. Subiecit populos nobis, & gētes sub pedib⁹ nostris. Elegit B nobis hęreditatē suā, speciē Iacob quā dilexit. Adscēdit Deus in iubilo, et Dn̄s in voce tubę. Psallite Deo nostro, psallite: psallite regi nostro, psallite. Quoniā Rex omnis terrę Deus, C psallite sapiēter. Regnauit De⁹ super gētes, Deus sedet super se dē sanctā suā. Principes D populorū cōgregati sunt cū Deo Abrahā: quoniā dii fortes E terrę vehemēter eleuati sunt.

¶ A. Psalmus hic sicut & pręcedētes, quia filiorū Core mētionē facit in titulo, sine dubio de ecclesię filijs intelligendus est, quæ gloriatur in cruce & morte Domini sui: tractat itaq; triūphū Christi ad cælos adscēdētis deuictis hostibus suis, & subiectis sibi omnib⁹ gētib⁹, populis, et linguis. Inuitat itaq; Dauid ex apostolorū persona nouellum populū Christi ex gētibus collectū, vt manibus plaudat, & voce exultationis Deo iubilet. Nō enim grata est Deo vox laudis, si manus cessent à pijs operibus. Nec enim speciosa laus est in ore peccatoris. ¶ B. Apud 70. græcè est, elegit nobis hæreditatem sibi ἑαυτῷ, non ἑαυτοῦ, id est, suam: apud diuum Hieron. est in quadruplici psalterio, Elegit nos in hæreditatē sibi: in vulgatis verò exēplaribus, elegit nobis hæreditatem suam: heb. veritas habet, elegit nobis hæreditatem nostram. Cùm enim ex apostolorum persona, qui fundauerunt ecclesiam, hæc dicantur, verior lectio est, elegit nobis hæreditatem nostram, siue suam, id est, gentes, quæ est Christi hæreditas, quam à patre

Græcè est ἐβασίλευσεν, id est, regnauit, sic & heb. verit. habet. vt præteritū pro futuro vsurpet, quod moris est apud prophetas, qui spiritu prophetico futura videbant, quasi iā præterita.

Emendata lectio.

à patre accepit,& est apostolorũ, quia eam Christo pepererunt & acquesierunt, quam speciem, vel,vt græcè est,pulchritudinem, καλλονήν.Iacob quoq; appellat, sicut Paulus Israël Dei appellat,ad distinctionem carnalis Israëlis & perfidi seminis Iacob.

¶ C. Addit sapienter vel vt græcè est συνετῶς,id est, intelligenter, vt Aug.legit. Ne quis putet Deum boatu vocum, aut strepitu tubarum aut cornuum delectari, nisi adsit mens pia, & mores actionesq; nostræ non dissonent à regula euangelica.

¶ D. Græca exéplaria legunt θεοῦ,id est,Dei,vt genitiuus sit:non dij,nominatiuus pluralis,vt sensus sit. Apostoli principes ecclesiæ congregati sunt cum Deo Abraham, Isaac & Iacob in cælestibus,& ijdem fortes athletæ Dei vehementer eleuati sunt super terram siue in terra.Nam post fortes græcè ponitur distinctio, & genitiuus τῆς γῆς, regitur à verbo ἐπήρθησαν,qui genitiuus in ablatiuum aut accusatiuum mediante præpositione vertendus erat. Restituta ex græco lectio.

Psalmus cantici filijs Core, secunda Sabbati. Psal. XLVII.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri A in mõte sancto eius.Fundatur B exultatione vniuersæ terræ mons Siõ,latera C Aquilonis,ciuitas Regis magni.De⁹ in domibus eius cognoscetur, cùm suscipiet eam.Quoniã D ecce reges cõgregati sunt, conuenerũt in vnũ.Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt,cõmoti sunt,tremor apprehẽdit eos.Ibi dolores vt parturientis, in spiritu vehementi cõteres naues E tharsis.Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate Domini virtutum,in ciuitate Dei nostri,Deus fundauit eam in æternum.Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Secundũ nomen tuum Deus sic & laus tua in fines terræ, iustitia tua plena est dextera tua.Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine. Circundate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius.Ponite corda vestra in virtute eius, & distribuite F domos eius, vt enarretis in progenie altera. Quoniã hic est Deus Deus noster in æternum & in seculum seculi,ipse reget nos in secula.

Heb.veritas. Circũdate Siõ, & circuite eam, numerate turres eius, ponite cor vestrum in mœnibus eius, separate palatia eius.

Tres hi psalmi 45.46.& 47.qui nunc in manibus est,Ecclesiæ sacramẽtũ continẽt: sicut autem quadragesimus quintus tractat incunabula, & prima illa exordia nascentis ecclesiæ, ita præsens hic psalmus incremẽta ecclesię cõtinet,quomodo sub regibus tyrãnis & persecutoribus creuerit & aucta sit, & quomodo illi ipsi qui prius impugnabant & persequebãtur,videntes propositi firmitatem in sanctis, & animorũ cõstantiam,fidem quã oppugnabant,amplexi sint. Titulus autẽ psalmi sic habet:Psalmus cãtici filijs Chore, secunda Sabbati.Per primã enim Sabbati,diẽ resurrectionis dominicæ accipim⁹:vnde psal.23.qui resurrectionis dominicę mysteriũ tractat,inscribitur.Psalmus Dauid prima Sabbati,dequo plura ibi dixim⁹.Per secũdã itaq; Sabbati,tẽp⁹ intelligim⁹ illud, quo fide Christi per orbẽ sparsa ab apostolis, mira incremẽta & maximũ robur cœpit ecclesia Christi,etiã reges & tyrãnos subijciẽs iugo legis euãgelicæ.In quarũ rerũ typũ et Moses 1.c.Genes.scribit,prima die lucẽ diuisam à tenebris,id est,per resurrectionem immortalitatẽ Christi à mortalitate separatã.Secunda autẽ die firmamentum factum,id est,firmatum & roboratam ecclesiam: vnde & firmamenti nomine eam appellat Apostolus 1.ad Timoth. 3. Quæ est inquit ecclesia Dei viui,columna & firmamentum veritatis. ¶ A. Montem vocat,ecclesiam : vnde & Christus apud Matthæum eandem comparat ciuitati supra montem positæ. Non potest inquit abscondi ciuitas super montem posita. De hoc monte Esaias cap.2. Erit inquit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in virtute montium, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite adscendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob,& docebit nos vias suas.

Prima Sabbati & secunda Sabbati,allegoricè quæ sit.

Ecclesia mons appellata.

¶ B. Aug.legit.Dilatans exultationes vniuersæ terræ:græcè autẽ apud 70. nõ est verbũ nec participium, sed nomẽ adiectiuũ ἐυρίζω id est,ad verbum benè radicata, hoc est, firma, solida, & perpetua exultatione,vt referatur ad laudabilis, sitque sensus:

magnus Dominus & laudandus solida & continua exultatione vniuersæ terræ.

¶ C. Ciuitas Dei, id est, ecclesia ex Iudæis partim congregata est, partim ex gētibus:vnde illos per montē Sion,hos per latera Aquilonis significat. Nā Lucifer in Aquilone sedē ponere voluit:vnde tota aquilonaris plaga in sacris literis diabolo attribuitur,qui gētes antequam ad fidem vocarentur,possedit:vnde illud Hieremiæ, Ab Aquilone pādetur omne malū super habitātes terrā.Et iterū:Eū qui ab Aquilone est, faciā lōgè,& expellā in terrā suam. ¶ D. De his regibus & psal.2.dictū est. Adstiterūt reges terræ,& principes cōuenerunt in vnū etc.Quanquam de dæmonibus hæc quoq; intelligi possent,qui perpetuò obsistūt pijs conatibus & profectibus sanctorum, quos Apostolus ad Ephes. appellat principatus, potestates, & imperatores tenebrarū huius seculi, quorū typus fuerunt reges alienigenæ, & gētes quas suis sedibus expulit populus Israël,de quibus mysticū illud canticū filiorū Israël Exod.15. Adscēderunt populi,& irati sunt:dolores obtinuerūt habitatores Philistijm. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Canaam. ¶ E. Per naues tharsis,id est,maris,superbia gentiū significatur, quę cōfidūt in incerto diuitiarū,fortunæ flatibus se cōmittentes,quorū superbia confracta est arcano afflatu spiritus S.Porrò Tharsis hebraica vox est ęquiuoca, vt doctè annotat Hier.ad Marcellā scribēs.Nam significat & regionē Indię, & ita proprium nomē est: aliquando est appellatiuū significans ipsum mare,sic dictum à ceruleo colore: vnde de Iona dicitur,quòd voluit ire in tharsis, id est,mare traijcere. ¶ F. Geminus sensus hîc esse potest.O doctores & ecclesiæ magistri, distribuite gradus ordinationū legitimè & sanctè, non præmijs corrupti,non personarū acceptione per adulationē decepti. Alter sensus hic est,distribuite,id est, prudēti dispēsatione vnicuiq; salutaria præcipite. Ecclesia enim ex duabus domibus in vnā cōglutinata est, videlicet ex circūcisione,id est,Iudæis:& præputio,hoc est,gentilibus.Hîc Apostolus scribit se omnibus omnia factum, vt omnes lucrifaceret. Alia enim ratione ad fidem Christi ducendi erant Iudæi, alia autem via Gentiles.

Latera aquilonis.

Tharsis hebræa vox quid significet.

In finem filijs Chore. Psalmus XLVIII.

AVdite hæc omnes gētes,auribus percipite omnes qui habitatis orbē.Quíq; terrigenæ & filii hominū, simul in vnū diues & pauper. Os meū loquetur sapiētiam,& meditatio cordis mei prudentiam.Inclinabo in A parabolā aurē meā,aperiā in psalterio propositionē meā. Cur timebo in die mala?iniquitas B calcanei mei circundabit me. Qui confidunt in virtute sua,et in multitudine diuitiarū suarum gloriantur. Frater C non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam Et precium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum, & viuet adhuc in finē.Nō D videbit interitū, cùm viderit sapiētes morientes:simul insipiens & stultus peribunt. Et relinquent alienis diuitias suas,& sepulchra eorum domus illorū in æternū. Tabernacula eorum in progenie et progenie E ,vocauerunt nomina sua in terris suis.

Psalmum hūc Spiritus S.per prophetā Dauid cantat ex persona apostolorū, euangelistarum,siue prædicatorū verbi Dei,omniumq; martyrū & sanctorum,qui hæc ipsa vita & moribus,& sanguine demum proprio asseruērunt & testati sunt. Hos enim per filios Chore,id est,caluariæ intelligimus. Erudimur itaq; hoc psalmo, ne fallā beatitudine sita in opibus,diuitijs,et dignitatibus huius mūdi seducamur,& obliuiscamur cœlestiū bonorum,vt amatores huius seculi faciunt, sed vindicemus nobis & recuperemus honorē illum diuinū,in quo Deus hominem posuit ab initio.Quia itaq; de maximis rebus & quæ vulgò ęgrè credūtur & persuadētur dicturus est,inuitat omnes homines cuiuscūq; sexus ætatis & cōditionis,vt auribus cordis hæc percipiāt:Nā corporis auribus audire nihil prodest. ¶ A. Parabola,græca vox est, quam Cicero,collationem interpretatur:est enim rerum dissimilium comparatio. Estq; Cicerone teste explicata quædam metaphora, quæ solet res eas quæ comparantur,longiùs repetere. Eiusmodi sunt parabolæ illæ euangelicæ. Aliquando parabola vsurpatur, vt nil sit, quàm

Parabola.

quàm parœmia, hoc est, prouerbium: vnde quæ nos prouerbia Salomonis dicimus, ille parabolas vocat. Est enim parœmia siue prouerbium vt græci definiunt, Sermo ad vitæ rationem conducibilis, moderata quadam obscuritate multam in se continens vtilitatem. Porrò quod interpres vertit propositionem, græcè est πρόβλημα. quod non quálibet propositionem significat, sed eam quæ annexá habet quæstionem, qualia sunt ænigmata, id est, obscuriores sententiæ. Est itaq; sensus: Inclinabo aurē meam ad parabolam, vt eruditè illam enarrem, & declarabo in psalterio, id est, psalmo siue cantico, quod ad psalteriū cano problema meum. ¶ B. Calcaneum quod & calx dicitur, (vnde illud Virg. Calcéq; terit iā calce Diores) extrema et ima pars pedis est: vnde & pro fine vsurpatur, quoties dicim^9 ad calcē, pro vsq; ad finē. Sic hoc loco, iniquitatē calcanei appellat peccata quæ nos premūt in fine vitæ: tūc enim diabolus maximè insidiatur hominis saluti: vnde Genes. 3. dictū est de Eua, quæ typū carnis gerebat ad serpentem. Inimicitias ponā inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius: ipsa cōteret caput tuū, & tu insidiaberis calcaneo illius: vel vt 70. verterunt. & Aug. legit, Ipsa obseruabit caput tuū, & tu obseruabis calcaneū illius. Hæc igitur iusta causa est, cur sanctus quisq; timeat diē malā, id est, iudicij, quia in fine vitæ maximè nobis insidiatur diabolus, vt per peccata nos elidat, & animū desperatione deijciat & frangat. Problema quod sit.

¶ C. Per fratrē, Hier. Aug. & item Arnob. Christū intelligūt, qui frater noster factus est cōmunione carnis & sanguinis, quæ assumpsit homo factus: vnde post resurrectionem dixit, vade dic fratribus meis. Si itaq; is nō redimet aut ab æterna dānatione eripiet impios, qui in hac vita suis viribus & opibus confisi sunt cōtempto Deo, multò minus homo quispiā redimere eos poterit. ¶ D. Nō videbit interitum, id est, non intelliget quid sit interitus & quæ vera sit mors animæ, quæ secūda mors appellatur, cuius vmbra quædā est mors hæc corporis. Cùm enim viderit sapiētes moriētes dicet: Si hic sapiētia & pietate præditus, nō potuit vitare mortē, quid prodest sapientia? quis fructus est piè Deū coluisse? Dū ergo viuo, voluptatibus me explebo & molliter viuam, ex quorū persona & illud dictū est Ecclesiast. 1. cap. Si vnus & stulti, & meus occasus est, quid mihi prodest quòd maiore sapiētiæ dedi operā? Moritur doctus similiter vt indoctus, & idcirco teduit me vitæ meæ. ¶ E. Græcè nō est vocauerunt, sed inuocauerūt ἐπικαλέσαντο, nec est in terris suis, sed in terris. Estq; sensus, mortuo diuite, inuocatur nomē illi^9 à suis desiderātibus eū. Quātū putas inquit Aug. Inuocatū est nomen illius diuitis postea, quando inebriabant se homines in memoria ipsius, nec descēdebat vna gutta super linguā ipsius ardentē. Hebracè autem est, vocauerūt nominibus suis terras suas, id est, vrbes à se cōditas, & regionis suis nominibus appellarunt, ad propagandam memoriam nominis sui. Restituta lectio.

Et[F] homo cū in honore esset nō intellexit, cōparat^9 est iumētis insipientibus et similis factus est illis. Hæc[G] via illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt. Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet[H] eos. Et dominabuntur eorum iusti in matutino, & auxiliū eorum veterascet in inferno, à gloria[I] eorū. Veruntamē Deus redimet animā meam de manu inferi cùm acceperit me, ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cū multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniā cū interierit, nō sumet omnia, neq; descēdet cū eo gloria eius. Quia anima eius in vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi[K] cùm benefeceris ei. Introibit in progenies patrū suorū, et vsq; in æternū non videbit lumen. Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

¶ F. Honorē vocat aut opes & diuitias quibus à Deo honestatur in hac vita: aut honorē vocat dignitatē, quā Deus soli homini cōtulit, tradens ei imperium in omnia creata, de quo dictū est est psal. 8. & ad imaginē sui illū cōdens, sic Aug. Quid est inquit in honore positus? factus ad imaginem & similitudinem Dei, homo prælatus iumētis?

¶ G. Per viam intelligimus hoc loco, vitā impiorū voluptariam & delitijs plenam, quæ est illis occasio ruinæ & perditionis perpetuæ. ¶ H. Non est græcè de-

 pascet.

Restituta ex græco vera lectio.

pascet,id est,consumet,sed ποιμανεῖ,id est, pascet,quod clariùs reddidit Aug. Mors pastor est ijs:significat enim impios, velut oues mactationi destinatas,apud inferos seruandos:& quia authoré vitæ spreuerunt,qui suis ouibus æternam dat vitá, illos habituros pro pastore morté,id est, diabolú authorem mortis.Sic enim pascétur morte,vt perpetuò moriátur,& nunquá morte cósumantur. ¶ I. Desideratur hoc loco verbú quod apud 70. in græcis exéplaribus legitur,ἐξώσθησαν,id est,expulsi sunt.Est itaq; sensus:Impij expulsi sunt à gloria eorú:aut sua potiùs, id est, opibus,diuitijs, & dignitatibus suis orbati sunt. Quod auté præcedit,auxiliú eorú veterascet in inferno, variè redditur ab interpretibus hebraicis. Hier.enim vertit,figura eorú cóteretur in inferno. Felix Pratésis,fortitudiné eorú cósumet fouea.Músterus,forma eorú erit in defectioné in sepulchro:quæ diuersitas accidit ex duabus vocibus ambiguis, quorum prior apud hebræos significat auxiliú, robur,formá vel figurá:posterior,infernú, lacum,foueá, aut sepulchrú. ¶ K. Confitebitur tibi cùm benefeceris ei, apostrophe videtur esse ad Deú,quasi dicat,cùm benè facis impio,opes & diuitias illi largiés,laudabit te, alioqui maledicturus tibi:verùm Hiero.ad hebr.verit. sic reddidit:Laudabit te cùm benefeceris tibi, vt sensus sit, impios laudare eos,qui ad sui similitudinem sibi benefaciunt, id est, genio indulgent & voluptatibus se explent.

Deest est verbú in nostris codicibus.

Psalmus Asaph. Psalmus XLIX.

DEus[A] deorú Dominus locutus est, & vocauit terrá. A solis ortu vsq; ad occasum,[B] ex Sió species decoris eius.Deus manifestè veniet:Deus noster,& nó[C] silebit.Ignis in cóspectu eius exardescet,& in circuitu eius[D] tépestas valida. Aduocauit cælú de sursum,& terrá discernere populú suú.Cógregate illi sanctos eius,qui[E] ordinát testamétum eius super sacrificia.Et annunciabút cæli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.Audi populus meus & loquar tibi Israël,& testificabor tibi Deus Deus tuus ego sum.Non in sacrificiis tuis arguam te,holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.Non accipiam de domo[F] tua vitulos,neq; de gregibus tuis hircos. Quoniá meæ sunt omnes feræ syluarú,iumenta in mótibus & boues. Cognoui omnia volatilia cæli,& pulchritudo agri mecú est.Si esuriero[G] non dicá tibi,meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum,aut sanguinem hircorum potabo?Immola Deo sacrificium laudis,& redde altißimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis tuæ & eruam te,& honorificabis me.

Marci 13. Mittet angelos suos,et congregabit electos suos à quatuor vétis,à summo terræ, vsque ad summum cæli.

Hoc psalmo Dauid de iudicio Dei futuro disserit, quo separabit & discernet bonos à malis, iustos ab impijs, terrenos à cælestibus: de quo & apud Matthæum cap. 3. Iohannes Baptista.Cuius inquit ventilabrum in manu sua, & per mundabit aream suá, & cógregabit triticú in horreum suum, paleas autem conburet igni inextinguibili.Omnia auté hæc de treméndo Dei iudicio vaticinatur Dauid,vt terroré incutiat carnalibus & craßis Iudæis, quibus persuasum erat Deú placari sanguine pecudú & nidore immolatarú carniú, cùm interim omnibus se cótaminarét sceleribus, docés spiritualibus victimis,id est,vitæ puritate & morú innocétia, quam profeßi sumus, & Deo vouimus,illú dumtaxat placari & honorari,& hác esse vnicam viam ad salutem.

Deus deorum quare dictus.

¶ A. Deú vocat deorum,non quòd plures sint dij. Nobis enim inquit apostolus tantùm vnus est Deus, sed quòd dij appellentur homines ex Dei gratia deificati (vt Augustini verbis vtar) non quòd de eius substantia nati sint.Qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit: dedit enim illis potestatem filios Dei fieri, si autem filij Dei facti sumus,& dij facti sumus:vnde psalmo 81. Deus stetit in synagoga deorum, & iterum: Ego dixi dij estis & filij excelsi omnes. ¶ B. Ex Hierosolymis enim decus euangelij prodijt, & in omnes fines terræ propagatum est: vnde Esaias,De Sion exibit lex,& verbum Domini de Hierusalé:gratiam enim euangelicam

gelicam bene decorem appellauit,quòd orbi tenebris squalore & perpetuo luctu oppresso,maximũ intulit gaudiũ:vnde alibi Esaias.Q̃uã speciosi pedes euãgelizãtiũ pacẽ, euãgelizãtiũ bona. ¶ C. Silere dicitur Deus,quãdo peccantes patiẽter tolerat,et scelera illorum dissimulat,longanimitate illos inuitans ad pœnitentiam: at cùm nullum peccandi finem facimus, & pœnas meritas infligit,loqui dicitur: vnde Esaiæ cap. 42. Tacui inquit semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo & absorbebo simul,desertos faciam montes. ¶ D. Tempestatem quæ vi ventorũ cõstat hoc loco appellat,vim cælestium spirituum,qui in momento temporis ex Dei mandato excitabunt è terra omnes mortuos,separantes malos à bonis, non secùs atque paleæ vento excutiuntur,& in area per ventilabrũ separantur à tritico:vnde Matthæi 3.Discretoria hæc potestas,ventilabrum dicitur : Cuius inquit ventilabrum etc. vt suprà.

Silere quandò dicitur Deus,& quando loqui.

¶ E. Est hoc loco græca vox διαθήκη,quæ non solùm testamentum,sed & pactum significat aut fœdus,quomodo potiùs vertendum erat:vnde ad heb.veritatem ita reddidit Hieron. Congregate mihi sanctos meos qui feriunt pactum meum in sacrificio. August.loco verbi ordinauerunt,legit disposuerunt,æquè duriter & incommodè vertit interpres has voces psal.82. Aduersum te testamentum disposuerunt,pro eo quod vertisset,aduersus te fœdus siue pactum fecerunt.Sensus itaque est,congregate sanctos qui pactum mecum fecerunt in sacrificiis,& illud inuiolatum seruarunt, illa sacrificantes quibus me placandum dixi. ¶ F. Legalia sacrificia quæ carne & sanguine pecudum constabant,quia ad tempus instituta erant , vt vmbræ quædam essent veritatis postea aduenturæ,reijcit Deus hoc tempore , quo chorusçante veritate euangelica vetera transierunt , & noua facta sunt omnia , quæ & olim repudiauit Deus offensus scelerata & improba vita offerentium:vnde Esaiæ 1. Quo inquit mihi multitudinem victimarum vestrarum,dicit Dominus?plenus sum holocausto arietum , & adipe pinguium,sanguinem vitulorum,& agnorum,et hircorum nolui.Ne offeratis vltrà sacrificium frustrà. ¶ G. Dicta sunt hæc inquit Aug. ad conuincendum paruulum sensu, non quia professus est Deus esuriem suam.Immortalis enim & incorruptibilis natura diuina,nec sitit,nec esurit.Est itaque hic sensus quasi dicat , vt secundum carnalem & crassum sensum tuum tibi respondeam ô homo,quia tu cùm non edis,famem pateris, fortè putas & Deum esurire,& necesse esse vt manducet . Et si esurierit,non tibi dicit, omnia ante illum sunt , vnde vult & tollit quod illi necessarium est.

Peccatori autem [H] dixit Deus,Quare tu enarras iustitias meas,& assumis testamentum meũ per os tuum?Tu verò odisti disciplinã, & proiecisti sermones meos retrorsum.Si videbas [I] furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.Os [K] tuum abũdauit malitia,& lingua tua cõcinnabat dolos.Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris,& aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum,hæc fecisti & tacui.Existimasti iniquè [L] quòd ero tui similis,arguam te & statuam contra faciem tuã.Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum,nequando rapiat & non sit qui eripiat.Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

Aug.in cõmẽt. in hunc psal. legit.Suspicatus es iniquitatem.

¶ H. Tota hæc extrema pars psalmi ad doctores & episcopos ecclesiæ dirigitur, qui ea quæ docent et seruanda prædicant,scelerata sua vita & improbis moribus subuertunt & destruũt,vnde ferè omnia populi vitia nascũtur. Non quòd malũ sit enarrare scripturas & verbum Dei prædicare : sed ideò per spiritũ sanctum dixit hæc Dauid,ne blandiatur quis sibi,& falsò persuadeat dicens:Non perdet me Deus,qui verba eius annuncio,& sermones illius enarro:vnde habet , Quare tu enarras iustitias?quasi dicat,Cur facis quod tibi non prodest?Admonet itaq; improbum doctorem,vt audiat obediatq; diuinis sermonibus quos enarrat,non vt prædicationẽ omittat. ¶ I. Non enim satis est non patrasse furtum aut commisisse adulterium , si his consentiamus,& quoties fiunt ea non redarguimus , sed assentando vel laudando aliorum peccata fouemus . Hoc enim est interprete Aug . currere cum fure,& cum adulteris portionem ponere,hæc facientibus consentire , & eadem laudare. ¶ K. Is dicitur abundare

Currere cum fure.

malitia. Qui non modò patrat mala, sed etiam eadem defendit & laudat, & conuictus pœnitere cōtēnit: quæ res quoties in episcopo aut doctore ecclesiastico est, pernicies & pestis quædam est populi, qui fraudulētis suis sermonibus subditorum animas perdit: vnde addit, & lingua tua concinnabat dolos. ¶ L. Iniquè hoc loco aduerbiū est, non vocatiuus, quod ex græco liquet: nam 70. legunt ἀνομίαν, id est, existimasti iniquitatem, hoc est, suspicatus es ô peccator in me iniquitatē esse, vt essem tui similis laudādo peccata, sed falleris: nam arguam te cùm produceris ad tribunal meum: & statuam scilicet omnia peccata tua ante oculos tuos: sic enim legunt 70. græcè. Et statuam siue exhibebo ante faciem tuam peccata tua.

In finem psalmus Dauid cùm venit ad eum Nathan propheta, quando intrauit ad Bethsabeæ. Psalmus L.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Ampliùs A laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum B cōtra me est semper. Tibi soli C peccaui & malū coram te feci: vt D iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexisti, incerta E & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Adsperges me Domine hyssopo F & mūdabor, lauabis me & super niuem dealbabor. Auditui G meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Auerte faciē tuā à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectū H innoua in visceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Aug. In vtero aluit me mater mea.

Totus hic psalmus quinquagesimus precationē hominis pœnitentis continet, et diuinam misericordiam implorantis post commissum peccatum, & sancti spiritus perditam gratiam sibi restitui cupientis: vnde inter eos quos pœnitentiales vocant, psalmus hic quartus ordine est. Cecinit autem hunc Dauid ex sua ipsius persona vt ex titulo constat, postquam cōcubuit cum Bethsabeę vxore Vriæ quem in prima acie collocatum occidendum curauit, homicidium iungens adulterio. Missus itaq; ad Dauid Nathan propheta, dira illi comminatus est verbis Domini: vnde compunctus & conterritus Dauid, ex animo pœnituit, & misericordiam consecutus est, vt habet vndecimum caput 2. Reg. ¶ A. Quod noster interpres vertit ampliùs. D. Hier. ad heb. veritatem reddidit, Multùm laua me ab iniquitate mea: est enim græcè ἐπὶ πλεῖον, id est, crebriùs aut diutiùs laua me: vnde August. legit. Magìs magisq; laua me ab iniquitate mea. Quod idem enarrat his verbis. Quid est inquit magìs magisq; laua? Multùm inquinatum magìs magisq; laua, & ablue peccata scientis, quia abluisti peccata ignorantis. ¶ B. Contra hoc loco, pro coram sumitur: est enim græcè ἐνώπιον, quod ad verbum sonat, ante oculos siue in conspectu: vnde rectiùs Aug. legit. Delictum coram me est semper, hoc est, non posui post dorsum meum quod feci: non intueor alios, oblitus mei: non affecto eiicere festucam ex oculo fratris mei, cùm sit trabs in oculo meo.

Contra pro coram positū est.

Quomodo soli Deo peccam'.

¶ C. Soli Deo peccasse se dicit, & malum coram eo fecisse, quia solus Deus sine peccato est. Ille enim iustus vindex est, in quo nihil hæret culpæ. Ille solus iure reprehendit & castigat, in quo nihil est reprehensione aut pœna dignum. Alioqui in vxorem proximi peccauerat, quam violauerat: & in maritū eius, quem occidendum procurauerat. ¶ D. Promiserat Deus ex animo pœnitētibus veniam: pollicitus quoq; erat magna & eximia quædam ipsi Dauid de stabiliendo in perpetuum regno eius.

Dicebant

Dicebant itaq; plurimi Deum non seruaturum ea quę promiserat, nec impleturum esse quæ pollicitus erat ipsi Dauid propter peccata in quæ prolapsus erat. Si igitur Deus nihilominus sua promissa seruet & vniuersa impleat, profectò iustificatur in sermonibus suis, id est, iustus & verax declaratur in promissis: & vincit, id est, cōfutat, & redarguit incredulitatem & impietatem eorū, qui Deum tanquam mendacem & inconstantem iudicabant. ¶ E. Quod interpres noster vertit hoc loco, incerta, rectiùs & clariùs vertisset, arcana: ἄδηλα enim græcè vocantur, quæ non sunt manifesta nec omnibus obuia & exposita, qualia sunt diuina & cælestia mysteria & prophetarum oracula, quorum conscius erat Dauid: in quibus nihil est incertum, hoc est, ambiguum & dubiæ fidei, sed omnia certissima & indubitata. Quare ad heb. veritatem clariùs vertit Hieron. Absconditum & arcanum sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Emendata lectio.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Docebo iniquos [I] vias tuas, & impii ad te conuertentur. Libera me de sanguinibus [K] Deus Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iustitiam tuam. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: hocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus [L], cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Benignè fac Domine in bona voluntate sua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum [M] vitulos.

¶ E. Hyssopus. f. genere, & hyssopum neutro genere, herba est non negligendi in medicina vsus: tollit enim inter alia pulmonis inflationem, opitulatur quoq; orthopniceæ, id est, ijs qui respirandi difficultate laborant, nec nisi recta ceruice spirare valent. Per inflationem autem pulmonis, animi tumorem et superbiam mysticè intelligimus, à qua se purgari petit Dauid. Superbia enim ferè fons est omniū vitiorū: vnde bene dictū est Eccle. 10. Initiū omnis peccati, superbia. Hyssop⁹ itaq; humilitatē denotat, quæ animi fastum & tumorem reprimit. ¶ G. Non est græcè, auditui meo dabis, sed auditum facies mihi gaudium etc. ἀκουτίζω enim propriè est, audire facio. ¶ H. Per spiritum rectum, sanctum & principalem: alij, eundem spiritum sanctum accipiunt qui rectus dicitur, quòd vera & recta doceat & inspiret, aut quòd recto itinere ad Deum nos deducat, quia est & malus, de quo Hieremias, Miscuit inquit illis Dominus spiritum vertiginis. Sanctus autem dicitur, quòd fons et autor sit omnis sanctificationis. Principalis autem siue princeps aut pręcipuus, quòd inter omnes spiritus principem locum teneat vtpote creator spirituum. Alij hoc loco, vt annotat August. trinitatem intelligi voluerunt: excepta enim dispensatione carnis, Deus spiritus est: & principalem spiritum appellari, patrem: rectum spiritum, filium: sanctum autem, ipsum sanctum spiritum, quam interpretationem D. Bernardus in sermone de pentecoste secutus est. Hyssopus quid mysticè notet. Spiritus rectus, sanctus & principalis.

¶ I. Vias appellat, aut pręcepta in quibus ambulare nos vult Deus, vel certè opera et actiones diuinas: rationes enim et modos agēdi, latinè vias appellamus. De his psal. 24. Omnes viæ Domine misericordia & veritas, vt sensus sit, docebo iniquos quanta tua sit misericordia in remittēdis peccatis, & quāta veritas in præstādis promissis, quæ sanè inuitabunt eos vt se conuertant ad te. ¶ K. Sanguinis appellatione in sacris literis, peccata significantur: vt enim corpus hoc nostrum sanguine irrigatur per venas & augetur (ex sanguine enim caro gignitur) ita & homo carnalis peccatis quodammodo alitur & vegetatur: vnde lex toties vetuit, vt à sanguinis esu abstinerent: & in huius typum quoties adolerent hostiam, sanguis ad crepidinem altaris effundebatur: vnde Ozeæ 4. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. ¶ L. Apud Græcos est eadem vox συντετριμμένος, quam interpres aliquando vertit contribulatus, aliquando contritus. Est autem cor contritum siue animus contritus, nimio mœrore et pœnitudine sceleris sui fractus & deiectus, cui opponitur cor exaltatum, erectum, & sub- Viæ Domini quę appellentur. Sanguinis appellatione quid notetur.

& ſublime. ¶ M. Vitulus, quia perpetuò ferè ſacrificijs deſtinabatur, apud veteres factum eſt, vt pro ſacrificio aut hoſtia qualibet ſumatur: vnde per vitulos qui hodie altari imponuntur, & in cæleſti illa Hieruſalem perpetuò imponentur, hoſtiam ſiue ſacrificium laudis & gratiarum actionis intelligit, de quo Dominus per Ozeæ dixit: Conuertere Iſraël ad Dominum Deum tuum. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei. Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum, id eſt, verborum & laudum ſacrificia. Porrò muri Hieruſalem ædificantur, quoties electi adſcribuntur cæleſti illi ciuitati Hieruſalem, de qua Paulus ſcribens Galatis, Illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra: vnde idem ad Epheſ. Iam inquit non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum ſuperædificati ſuper fundamentum apoſtolorum, & prophetarum: Et Petrus in ſua epiſtola: Ad quem inquit accedentes lapidem viuum, et ipſi tanquam viui lapides ſuperędificamini: vt itaq; hæc bona Deus Sion, id eſt, eccleſiæ ſuæ præſtet & acceleret, optat propheta.

Vituli qui appellentur.

Cap. 14.

Commen-

COMMENTARIORVM IN PSALMOS DAVIDICOS LIBER SECVNDVS.

In finem, intellectus Dauid, cùm venit Doëg Idumæus & nunciauit Saul, & dixit: Venit Dauid in domum Abimelech. Psalmus LI.

QVid gloriaris in malitia A, qui potens es in iniquitate? Totã die iniustitiã cogitauit lingua tua, sicut B nouacula acuta fecisti dolũ. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba pręcipitationis C, lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem, euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Videbunt iusti & timebũt D, & super ipsum ridebũt: & dicent, Ecce homo E qui nõ posuit Deũ adiutorem suum. Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate F sua. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum, & in seculum seculi. Confitebor tibi in seculum G quia fecisti, & expectabo nomẽ tuũ, quoniã bonũ est in cõspectu sanctorũ ei⁹.

Titulus huius psal. 51. historiam respicit, quæ scribitur cap. 22. primi libri Regum. Postq̃ enim peccauit Saul prętergressus mãdata Domini, recessit ab illo spiritus Dei, & direct⁹ est in Dauid, quẽ iubẽte Domino vnxit in regẽ Samuel, exagitauitq; Saulẽ malus spiritus, qui incitauit illũ ad persequẽdũ Dauid, eripuitq; eũ Dominus ex manibus Saul, qui perpetuò insidiabatur Dauid. Quest⁹ est itaq; rex Saul apud suos, neminẽ esse qui doleret vicẽ suã, sed omnes cõiurasse cum Dauid aduersum se, nec quenq̃ esse qui proderet Dauid. Respõdit itaq; Doëg Idumęus potẽtissim⁹ pastorũ Saul, se vidisse Dauid in Nobe apud Achimelech sacerdotẽ, & illum consuluisse Dominũ pro Dauid, & eidẽ dedisse panes propositionis & gladiũ Goliath, ob quã rẽ iratus Saul, accersitũ sacerdotem Achimelech cum omni domo patris sui iussit occidi: recusantibus autem satellitibus, irruit Doëg in sacerdotes Domini, et occidit illo die 85. viros vestitos Ephod lineo, id est, indutos vestibus sacerdotalibus. Verùm quia titulus habet, Intellectus Dauid, mysticum sensum relicta litera iubemur quærere. Saul, principem mundi significat. In persona autem ipsius Doëg, omnes satellites eius & membra diaboli accipimus, tyrãnos, Iudęos, hęreticos, et in summa omnes quotquot Christũ persequũtur, et in illius membra sęuiunt. Quòd autẽ nos legimus Abimelech, ad heb. ve. legit Hier. Achimelech: id enim nomẽ fuit summi sacerdotis. Error autem hic natus videtur ex affinitate literarũ Beth, & Caph, quæ characteribus parum differunt ¶ A. Septuaginta græcè legunt per tertiã personã, nõ per secũdã, hoc modo: Quid gloriatur in malitia potẽs: ibiq; diastolen siue distinctionem ponunt, quã lectionem Aug. sequitur qui ita legit hunc psalmum: Quid gloriatur in malitia qui potens est: in iniquitate tota die iniustitiã cogitauit lingua tua. Verùm quoniã græcè non est in iniquitate, sed accusatiuus iniquitatem, rectiùs distinctio ponitur post accusatiuum hunc, vt emendatiora exemplaria legunt, & regatur à δυνατός, p̃ subauditionẽ prępositionis κατὰ quẽ rectè noster interpres reddidit per ablatiuũ, sicut in quarto versu quoq; fecit, vbi legim⁹ lingua dolosa, cùm gręcè sit accusatiuus, γλῶσσαν δολίαν, quãquã ibi quoq; regi posset à verbo quod pręcedit, dilexisti, quo sensu Aug. accipit, q̃ per accusatiuũ legit, linguã dolosam. ¶ B. Dolus est, cùm aliud agitur, aliud simulatur. Nouacula autem adhibetur, nõ ad dehonestãdã aut lędẽdã faciẽ, sed vt eã nitidã reddat: accidit autem, vt imperit⁹ tõsor, si acuta nouacula barbã radat, sępe ad viuã cutẽ & carnẽ penetret. Bene autẽ impiorũ insidias nouaculæ cõparat: vt enim illa nõ in alios vsus adhibetur, nisi vt pilos et capillos resecet: ita malorũ technę et doli in animas iustorũ nihil iuris habẽt, sed opes tãtùm et diuitias, et cętera vitæ ornamenta auferre possunt, vt in ipso Iob factum constat. ¶ C. Quod noster

Saul quos denotet.

Vera lectio quã Aug. quoque sequitur.

Nouacula acuta.

noster interpres vertit,verba præcipitationis,græcè est κατὰ ποντισμοῦ,quod Aug.legit, verba submersionis:sic enim ad verbum sonat vox grecanica.D.Hier.vertit,verba ad deuorandum:alij,verba glutitionis:alij,verba depressionis . Est itaque sensus: Dilexisti verba quibus ipse te præcipitas in barathrum damnationis:vel verba dilexisti, quibus conatus es præcipitare & demergere in interitum, vel deuorare & glutire iustum & innocentem. ¶ D.Contraria hæc duo sibi videntur timere & ridere, sed ad diuersa tempora referenda sunt.Aug.Quando inquit timebunt? quando ridebunt? Intelligamus ergo & discernamus duo ista tempora. Quandiu sumus in hoc seculo, nondum est ridendum ne postea ploremus.Nescit enim homo,an amore an odio dignus sit:& apostolus,Cùm timore inquit & tremore vestram salutem operamini.At cùm illuxerit dies illa immortalitatis & iudicij nouissima,tunc ridebunt iusti: vnde Prouerb. vlt. dictum est de ecclesia sub typo mulieris fortis:Fortitudo et decor indumētum eius, et ridebit in die nouissimo. ¶ E. Tametsi notare videatur sermo propheticus Idumęum istum Doëg,omnes tamen amatores seculi,tyrannos,& potentes huius mundi velut digito demonstrat, qui terrena sapiunt,& piorum sanguine se maculāt,& anxijs curis & solicitudinibus huius seculi immerguntur . Idumæus enim ab Edom deducta vox, sonat sanguineum ruffum aut terrenum . Doëg autem anxium aut solicitum.

Iustitiā timent, postea ridebūt.

Quid per Idumęum significetur.

Vanitas quid denotet.

¶ F. Vanitatem appellat,opes,diuitias,& seculi dignitates,quibus nihil vanius aut inconstantius:vnde Ecclesiastes coaceruatis omnibus diuitijs,& magnifico splēdido; omnium rerum apparatu dixit:Cùm me conuertissem ad vniuersa opera quę fecerant manus meæ,& ad labores in quibus frustra sudaueram,vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi,& nihil permanere sub sole.

In [A] finem pro Maeleth intellectus Dauid. Psalmus LII.

DIxit insipiens in corde suo,non est Deus.Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus,non est qui faciat bonum.Deus de cælo prospexit [B] super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum.Omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.Nónne scient omnes qui operantur iniquitatem?qui deuorant plebem meam vt cibum panis?Deum non inuocauerunt,illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.Quoniam Deus dissipauit [C] ossa eorum qui hominibus placēt: cōfusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.Quis dabit ex Sion salutare Israël? cùm conuerterit [D] Deus captiuitatem plebis suæ,exultabit Iacob, & lætabitur Israël.

¶ A. Exemplaria quædam latina mendosè legunt in titulo huius psalmi,In finem pro Amalech,cùm legendum sit pro Maeleth:sic enim est gręcè apud 70.Sonat autem vox heb.idem quod dolens aut parturiens.Ex persona itaq; ecclesiæ dolentis de impietate humani generis,vel ex persona Christi gementis & deplorantis peccata filiorum Adam scriptus est psalmus hic.Porrò psalmus hic 52. prorsus idē est cum psalmo 13.nisi quòd secūdus versus habeat hoc loco:Abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Ibi verò : Abominabiles facti sunt in studijs suis . Et penultimus versus huius psalmi planè diuersus est à penultimo versu psal.13.D.verò Hieron. ad hebr. veritatem hunc titulum dat,Victori per chorum . Eruditio Dauid. ¶ B. Deus dicitur prospicere de cælo vt videat,non quasi aliquid illum lateat,sed videre dicitur Deus id quod nos videre facit:tale est & illud Genes.9, Descēdit Dominus vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filij Adam:non quòd id nesciret,sed vt videndum id omnibus exhiberet:sic Deus tentat,non vt ipse aliquid sciat,quod antè ignorauerit, sed vt nos id scire faciat, quod ex illo Deuter.13.cap.palàm constat.Tentat vos Dominus Deus vester vt palàm fiat vtrùm diligatis eum, an non. ¶ C. Ossium appellatione,allegoricè sæpe significantur in sacris literis fiducia & spes , quibus velut ossibus fulcitur & solidatur animus; vnde illud Hieremiæ , Contriuit ossa mea, id est , abstulit omnem

Quomodo Dominus prospicere dicitur & tentare.

Ossa quæ allegoricè dicūtur.

spem &

ſpem & fiduciam meam: ſic & hoc loco diſſipantur oſſa eorum, qui hominibus placent, quoties ſpes & fiducia eorum perit: vnde Sap. quinto. Spes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur. Contrà autem, iuſtorum fiducia & ſpes ſolida & firma eſt, quæ nunquam illos fallet: vnde in laudē iuſtorū dictum eſt pſal. 33. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his nō conteretur, hoc eſt, nec in minima re fruſtrabuntur ſpe ſua. ¶ D. Quod hîc bene vertit, conuerterit, pſal. 13. dixit, auerterit, cùm ſit idem verbum ἐπιςρέψαι: conuertitur ad captiuitas, cùm capti ad ſuos reducuntur: aut conuertitur, cùm mutatur libertate: & quos frigus & glacies peccatorū alligabant, per gratiam ſpiritus S. ſuę libertati redduntur: vnde pſal. 125. Conuerte captiuitatem noſtram ſicut torrens in auſtro.

[A] In finem in carminibus intellectus Dauid, cùm veniſſent Ziphæi, & dixiſſent Saul, nònne Dauid abſconditus eſt apud nos?

PSALMVS LIII.

DEus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute [B] tua iudica me. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. Quoniam alieni [C] inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam, & nō propoſuerūt Deum ante conſpectum ſuū. Ecce enim Deus adiuuat me, et Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos. Volūtariè [D] ſacrificabo tibi, & cōfitebor nomini tuo Dñe quoniā bonū eſt. Quoniā ex oī tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit ocul⁹ meus.

¶ A. Titulus pſalmi hiſtoriā aperit, quæ eſt Reg. 1. 26. cap. Cùm Saul perſequeretur Dauid, & prodēte Doëg Idumęo, occidiſſet ſacerdotes Domini, abſcōdit ſe poſtea Dauid in deſerto Ziph. Porrò Ziph, oppidū aut vicus eſt in tribu Iuda, cuius habitatores Ziphæi dicti ſunt, hi prodiderunt ipſum Dauid: apud ſe latitātē, Sauli. Coacto itaq; exercitu, deſcēdit Saul in deſertū Ziph, caſtriſq; locatis cùm ſe ſomno dediſſet rex, deſcēdit Dauid in media caſtra, et tulit haſtam regis, & cyphū aquę ad caput regis Saul poſitū, et abijt: et cùm de capitali hoſte ſuo vlciſci ſe poſſet, noluit, vindictā Deo relinquēs. Allegoria.
Verū quoniā erudimur ad myſticū ſenſum, quærēdū quid allegoria nos docet. Nā 70. habent, Intellectus Dauid: hebr. veritas, eruditio Dauid. Ziphæi amatores huius mundi denotant hoſtes Dauid, id eſt, Chriſti, & corporis illius, id eſt, eccleſiæ, qui Sauli, id eſt, principi huius mundi diabolo ſeruiunt in perſequēdis bonis. Sonat enim Ziphæus, floridus: florent enim opibus, dignitatibus & diuitijs in hoc mundo, ſed hæc eorum gloria velut flos fœni vel graminis. ¶ B. Quaſi dicat eccleſia, Cùm me vlciſci poſſem, tibi omne vindicandi ius reſeruo, quare ſalua me precor per nomen tuum, quod ſalutem pollicetur. Ieſus enim, Saluator ſonat, & vindica me tua virtute, id eſt, potentia & fortitudine. Nam iudicare apud Heb. ſępe pro vindicare & vlciſci vſurpatur: Sic Geneſ. Iudicare pro vlciſci apud hebræos.
15. Gētem cui ſeruierint, ego iudicabo, id eſt, vlciſcar: & Deuter. 32. Iudicabit Dominus populū ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur: vnde Hier. vertit hunc locū: & in fortitudine tua vlciſcere me. ¶ C. Alienos vocat, nō quòd allophyli aut alienigenę eſſent Ziphæi aut milites Saul, ſed quòd diuerſorum ſtudiorū. Sic pſal. 145. filios alienos vocat, Qui vocentur alieni.
& pſal. 17. filij alieni mentiti ſunt mihi, vbi citra controuerſiam Iudæi notantur: de talibus & Ioannes, exierunt de nobis, ſed non erāt ex nobis, quòd nomine & profeſſione omnes ſint chriſtiani, ſed non vita & moribus. ¶ D. Omnia legalia ſacrificia neceſſaria erant: nam ritus & modus ſacrificiorum per legem præſcriptus erat Iudæis, quem violare nefas erat: at nouæ & euangelicæ legis ſacrificia, quæ nullo pœnarum metu quas lex infligebat, offeruntur, ſed libera charitate erga Deum & proximum ſacrificantur, voluntaria & ſpontanea ſunt. In cuius rei typum lex pręcepit in feſto hebdomadarum, id eſt, pentecoſtes vt offerrēt Deo victimā ſpontaneā. Aug. volūtariè nos Deo ſacrificare dicit, quoties illum colimus, non propter mercedem aut præmia, ſed propter ſeipſum: qui enim ſpe mercedis ſeruit, neceſſitate quadam obſtringitur. Voluntarium ſacrificium & ſpontanea hoſtia.

In finem in A carminibus intellectus Dauid. Psalmus LIIII.

EXaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi & exaudi me. Contristatus sum B in exercitatione mea, & cõturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Quoniam declinauerũt in me iniquitates, & in ira molesti erãt mihi. Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Ecce C elongaui fugiẽs, & mansi in solitudine. Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate. Præcipita D Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Die ac nocte circũdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniustitia. Et nõ defecit de plateis eius E vsura & dol⁹. Quoniã si inimic⁹ me⁹ F maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;. Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus. Qui simul G mecũ dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.

Diuisio.

¶ A. Psalmus hic ex persona mediatoris Dei & hominis Christi Iesu canitur: continet enim precationẽ hominis dominici, id est, Domini nostri iuxta humanã naturam & formã serui, quam propter nos redimẽdos assumere dignatus est: vnde carnis infirmitas hoc psalmo pręcipuè exprimitur, quo videlicet metu & horrore conturbatus & cõcussus est imminente passione eius, cupiẽs quidẽ iuxta carnis assumptæ volũtatẽ imminẽtes cruciatus et probrosam mortẽ effugere: iuxta diuinã verò volũtatẽ, patris volũtati et imperio se submittẽs. ¶ B. Tota Christi vita exercitatio virtutis & pietatis meditatio fuit: in hoc enim totus fuit Christus, vt per omnia pręceptis & volũtati patris obtẽperaret, & absolutissimũ pietatis & omnis virtutis exẽplũ nobis relinqueret: vnde benè exercitationẽ, vel vt vertit Hier. meditationẽ vocat vitã suã, quę alienissima ab omni ocio, voluptate, & delicijs, semper occupata fuit exercẽdis virtutibus & contemplandis cælestibus: omnia enim hæc significat græca vox ἀδολεσχία: nam inter alia significat exercitium: significat etiam meditationem, quoties multa cogitatione & animo voluimus. ¶ C. Interpres verbũ verbo reddẽs vertit, elõgaui: quod latiniùs et clariùs vertisset, lõgè discessi: vnde ad heb. verit. Hier. Quis dabit mihi pẽnas colũbę, vt volam et requiescam, vt procul abeam? Columbæ autem pennas sibi dari optat, quòd auis hæc felle careat & imbellis sit, nec vnguibus ad rapiendum, nec rostro ad laniandum armata, sed facilè prædæ sit reliquis auibus carniuoris. Tacitè autem suam innocentiam & mansuetudinem indicat Christus columbæ similitudine. Per solitudinem autem intelligimus, secessus quos Christus petiuit, locum dans furori hostium suorum, aut orationi vacans: habent enim euãgelia, quòd sæpe abijt in deserta loca, & secessit in montes orationis gratia. ¶ D. Quod hìc vertit præcipita, Aug. legit, submerge Domine: est enim verbũ græcum καταποντίζω, quod propriè est in pontũ, id est, in mare submergere. Imprecatur itaq; Christus iustissimam vindictam & pœnas hostibus suis, vt quemadmodum olim diluuij aquis impij submersi sunt, & postea superbiæ turrim & impietatis ciuitatem ædificantes, confuso vnius linguæ idiomate, & in plurimas linguas diuisæ, ab impio & stulto conatu destiterunt: ita & Iudæi & Gentes aduersus Christum & ecclesiam eius conspirantes in infernum submergãtur, & conatus illorum irriti fiant, & cõsilia dissipentur. ¶ E. Vetuit enim Dominus per Mosen varijs locis vsuram, quę dicta est ab vsu pecunię, quem vendimus recipientes lucrũ pro vsu pecunię vnà cum sorte, id est, principali pecunia quã mutuò dedimus, eadẽ & fœn⁹ dicitur, quasi fœtus, quòd sit velut partus quidam pecunię: in vsura enim pecunia aliã pecuniã parit: vnde

[margin: ἀδολεσχία quid græcè sit]

[margin: Vsura & fœnus vnde dicta sint.]

vnde ob eandem causam & græcè τόκος appellatur, id est, partus siue fœtus pecuniæ: τίκω enim verbum inusitatum, idem est quod pario. Sic Exo. 22. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes eum. Et Deuteron. 23. Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam. Item Leuitici 25. Si attenuatus fuerit frater tuus, & vixerit tecum, ne accipias vsuras ab eo, nec ampliùs quàm dedisti. ¶ F. Diuus Hieron. ad hebr. veritatem clariùs vertit hunc locum, hoc modo: Non enim inimicus exprobrauit mihi vt sustineam, neque is qui oderat super me, magnificatus est vt abscondar ab eo: sed tu homo vnanimis meus etc. Quod autem interpres vertit præcedente versu, vtique, vertit in sequenti versu, forsitan: est autem eadem particula græca ἄν, quæ nec vtiq; nec forsan significat, sed denotat modum potentialem: vnde potẽtialis particula apud græcos appellatur, quod nos per subiunctiuũ verbũ exprimimus, sustinuissem, id est, sustinere potuissem: & abscõdissem, abscõdere potuissem. ¶ G. Iudã proditorẽ suũ quasi digito demonstrat, quem ducem suum vocat, quòd velut præcipuus inter Apostolos à Christo habitus est, cui se suaq; omnia gubernanda commiserat: loculos enim habebat, qui de omnibus ad victum necessarijs Christo & discipulis prospiciebat. Porrò, quod sequenti versu dicitur: Qui simul mecum dulces capiebas cibos: Hebræi interpretes verterunt, qui simul habuimus dulce secretum, id est, cum quo omnia arcana mea & secreta communicaui, quod non abest à conuictu familiari.

Ἄν particula potentialis.

Veniat mors super H illos & descendãt in infernũ viuẽtes. Quoniã nequitiæ in habitaculis eorũ, in medio eorũ. Ego autẽ ad Deum clamaui, & Dominus exaudiuit me. Vespere I & manè & meridie narrabo & annũciabo & exaudiet vocẽ meã. Redimet in pace animã meã ab his q̃ appropinquãt mihi, quoniã inter multos erãt mecũ. Exaudiet Deus et humiliabit illos, q̃ est ante secula. Nõ enim est illis cõmutatio K, & non timuerũt Deũ, extẽdit manuũ suã in retribuẽdo. Cõtaminauerũt testamẽtũ eius, diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit L cor illius. Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationẽ iusto. Tu verò Deus deduces eos in puteũ interitus. Viri sanguinũ M et dolosi nõ dimidiabũt dies, ego autẽ sperabo in te Domine.

¶ H. Quãquã Iudã proditorẽ suũ tãtũmodo notare videatur, q̃a tamẽ hîc subitò mutatur numer⁹, omnes perstringit quotquot ingenio et moribus illi similes sunt. Omnes enim qui aut honorũ aut pecuniç cupiditate illecti, schismata, hçreses et factiosas cõtẽtiones in ecclesia seminãt, seditiosis dogmatibus simplicitatem fidei catholicç subuertentes, & fraudulẽtis insidiosisq; cõsilijs aduersus Christũ aut mysticũ illi⁹ corp⁹, quod est ecclesia, cõspirãtes, Iudç proditori similes sunt, qui simulatis & blãdis verbis, fictaq; morũ innocẽtia pacẽ prç se ferũt, cùm intus nihil nisi dolos meditẽtur, et cçdes et piorũ sanguinem sitiãt, ne quid autoritati vel dignitati vel quæstui eorum decedat: vnde Christus cauẽdũ ab ijs monuit, qui veniũt in vestimẽtis ouiũ, et intrinsecùs sunt lupi rapaces: his imprecatur Christus mortẽ perpetuã, & vt cum Dathã & Abiron autoribus schismatis et seditionis viui ad inferos descẽdãt: illi enim viui absorpti sunt hiatu terrç vt habemus Nu. 16. ¶ I. Hebræis à vespera diem auspicari moris est: vnde Gen. 1. factũ est vespere & manè dies vnus: omnis itaq; dies tribus his partibus cõstat, vespera, manè, et meridie, est itaq; sensus: Tota die narrabo mirabilia tua, et annũciabo misericordiã et veritatẽ tuã, & laudẽ tuã prçdicabo. Mysticè autẽ per vesperã, tẽpus passionis & mortis dominicç intelligere possumus: per mane, tẽp⁹ resurrectionis ei⁹: per meridiẽ, gloriosam eiusdẽ adscẽsionẽ, vt sensus sit, Narrabo quãta fortitudine et cõstãtia in pferẽdis cruciatib⁹ me armaueris passionis tẽpore, quãta potẽtia mortuũ excitaueris, et quãta gloria et honore adscẽdẽtẽ in cçlos coronaueris. Quod autẽ sequitur: Quoniã inter multos erãt mecũ: Hoc sensu dictũ est. Erãt mecũ, supple, simulatè animo insidiãtes, et pacẽ verbis prç se ferentes. Hebraica autẽ veritas interprete Hier. legit: Multi enim fuerunt

Vespera manè & meridies quid mysticè notent.

aduersum me. ¶ K. Clariùs vertit ad heb.verit.Hier.Nō enim mutātur neq; timēt Deum,id est,in vitijs et sceleribus suis pertinaces sunt,et ideò diuisi sunt ab irato Deo, & à consortio electorū reiecti,indigni quorū nomina scribātur in lib.vitę,et recēseātur in scriptura domus Israël,vt Ezechiel inquit:vnde & Iacob patriarcha moriturus cùm benediceret singulis filiorū suorū,vidēs spiritu prophetico nefariū illud cōsiliū scribarū & sacerdotū de opprimēdo euāgelio,& occidēdo Christo:Simeō(inquit)& Leui vasa iniquitatis bellantia.In cōciliū eorū nō veniat anima mea,et in cœtu illorū nō sit gloria mea.Maledictus furor eorum quia pertinax,& indignatio eorū quia dura.Diuidam eos in Iacob,& dispergam eos in Israël. ¶ L. Ad sequētē versiculū istud referēdum est,qui vel ad Iudā proditorē,vel,quod magìs placet,sub illius nomine ad omnes hæreticos referēdus est,vt sensus sit:cor ipsius Iudæ, hoc est, hęreticorū omniū appropinquauit,id est,fraudes & insidiæ quas corde conceperant, postea apertæ & notæ factæ sunt:quę enim propiùs admouētur,clariùs inspicere licet.Quāquā apud 70.græcè pluralis numerus sit hoc modo,& appropiquauerūt corda eorū,& ita præcedentibus optimè cohęret:Bene autē fraudulentos hęreticorū sermones,quibus nihil est blādius & suauius,oleo cōparat quod mollissimū natura & maximè trāquillū est. Sic Prouerb.5. cap.Salomon hæreticorū ecclesiam sub meretricis nomine depingit.Fauus inquit, distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium, & lingua eius acuta quasi gladius biceps. ¶ M. Per virum sanguinum, vel homicidas & sanguinarios accipere possumus:vel hæreticos, qui animarum sanguinem fundunt,non quòd sanguinem animæ habeant,sed metaphora à corporibus sumpta id dicitur, quale est illud Hieremiæ: Et in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum, & innocentum: vel sanguinum, appellantur viri propter grauiss.peccata,quibus se polluūt,impia dogmata in vulgus semināntes: sanguinis enim appellatione peccata significari dictum est psal. 50. Non perueniunt autem ad dimidium dierum suorum, vel quòd breuioris vitæ sunt, vel quòd impij illorum conatus non habent longos successus,postquam imposturæ & fraudes illorum prodūtur: vnde de talibus apostolus ad Timotheū scribens,Quēadmodū Iannes et Mābres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati,homines corrupti,mente reprobi circa fidem,sed vltrà non proficient.Insipientia enim eorum manifesta erit,sicut & illorum fuit.

Hęreticorum sermones oleo comparantur.

Sāguis quid in scriptura sit.

In A finē, pro populo qui à sanctis longè factus est ipsi David in tituli inscriptione,cùm tenerent eum Allophyli in Geth. Psalmus LV.

MIserere mei Deus quoniā conculcauit me homo, tota die impugnās tribulauit me. Cōculcauerūt me inimici mei tota die, quoniā multi bellantes aduersum me B. Ab altitudine diei timebo,ego verò in te sperabo. In Deo laudabo sermones meos,in Deo speraui, non timebo quid faciat mihi caro. Tota die verba mea execrabātur aduersum me oēs cogitationes eorū in malū.Inhabitabūt C & abscōdēt,ipsi calcaneum meum obseruabunt.Sicut sustinuerunt animā meā,pro nihilo D saluos facies illos,in ira populos confringes.Deus vitā meam annunciaui tibi,posuisti lachrymas meas in cōspectu tuo.Sicut & in promissione tua, tunc cōuertētur inimici mei retrorsum. In quacunq; die inuocauero te,ecce cognoui quoniam Deus meus es.In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem,in Deo speraui, nō timebo quid faciat mihi homo. In me E sunt Deus vota tua,quę reddā laudationes tibi.Quoniam eripuisti animam meam de morte, pedes meos à lapsu,vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

¶ A. Quia psalmus hic in titulo habet tituli inscriptionem,vel vt græcè est apud 70.ϛηλογραφίαν,sine dubio ad tēp⁹ passionis & mortis dominicę referēd⁹ est,vt annotauimus in psal. 16. cuius titulus erat hic:Tituli inscriptio siue Stelographia ipsi David,

στήλη enim ſepulchralẽ columnam ſignificat,cui mortuorum nomina & elogia inſcribi ſolent: quare ad inſcriptionem crucis dominicæ ſpectat propheta,cui Pilatus nutu diuino hunc impoſuit titulum hebraicè,græcè, & latinè ſcriptum . Ieſus Nazarenus rex Iudæorum, quo titulo offenſi Iudæi dixerunt : noli ſcribere rex Iudæorum , ſed quia ipſe dixit,rex ſum Iudæorum,negantes Chriſtum regem ſuum eſſe . Hic itaque Iudaicus populus longè à ſanctis factus eſt , quia reiectus eſt propter impietatẽ ſuam ac ſcelera,& excluſus à promiſſionibus quæ Abrahæ & ſanctis patribus factæ ſunt,& ob id Allophyli,id eſt,alienigenæ appellantur:ab his tentus eſt verus Dauid in Ceth , quod interpretatur torcular , vt allegoricè Hieruſalem paſſioni dominicæ deſtinatam intelligamus.Nam Dauid regem peregrinatũ legimus aliquando apud Achis regem Geth, ſed nuſquam ab ijs hoſtiliter retentum. ¶ B. D.Hieron.ad Suniam & Fretellã ſcribens annotat hoc loco negationem omiſſam quæ addenda erat . Sic enim apud 70. græcè legitur: Ab altitudine diei non timebo.Porrò per altitudinem diei,opes,potentiam,& ſeculi dignitates intelligimus,quæ caduca & fluxa ſunt & ea celeritate pretereuntia,qua dies è manè in noctem per momenta breuiſſima vergit : vnde apud Hieremiam cap.17.Tu es laus mea Deus,diem hominis non deſideraui,tu ſcis:& apoſtolus Paulus cap. 4. 1. ad Corinth . Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer aut ab humano die. ¶ C. Non eſt ſimpliciter inhabitabunt , ſed tanquam peregrini aut inquilini habitabunt, id eſt , in terris verſabuntur , & paulò pòſt ad perpetua rapientur ſupplicia: eſt enim hoc loco verbum græcum παροικῶ, de quo dictum eſt pſal . 14. in illũ verſiculum,Domine quis habitabit in tabernaculo tuo . Hebraica autẽ veritas interprete Hieron.legit , non inhabitabunt, ſed congregabuntur , quod ad conſpirationem & concilia Iudęorum refertur. ¶ D. Interpres videtur legiſſe , σώσεις, id eſt, ſaluos facies,cùm græca exemplaria emẽdatiora legãt ὤσεις,id eſt,expelles eos tanquã rem nihili : vnde ſuprà imprecatus eſt, expelle eos quoniam irritauerunt te Domine. Hebæi tamen non expellendi , ſed ſaluandi verbum habent : verùm contrario ſenſu atque latina exemplaria, videlicet hoc modo:Nullus eſt ſaluus in ijs : cum ſenſu concordat cum eo quod eſt , expelles eos:pro nihilo , hoc eſt , velut rem nihili,vt puluis aut paleæ vento expelli ſolent : vnde pſalmo primo , Non ſic impij non ſic , ſed tãquam puluis,quẽ proijcit ventus à facie terræ. ¶ E. In ſe eſſe dicit vota quæ Deo perſoluat : omnia enim hæc quibus Deus placatur,non aliunde, id eſt, à rebus externis, ſed à nobis ipſis petenda ſunt:hoſtiam enim pecudum,& hircorum , & taurorum ſanguinem iam olim reiecit Deus cum reliquis vmbris legalibus : vnde Auguſt. Nihil inquit tale offeras , in te eſt quod voueas & reddas de cordis arca , profer laudis incenſum,de cellario bonæ conſcientiæ profer ſacrificium fidei : quicquid profers, accẽde charitate:In te ſunt vota quæ reddes,laudes Deo. ¶ F. Hæc à Chriſto quidem , ſed ex membrorum perſona dicta ſunt : anima enim noſtra per Chriſti ſanguinem erepta eſt à morte perpetua & à peccatorum lapſu,ne vltrà lachrymis crucientur oculi,vt iam emundati placeamus Deo in perpetuum in terra et in lumine viuentium: nam hic vmbræ mortis eſt regio.

Stelographia, id eſt tituli inſcriptio.

Geth,ſonat torcular.

Dies quid.

Ex nobiſipſis petenda ſacrificia.

A *In finẽ ne diſperdas, Dauid in tituli inſcriptione cùm fugeret à facie Saul in ſpeluncam. Pſalmus LVI.*

MIſerere mei Deus miſerere mei , quoniam in te confidit animã mea. Et in vmbra alarum B tuarum ſperabo , donec tranſeat iniquitas.Clamabo ad Deum altiſſimũ,Deũ qui benefecit mihi. Miſit de cælo & liberauit me,dedit in opprobrium conculcantes me. Miſit Deus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam,& eripuit animã meam de medio catulorum leonum,dormiui C conturbatus.Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus . Exaltare D ſuper cælos Deus, & ſuper omnẽ terram gloria tua.Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam . Foderunt ante faciem meam foueam,& inciderunt in eam. Paratum cor

meū Deus, paratū cor meū, cātabo & psalmū dicā [E] Domino. Exurge gloria mea, exurge psalteriū & cithara, exurgā diluculo. Confitebor tibi in populis Domine, psalmū dicā tibi in gētibus. Quoniā [F] magnificata est vsq; ad cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua. Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.

¶ A. Tractat psalmus hîc mysterium passionis & resurrectionis dominicæ, & adscensionis eiusdem in cælos. Titulus autē huius psalmi historiā quoq; respicit quę scribitur 1. Regum 22. Dauid fugisse cùm persequeretur illum Saul in speluncam Odollam, quò cōuenerunt ad illū omnes qui erāt in angustia cōstituti, & oppressi ęre alieno & amaro animo, & factus est eorū princeps, quæ sine dubio allegoricè de Christo accipienda sunt, qui persequentibus Iudæis & principe huius mundi diabolo, mortuus in cruce ad triduum latuit in sepulchrali spelunca: Ad quem fide confluxerunt gentes, quæ ob grauissima peccata quibus obnoxiæ erant, in magna angustia & animi amaritudine erant, & apud Deū maximi debitores, & horū princeps reiectis perfidis Iudæis factus est noster Dauid: vnde de his dixit psal. 17. Popul' quē nō cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Sciendum autem in titulo, vocem Dauid non esse accusatiui casus, sed datiui, quod ex articulo græco τῷ liquet, quare hoc sensu accipiēdus est. In finem ipsi Dauid ne disperdas siue corrumpas, id est, me sanctum tuum ne sinas videre corruptionem, quanquam vitam morte commutauero ad triduū. Hebręi autem secùs legunt hoc modo. Victori vt non disperdas Dauid humilē & simplicem, quando fugit à facie Saul etc. nam quod 70. græcè vertunt εἰς στηλογραφίαν, hebræi interpretes reddunt, humilem et simplicem: est enim hebraica vox Michtam ambiguè significationis. ¶ B. Metaphora sumpta est ab auibus & maximè à gallinis, quæ sub alas protegunt pullos à violentia accipitrum aut miluiorum cęterarūq; rapaciū auiū. Sic suprà. Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt. Sperare itaq; in vmbra alarum est spē collocare in diuina protectione. ¶ C. In passione sua, vt verus homo, terrore hostium & metu suppliciorū & Iudaici populi perfidia & obstinata malitia conturbatus est, & sic tandem consummatis omnibus somnū triduanæ mortis dormiuit. Hier. autem ad hebr. veritatem hoc modo vertit locū hunc, Anima mea in medio leonū dormiuit ferociētiū: Sed sensus eòdē redit. ¶ D. Hęc ex persona Dei patris vel ipsius prophetæ dicūtur inuitantis Christum, vt finita morte corporis et abolita crucis ignominia adscēdat cælos, & per omnē terrā gloria nominis eius celebretur. ¶ E. Apud 70. gręcè est cātabo in gloria mea: porrò gloriam suam apellat, carnem glorificatam, & immortale illud corpus quòd è sepulchro excitauit gloria & honore coronatum: sic versu mox insequēti, Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara. Vbi eandem suam carnem et corpus, psalterij et citharę appellatione notat: non quòd caro alterius generis resurrexerit quā erat illa quæ sepulchro condita erat, sed quòd vna fuit eademq; caro, & quasi duo organa resurrexerint, vt Aug. inquit, vt per psalterium quod chordas supinas habet, & sonum reddit aëre sursum influente, accipiamus carnem Christi miracula diuinitus patrantem. Per citharam quæ chordas habet propendentes deorsum, & inferiùs aërem haurit, eandem carnem intelligamus humana incommoda perferentem, colaphis, sputis, flagellis & cruci obnoxiam. ¶ F. Hæc simpliciter accipi possunt, vt nihil velit dicere, nisi misericordiam & veritatem Dei, id est, fidem in præstandis promissis esse maximam: quæ enim eximia & omnibus modis maxima sunt, cælo & nubibus æquamus: vnde Horatianum illud: Quod si me lyricis vatibus inseras, sublimi feriam sydera vertice: tale est & illud psal. 35. Iustitia tua sicut montes Dei. Quòd si quis allegoriam in his verbis quęrat, dictum est id à nobis eodem psal. in illum versum: Domine in cælo misericordia tua.

Vide titulum psalmi 15.

[A] *In finem ne disperdas Dauid in tituli inscriptione. Psalmus LVII.*

SI verè [B] vtique iustitiam loquimini, rectè iudicate filii hominum. Etenim in corde iniquitates operamini in terra, iniustitias manus vestræ

vestræ [C] cōcinnant. Alienati sunt peccatores [D] à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Furor illis secundū similitudinē serpētis sicut aspidis [E] surdè & obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocē incantantiū, & venefici [F] incantantis sapienter. Deus conteret dētes eorū in ore ipsorū, molas leonū confringet Dominus. Ad [G] nihilū deuenient tanquam aqua decurrēs, intēdit arcū suū donec infirmentur. Sicut cæra quę fluit auferētur, [H] supercecidit ignis & nō viderunt solē Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum [I], sicut viuētes sic in ira absorbet eos. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit [K] in sanguine peccatoris. Et dicet homo si vtique est fructus iusto, vtiq; est Deus iudicans eos in terra.

¶ A. Titulus hui' psalmi, quia ferè idē est cū titulo psalmi pręcedētis, nihil hîc de illo dicendū est aliud, quàm quod annotauimus in psalmū præcedēté & in psalmum decimū quintū. Loquitur autē psalmus hic de inueterata malitia, pręcipuè Iudęorum, qui toties admoniti oraculis prophetarū missorū ad se, & tādē ab vnico Dei filio eruditi, noluerūt resipiscere: vnde addit pœnas quas daturi sunt, nō modò Iudæi, sed omnes qui agnitā veritatē amplecti noluerūt, de quibus & Iob propheta loquitur cap. 21. Dixerūt Deo, recede à nobis, sciētiā viarū tuarū nolumus: quis est omnipotens vt seruiamus ei? & quid nobis prodest si orauerimus illū? Sed idē non tacuit repētinā eorum perditionem. Ducunt inquit in bono dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

¶ B. Quod interpres latinus vertit hoc loco: vtiq; græcè est ἄρα, quæ aliquando cōiūctio est expletiua vt apud nos quidē. Aliquando idē est quod ergo, & seruit dialecticis in argumētorū collectionibus. Aliquādo multum habet venustatis & efficacię in principijs sentētiarū, vt apud nos itaq; siue igitur. Quare clariùs reddidisset interpres: Si verè quidē iustitiā loquimini: vel sic, Si verè itaq; vel si verè igitur iustitiā loquimini, rectè iudicate, vel vt græcè est, rectitudines siue ęquitates iudicate filij hominum: vnde Augustinus legit, Recta iudicate filij hominum. Perstringit autē primo hoc versu Dauid illos, qui de virtute & iustitia plurimum loquuntur & multa disserunt, cùm eandem minimè exerceant, sed animo semper scelera pertractant, vt ea data opportunitate patrent: vnde constat illos falsò loqui iustitiam, quam animo non retinent. Interrogati enim & consulti de vitijs & virtutibus, sine cunctatione damnant stupra, adulteria, rapinas, periuria, quibus tamen vitijs ipsi sese contaminant, de quibus & in euangelio Dominus dicunt inquit & non faciūt. ¶ C. Augustinus in suis commentarijs legit, Iniquitates manus vestræ connectunt, quod melius est quàm cōcinnāt. Est enim græcū verbum apud 70. συμπλέκει, quod est simul necto. Ea enim est peccatorū natura, vt vnū peccatū (nisi statim pœnitētia ducti resiliamus) aliud peccatum secū trahat, & illud deinde aliud: sic ex ebrietate prolabimur in scortationē, ex scortatione in stupra virginum, ex stupris in adulteria, ex adulterijs in homicidia, ex rapinis in latrocinia: vnde Dominus apud Esaiam cap. 5. comminatur ijs, qui hoc modo peccatum nectunt, peccato nullum peccandi finem facientes, sed vana & falsa spe impunitatis sese lactantes: væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. ¶ D. Peccatores dicuntur errasse ab vtero, non quòd peccare potuerint ante rationis vsum, sed habuit olim synagoga vuluam & vterum, quibus Deo gignebat & alebat paruulos, sicut & hodie ecclesia mater nostra habet vuluā & vterum: habet & gremium quo concipit, alit, & fouet eos quos genuit Christo: vnde Apostolus, Filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis: & iterum per euangelium inquit, Ego vos genui. De hoc vtero & vulua Dominus Esaiæ 46. Audite inquit me domus Iacob, & omne residuum domus Israël, qui portamini à meo vtero, & gestamini à mea vulua. Illi itaque errant ab vtero, & abalienantur à Deo & ipsa veritate: iam ab ipsa vulua, id est, statim vt Christo geniti sunt, qui in ipsis incunabilis & rudimentis fidei peccare incipiunt, & à Deo se alienos reddunt. ¶ E. Aspis, serpentis genus est pestilentissimi, cuius ictus insanabilis est, vt autor est Aristoteles libro octauo historiæ animalium.

Incantationibus autem serpentes è suis cauernis extrahuntur, & vi magicorum carminum rumpuntur: vnde Virgilianum illud, Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis:cantando,id est,dum incantatur. Quod vbi intellexerunt (habent enim in eiusmodi acerrimum sensum) se contrahunt:& vt August.inquit,alteram aurium terrę applicant,alteram cauda inserta obturant.Porrò in Italia Marsi & Psilli populi fuère, qui plurimū valuerunt tollendis serpentibus, adeò vt & venena ex aliorum corporibus exsugerent sine omni noxa:vnde Plinius lib.28. naturalis historiæ:Non pauci inquit credunt etiam serpentes ipsos excantari, & hūc vnum ipsis esse intellectum,contrahique Marsorum cantu etiam in nocturna quiete. ¶ F. Græcè apud 70. paulò aliter legitur, nimirū hoc modo: à venefico siue incantatore sapiente incantata, sensus tamen eòdem redit: veneficum aut incantatorem sapientem vocat eum, qui vi diuinorum verborum antiquum serpentem, id est, diabolum ex animis humanis eijcit. Peccatores autē ad eiusmodi salutares exhortationes obturant aures, vt legimus de Iudæis actuum 7. quòd ad verba Stephani continuerunt & obturarunt aures suas,& vnanimiter in eum impetu facto,eiectum de synagoga lapidarunt. ¶ G. August. legit hunc versiculum hoc modo:Spernentur tanquam aqua decurrens:verbum enim græcum ἐξουδενωθήσονται,significat spernere, nihili pendere, ad nihil redigere: nec est græcè decurrēs,sed pertrāsiēs.Est enim elegās similitudo à torrētibus sumpta,qui aucti hybernis imbribus, miris modis intumescunt,& cum maximo strepitu vehementissimoq; impetu inter scopulos & saxa decurrunt, segetes, arbores, & obuia quæque secum rapientes,vt & visu & auditu horrorem incutiāt:sed cessantibus pluuijs,vbi redierit æstas,pertransiit omnis illa aquarum violentia,vt iam ab omnibus cōtemnatur riuus qui pedibus peruius fit,& paulò pòst exsiccandus,quod benè explicat Aug.Non vos terreant inquit torrentes,hyemalibus aquis implentur, post paulum transit aqua & decurrit:ad tempus perstrepit,mox cessabit,diu stare non potest. Totum hoc seculum ad tempus perstrepit,& quærit quem trahat. Omnes impij sonantes ad saxa superbiæ suæ nō vos terreant,hyemales aquæ sunt, semper manare non possunt:necesse est vt decurrant,necesse est vt defluant in locum suum. ¶ H. Ignem malarū concupiscentiarum vel iracūdiæ intelligit August.Hęc autem excęcant oculos mentis,ne videant solem iustitiæ.Alij ad ignem Gehennæ aut diuinæ vltionis referunt:tūc enim in ignem & tenebras mittentur impij. ¶ I. Rhamnus,spinea arbor est, quæ sentes habet asperrimas. Rhamnorum autē duo genera ponit Theophrastus lib.3. de plātis. Aliud enim nigrum,aliud candidum est.Clariùs autem hunc versum reddidit D. Hieronymus ad hebraicam veritatem, hoc modo: Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum.Sic & Arnobius legit in suis commentarijs, Priusquam inquit producant spinæ vestræ rhamnum:quod idem sic enarrat, Priusquam spinæ vestrę in arborū duritiam, radicitus fundatę permaneāt.Quod Hier.clariùs enarrat,hoc est,inquit, Anteq̄ peccata vestra ad finem vsquè perueniant,& cogitationum spinę in arborem ebulliant peccatorum,Deus vos absorbebit (Est enim gręcè futuri tēporis) id est, corripiet quasi iratus.Non est enim ira Dei,sed emendatio: & corripiet non vt viuos (nam per peccatum mortui habentur apud Deum) sed quasi viuos. Est enim vtrobiq; ὡσεὶ,id est, quasi,similiter in hebræo. ¶ K. Per manus in sacris literis,opera siue actiones intelliguntur:sanguinis autem appellatione aliquando pœna aut vindicta intelligitur,vt hoc loco:Quoties igitur iustus videt peccatores iustas dare pœnas scelerum suorū,gratulatur sibi: & aliorum pœnis eruditur, vt à peccatis sibi caueat: & reliqui videntes, iustos hîc inter aduersa etiam centuplum fructum pietatis recipere, intelligunt Deum esse qui mundum gubernet,& æquissimè singula moderetur.

A *In finem ne disperdas, Dauid in tituli inscriptione. Quando misit Saul, & custodiuit domum eius. Psalmus LVIII.*

ERipe me de inimicis meis Deus meus,& ab insurgētibus in me libera me.Eripe me de operātibus iniquitatē, & de viris sanguinum salua me.Quia ecce B cæperūt animam meam,irruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea neque peccatum meum Domine, sine iniquitate cucurri & direxi.Exurge in occursum C meum, & vide:& tu Domine

mine Deus virtutũ Deus Iſraël. Intende ad viſitandas omnes gentes, non miſerearis [D] omnibus qui operãtur iniquitatem. Cõuertentur ad veſperam & famem patientur vt canes, [E] & circuibũt ciuitatem. Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labiis eorum, quoniã quis audiuit? Et tu Domine deridebis eos, ad nihilũ deduces omnes gẽtes. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus, miſericordia eius præueniet me.

Diuiſio.

¶ A. Pſalmus hic quemadmodum tres præcedentes, & is qui hunc proximè inſequitur, ſacramentum dominicæ paſsionis continet, quod ex titulo ſatis conſtat: omnes enim habent tituli inſcriptionem, ſiue vt græcè eſt, Stelographiam: legimus autem cap. 19. primi libri Regum, Saulem ſatellites miſiſſe vt obſiderent domum Dauid, ne vſpiam elabi poſſet, & eum occiderent. Sic & principes ſacerdotum & primores populi Iudaici adierunt Pilatum, vt iuberet cuſtodiri ſepulchrum in quo triduo habitauit Chriſtus, vt nomen Chriſti, ſublata omni ſpe reſurgendi, prorſus abolerent: hoc eſt enim Chriſtum myſticè occidere, nomen eius extinguere. In principio autem pſalmi, ſæuitiam hoſtium ſuorum, quos modò gentes, modò canes appellat, declarat, quorum crudelitas gradibus quibuſdam ad effuſionem vſque ſanguinis adſcendit. Inimici enim fuerunt occultè inuidentes illi malumque optantes. Inſurrexerunt in illum palàm, illi contradicentes, & inſidias illi ſtruentes: operati ſunt iniquitatem, manus illi inijciẽtes. Sanguinũ viri ſiue ſanguinarij facti ſunt occidentes Chriſtum. ¶ B. Aug. rectiùs legit hoc loco: Quia ecce venati ſunt animam meam: nam græcè eſt ἐθήρευσαν. Venamur autem plurima quæ non capimus: vnde alibi gratulatur: Anima noſtra ſicut paſſer etc. de laqueo venantium: vnde Aug. Illi quidẽ venati ſunt, ſed in manibus venantiũ non dimittit qui cuſtodit Iſraël: hebr. veritas, Quia ecce inſidiati ſunt animę meæ. ¶ C. Nõ eſt græcè, in occurſum meũ, ſed in occurſum mihi, quomodo Aug. legit, hoc eſt, exſurge & reſiſtẽdo occurre aduerſum hoſtes mihi, id eſt, pro me: vnde ad hebr. verit. reddidit Hier. Surge ex aduerſo pro me. ¶ D. Nõ miſerearis, id eſt, peccata illorũ nõ ſinas inulta: id enim æquitas diuina poſtulat, vt voluntaria caſtigatione expiemus peccata cõmiſſa: vel pœnas demus, aut temporarias, aut æternas. Poteſt & hic ſenſus eſſe interprete Aug. vt non quamlibet iniquitatem hîc intelligamus, ſed eam quæ nec hîc veniam, nec in futuro meretur, quale eſt impugnare agnitam veritatem, & ſuum peccatum defendere: quæ peccata in Spiritum ſanctum appellantur, quę nec in hoc ſeculo, nec in futuro remittenda eſſe dicit Chriſtus. Qui enim Spiritum ſanctum impugnat, & illi reſiſtit per quem fit remiſsio peccatorum, de illius ſalute deſperandum eſt: vnde & Iohannes in prima ſua epiſtola, hoc peccatum vocat peccatum ad mortem, pro qua non vult orari, quòd fruſtra oremus pro eo qui deploratæ maliciæ eſt. Huic autem maliciæ obnoxij fuerunt Iudæi, dicentes Chriſtum in Beelſebub eijcere dæmonia: vnde gentes vocat illos propter incircunciſa eorum corda. Sic enim per Hieremiam Dominus: Omnes gentes prẹputium habent, & omnis Domus Iſraël incircuncisi corde ſunt.

¶ E. Canes vocat Iudæos propter maledicentiam & obtrectandi ſtudium: perpetuò enim obtrectabant Chriſto, & oblatrabant fidei euangelicæ: vnde ad hebraicam veritatem vertit Hieronymus, vt canes latrabunt: vnde Paulus ſcribens Philipp. Iudæos notat contradicentes euangelio, canes illos appellans, & conciſionem non circunciſionem, quòd pelliculam habeant conciſam & reſectam, ſed cor incircunciſum. Videte inquit canes, videte malos operarios, videte conciſionem: nos enim ſumus vera circunciſio. Iudæi itaque velut canes fame verbi Dei & diuinorum ſacramentorum ſtimulati, tandem ad veſperam mundi conuertentur ad Chriſti fidem, priùs tamen euomentes blaſphemias ſuas in Chriſtum, & virus infidelitatis ſuæ, quo multorum necabunt animas.

Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, nequando

obliuiſcantur[F] populi mei. Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine. Delictum oris eorum, ſermonem [G] labiorum ipſorum, &comprehendantur in ſuperbia ſua. Et de execratione & mendacio annunciabuntur in conſummatione, in ira conſummationis & non erunt. Et ſcient quia Deus dominabitur Iacob & finium terræ. Conuertentur ad veſperam & famem patientur vt canes,& circuibunt ciuitatem. Ipſi diſpergentur ad manducandum,ſi verò non fuerint ſaturati[H] & murmurabunt. Ego autem cantabo fortitudinem tuam: & exaltabo manè miſericordiā tuā.Quia factus es ſuſceptor meus,& refugium meum in die tribulationis meæ. Adiutor meus tibi pſallā,quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus[I] miſericordia mea.

¶ F. Omnia exemplaria græca hoc loco habent,non populi mei, ſed legis tuæ, vt ad Suniam & Fretellam ſcribit quoq; Hier .Eodē modo legit Auguſt. Optat ergo Chriſtus & patrem precatur ne perdat Iudæos, ſed caſtigati viuant & memores ſint perpetuò legis diuinæ,vt eam ſeruent.Illud autem quod præcedit,Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, hebraica veritas clariùs legit hoc modo: Deus oſtendit mihi inſidiatores meos. ¶ G. Nō eſt apud 70.interpretes græcè accuſatiuus ſermonem, ſed λόγος,id eſt, ſermo nominatiui caſus,ſicut & delictum,pro quo græcè eſt ἁμαρτία. Vult enim dicere præcipuum peccatum eorum fuiſſe,quòd balphemarunt filium Dei, & contradixerunt veritati,negantes Chriſtum,& linguis ſuis eum crucifigentes.Porrò D.Hier.ad heb.veritatem clariùs multò hunc verſiculum & ſequentem reddidit hoc modo:In peccato oris ſui, & in ſermone labiorum ſuorum, & capiantur in ſuperbia ſua. Maledictionē & mendaciū narrantes, conſume in furore,conſume vt nō ſubſiſtāt. Nam & Auguſt.in ſuis commentarijs fatetur difficile intellectu eſſe, quomodo verba hæc intelligātur,quem torquet incommoda verſio latina, quanquam is non legat annunciabuntur in conſummatione vt græcè eſt, ſed annunciabuntur conſummationes. Hunc itaq; ſenſum innuunt 70:Iudæorum perfidia vbiq; gentium narrabitur ob blaſphemias in Chriſtum dictas & mendacia,idque vbi Deus conſummauerit omnia quæ his comminatus eſt per Moſen Deutero.32.& hac ira conſummationis, id eſt,vindicta qua oīa perficiet quæ cōminatus eſt Dominus,adeò affligētur,vt nō ampliùs ſubſiſtāt, id eſt,fixas ſedes habeāt:ſed de vrbe in vrbem,& è regno in regnū exules ſemper pellantur. ¶ H. Diſperſi ſunt Iudæi in omnes regiones quærentes non tam cibum corporis quàm animæ,carentes ſuauiſsimo pabulo mentis, hoc eſt,myſterijs ſacrarum literarum, ſectantes literam legis cum circunciſione carnali, & ſacrificia ſanguine & carnibus pecudum conſtantia, quibus nullo modo animus paſcitur & reficitur: vnde hac fame ſtimulati murmurauerunt aduerſus Chriſtum quòd ſabbatum violaret,quòd cum peccatoribus manducaret: murmurauerunt aduerſus apoſtolos, videntes gentes admitti in conſortium gratiæ euangelicæ. ¶ I. Multò vehementius eſt Deū appellare miſericordiam,quàm miſericordem:vnde Aug. ſcribens in hunc locum, Non inuenit inquit impletus bonis Dei,quid appellaret Deū ſuum, niſi miſericordiā ſuam. O nomen ſub quo nemini deſperandum eſt. Quid eſt miſericordia mea?totum quicquid ſum,de miſericordia tua eſt,nec quiſquā te largior in miſericordia. Sic alibi Deū alloquitur:Salus mea,refugium meum, fortitudo mea, hoc eſt, qui das ſalutem mihi, ad quem refugio,& fortitudinem mihi largiris.

In [A] finem pro his qui cōmutabuntur in tituli inſcriptione ipſi Dauid in doctrinam,cùm ſuccendit Meſopotamiam Syriæ et Syriam Sobal, et conuertit Ioab,et percuſsit Edō in valle Salinarū duodecim milia.

PSALMVS LIX.

DEus repuliſti nos[B] & deſtruxiſti nos,iratus es et miſert⁹ es nobis. Com-

mouisti terram & conturbasti eam, sana contritiones eius quia commota est. Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino cōpūctionis C, Dedisti metuētib⁹ te significationē, vt fugiāt à facie arcus D. Vt liberētur dilecti tui, saluum fac dextera tua & exaudi me. Deus locutus est in sancto suo, lætabor et partibor Sichimā, E et conuallē tabernaculorum metibor. Me⁹ est Galaad F, et me⁹ est Manasses, et Ephraim fortitudo capitis mei. Iuda Rex meus, Moab G olla spei meæ. In H Idumęā extēdam calceamentū meū, mihi alienigenæ subditi sunt. Quis deducet me in ciuitatē I munitam? aut quis deducet me vsq; in Idumęā? Nōne tu Deus qui repulisti nos, & nō egredieris Deus in virtutibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

¶ A. Psalmus hic victoriā verbi Dei continet, quomodo videlicet Christus verus Dauid subiecit omnes gētes & subiugauit legi euāgelicæ, succendēs eas igne diuini sui amoris, de quo apud euangelistā inquit: Ignē veni mittere in terrā, & quid volo nisi vt ardeat? Quoniā igitur de conuersione gentiū tractat, quas sub nominibus Syriæ, Mesopotamiæ & Idumææ, Moab, & Palestinę denotat, benè habet titulus, pro his qui commutabūtur, vel heb. pro lilijs de quo dictū est psal. 44. De hac autē victoria Dauid scribitur 2. Reg. 8. cap. & Paralyp. 1. cap. 18. Porrò Syria, regio est maioris Asiæ latissima, quæ & Assyria appellatur: vnde in titulo duplicis Syriæ meminit. Alia est enim in qua est Mesopotamia regio sic appellata, quòd sit inter duos amnes Euphratē & Tigrin sita: vnde & latinè Medānis dicitur, quòd media sit duorum amnium. Altera est, in qua est Sobal siue Soba, vrbs regia, non longè à Libano monte Cœlesyria dicta, contermina Pheniciæ. Edom autem dictus est Esau, à quo Idumæa nominata est, pars quoque Syriæ qua Palestinam contingit. Idumæos itaq; per Edom hoc loco intelligimus. Salinæ autem dicuntur loca, in quibus sal conficitur: propriè tamen ea loca, quibus excipitur spuma maris, & salsedo omnis relinquitur, & in vsum coquendi salis reseruatur. Pli. lib. 31. Fit inquit sal vulgaris plurimusque in salinis effuso mari, non sine riguis dulcis aquę, sed imbre maximè iuuāte. ¶ B. Deus nō repellit nos, sed cùm ad tēpus auxiliū & gratiā subtrahit, videtur repellere. Quia nō repellit Dominus plebem suā (inquit Dauid alibi): Et Apostolus. Nō repulit inquit Dominus populū suum. Destruit autem nos, cùm in nobis veterem hominem abolet, & nouum condit, vt destruatur corpus peccati (vt Paulus inquit): vnde de hac destructione vitiorum, & hominis veteris abolitione, ad Hieremiam dictum est. Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes & super regna, vt euellas & destruas & disperdes & dissipes, & ædifices & plantes. Hoc itaq; modo Dominus irascitur vitijs nostris, & simul miseretur: cōmouet corda quæ nihil nisi terrenū sapiebāt, & cōturbat ea salutari metu, propter conscientiā scelerū suorū, & hoc modo commota & contrita per pœnitētiā superioris vitæ idē sanat ea, infundēdo illis vnctionē Spiritus S. ¶ C. Cōpūctionis vinū appellat, vim illū diuinorū oraculorū & sermonū, quæ ignē vitiorum & flāmas malarū cupiditatū restringuit, & refrigerat: & acrimonia sua, quicquid putre & vitiosum est, cohibet, ne latiùs serpat. Sūt enim ex vino ad grauissimos morbos pręsentissima remedia, quæ Plinius latè persequitur libro 23. cap. 1. naturalis historiæ: vnde & euangelica parabola habet, saucio illi qui in latrones incidit, vinum infusum & oleum. ¶ D. Appellatione arcus, diuinam vindictam significat, quæ lenta quidem est, sed tarditatem supplicij grauitate compensat. Arcu enim priùs minamur, hoc est, collimamus ea quæ ferire nitimur antequam mittamus sagittam: ita & Deus verbis propheticis & euangelicis comminatur nobis ad meliorē vitam nos traducere cupiens: cùm autē incorrigibiles videt, tandem percutit: vnde suprà psalmo 7. dixit: Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum, & suis dedit salutare signum viuificæ crucis, quod frontibus nostris in baptismo imprimitur, cuius beneficio liberamur ab æternis supplicijs & à ventura ira. ¶ E. Sichema siue Sicema, vt græca orthographia habet, vrbs est, quæ alijs nominibus Salem

& Sichem appellata est à Sichen rege eiusdem vrbis, quæ postea Neapolis dicta est, vt author est Hieron. in locis hebraicis. Iuxta hanc vrbem, Iacob habitauit reuersus de Mesopotamia, quam vrbem depopulati sunt filij Iacob occisis omnibus habitatoribus vrbis, propter Dinam sororem violatam, vt habet Genesis cap. 34. Porrò, vallem tabernaculorum vocat, locum quem Iacob quoque habitauit fixis in eo tabernaculis: vnde hebraicè Sochot, id est, tabernacula appellauit, vt scribitur Genes. 33.

¶ F. Galaad mons est in tribu Manasse: vnde appellatione montis Galaad sæpe significatur tribus Manasse, & quicquid ad hanc tribum pertinet. Sic Ozeæ 6. Galaad ciuitas operantium mendacium, supplantata sanguine: porrò per Galaad, Manasse, & Ephraim, nouellum populum christianum ex gentibus colligendum intelligit, quem propter inuictum robur animi, & fidei constantiam quæ in martyribus maximè eluxerũt, fortitudinem capitis sui, id est, Christi, qui caput est suæ ecclesiæ, appellat. Sic alibi Dauid optans Christum aduenire, qui nouum populum sibi ex gentibus colligeret, inquit: Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamim, & Manasse, excita potentiam tuam vt saluos facias nos. ¶ G. Moab, filius fuit ipsius Loth, natus ex incesto concubitu filiæ, à quo geniti sunt Moabitæ populi, vt docet liber Genes. Moab itaq; pro Moabitis hoc loco positum est, per quos peccatores notantur nati ex mala concupiscentia, quæ lege diuina non legitimè vtitur. Lex enim ipsi mẽti pro marito est: vnde Apostolus scribens Rom. cap. 7. Lex inquit dominatur in homine quanto tempore viuit. Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi. Hos autem bene ollæ comparat quæ subiecto igni perpetuò æstuat & feruet aquis bullientibus. Cor enim impij quasi mare feruens inquit Esaias, quod quiescere nõ potest: semper enim agitatur æstuantibus flammis malarum cupiditatum: vnde & Hieremias ollã succensam vidit, & faciem eius ab Aquilone, hæc tamen olla spei diuinæ est: Deus enim per infinitam misericordiam, ex vasis iræ & contumeliæ facit vasa in honorem, & apta ad omne opus bonum, vt inquit Apostolus. ¶ H. Appellatione Idumeæ, totus mundus, aut vniuersa gentium significatur congregatio. In hanc calceamentum suum extendit Christus: vel vt hebraica veritas legit, Super Idumęam incessit calceamento suo cùm euangelica prędicatio in omnes gẽtes per apostolos propagata est & humanitas passióque Christi his annunciata est, quæ per calceamentum allegoricè notantur, quod ex corijs aut pellibus mortuorum animantium fit. Aut per calceamentum, functio apostolica, & euangelistarum officium significatur: vnde Paulus præcipit nos calceatos esse in præparationem euãgelij pacis. ¶ I. Per munitam ciuitatem, intelligit mundum carnali sapiẽtia & philosophia munitum, quibus obsistebat diuinæ sapientiæ & euãgelicæ simplicitati, & sese extollebat aduersus scientiam Dei, stultitiam æstimans prædicationem euangelicam, & fidem in Deum crucifixum: verùm hanc munitissimam ciuitatem destruxit vnicus Dei filius, non humanis, sed diuinis armis, de quibus Apostolus cap. 10. posterioris epistolę ad Corinthios. Nam arma inquit militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionũ, consilia destruẽtes, & omnẽ altitudinem extollentem se aduersus sciẽtiam Dei. Quamuis & alio modo dici posset munita ciuitas, ecclesia ex gentibus collecta, vt dictum est à nobis Psal. 30. in illum versum: Benedictus d. q. m. misericordiam s. mihi in ciuitate munita. ¶ K. Quas virtutes hîc vocet, dictum est psalmo 43. in illũ versum: Nunc autem repulisti & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris: Hebr. autem veritatem reddit Hieronymus hoc modo, Et non egredieris Deus in exercitibus nostris.

In finem in hymnis A ipsi Dauid. Psalmus LX.

EXaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ. A finibus B terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meũ, in petra C exaltasti me. Deduxisti me quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula, protegar in velamento alarum tuarum. Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam, dedisti D hæreditatem timentibus nomen tuum. Dies super dies

dies [E] regis adiicies, annos eius vſque in diem generationis & generationis [F]. Permanet in æternum in conſpectu Dei, miſericordiam & veritatem eius quis requiret? Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, vt reddam vota mea de die in diem.

¶ A. Pſalmus hic ex perſona eccleſiæ canitur, & orationem membrorũ Chriſti, hoc eſt, fidelium, qui vnum myſticũ corpus cõficiunt, complectitur cum magna fiducia precantium Deum patrem, & ſimul gratias agentium de maximis beneficiis acceptis per Ieſum Chriſtum. ¶ B. A finibus terræ clamare dicitur eccleſia, quæ vſq; ad fines orbis terræ dilatata eſt, ſic Aug. Non clamat inquit à finibus terræ, niſi hæreditas illa de qua dictum eſt ipſi filio. Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam et poſſeſsionem tuã terminos terræ. Is quoq; à finibus terræ clamat, in quo iam terrena omnia finẽ acceperunt, qui in carne viuens cum apoſtolo non ſecundũ carnẽ militat, & qui ea quæ ſurſum ſunt quærit & ſapit, non quæ ſuper terram, qui verè dicere poteſt, viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. ¶ C. Eccleſia quia fundata eſt ſuper firmam petram, id eſt, Chriſtum (petra enim erat Chriſtus vt habet Paulus) Benè ſe exaltatam dicit ſuper petram, quæ olim immerſa erat cœno vitiorum: vnde ſuprà cecinit pſal. 39. Eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fecis, & ſtatuit ſuper petram pedes meos & direxit greſſus meos. ¶ D. Nõ de terrena aliqua poſſeſsione hęc accipiẽda ſunt, quales hæreditario iure acceperunt olim Iudæi in terra ſibi promiſſa, cùm vnicuique tribui ſorte datæ ſunt vrbes, vici, & agri, vt docet liber Ioſue, ſed de cæleſti hæreditate hæc intelligẽda ſunt, de qua ſupra inquit pſal. 36. Nouit Dominus dies immaculatorũ, & hæreditas eorũ in æternum erit. Et Eſaias cap. 58. Suſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. ¶ E. Non alium regem quàm Chriſtum dicit, de quo pſal. 20. dictum eſt. Domine in virtute tua lætabitur Rex, huius vitæ dies & annos vſque in perpetuũ adijciet Deus. Regnabit enim in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis (vt dixit Gabriel): vnde eodem pſalmo dixit Dauid, Vitam petijt à te & tribuiſti ei, longitudinem dierum in ſeculum & in ſeculũ ſeculi. ¶ F. Futuri temporis verbũ eſt apud 70. græcè διαμενεῖ, permanebit, quomodo & Aug. legit in ſuis commentarijs. Loquitur enim de regno Chriſti nunquam finiendo: vnde & hebraica veritas ſic legit, Sedebit ſemper ante faciẽ Dei. Sedere enim, regiæ poteſtatis eſt, de quo & 88. pſal. Ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli: & paulò infrà, Semẽ eius in ęternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in ęternum.

In finem, pro Idithun [A] Pſalmus Dauid. Pſalmus LXI.

NOnne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meũ. Nam & ipſe Deus meus & ſalutaris meus, ſuſceptor meus non mouebor ampliùs. Quouſq; irruitis [B] in hominẽ, interficitis vniuerſi vos, tanquã parieti inclinato & macerię depulſæ. Veruntamen [C] precium meũ cogitauerũt repellere, cucurri in ſiti: ore ſuo benedicebãt, et corde ſuo maledicebãt. Verũtamẽ Deo ſubiecta eſto anima mea, quoniã ab ipſo patiẽtia mea. Quia ipſe Deus meus & ſalutaris meus, adiutor meus nõ [D] emigrabo. In Deo ſalutare meũ, et gloria mea: Deus auxilii mei & ſpes mea in Deo eſt. Sperate in eo omnis cõgregatio populi, effundite corã illo corda veſtra, quia Deus adiutor noſter in æternũ. Veruntamẽ vani filii hominũ, mẽdaces filii hominũ in ſtateris: vt decipiãt ipſi de vanitate in idipſum. Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: diuitię ſi affluãt, nolite cor apponere. Semel [F] locutus eſt Deus, duo hęc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine

misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.

¶ A. Psalmus hic ex persona hominis pij à propheta canitur, & religiosum & pium affectum animi erga Deũ declarat: quanquam & de humanitate Christi nõ inconuenienter accipi posset. ¶ B. Si ad hominẽ quemlibet iustum, vel ad prophetę personam hæc referas, hic sensus erit. Quousque tandem vos osores omnis virtutis & seculi amatores solicitatis alios ad peccata, & irruitis in hominem qui suapte sponte ob vitiatam naturam, ad lapsum & ad peccata propensus & inclinatus est, non secùs ac paries nutans, & maceria à suo fundamẽto depulsa & ruinam minans? Hęc autem facientes interficitis animas proximorũ. Qui enim voluntatẽ habet occidendi, etiam si non perimat, apud Deum tamen interfector & homicida est. Si verò ad Christum libebit hæc referre, hic erit sensus. O Iudæi qui vitæ meæ insidiamini, & ob id homicidæ estis, quid irruitis & vim mihi infertis tanquam parieti inclinato, aut maceriæ depulsæ? id est, cùm iam ad passionem & mortem me præparem, & me vestræ volũtati submissurus sim, cur tanquam inuitum mori cogitis? ¶ C. August. legit, Honorem meum cogitauerunt repellere: nam græca vox τιμὴ, vtrumque significat & precium & honorem: dicit itaq;, Non satìs fuit hostibus meis vt corpori vel animę mortem inferre studerent, sed vbi id non licuit, conati sunt etiam famam dehonestare, & bonis honorem suum eripere: vel precium, id est, pietatis mercedem auferre.

¶ D. Non emigrabo, id est, postquam semel ab hoc exilio liberatus fuero, Deo auxilium ferente & æternam vitam donante, non ampliùs sedes mutabo. Neq; enim in peregrinatione mea, inquit Aug. manebo. Ab incolatu ergo & exilio migrabo, de domo cælesti non emigrabo. ¶ E. Versiculus hic obscurè trãslatus est à 70. quem clariùs ad hebr. veritatem reddit Hieron. hoc modo. Veruntamen vanitas filij Adam, mendaciũ filij viri in stateris dolosis, fraudulẽter agũt simul: est igitur sensus, Filij hominum siue filij Adam vani sunt & mendaces, imò vanitas ipsa & mendacium, qui sub iustitiæ trutina & æquitatis ponderatione, quam falsò sibi vendicant, atque eloquentiæ vanitate decipiunt innocentes, simul conspirãtes in fraudem bonorum. Porrò Statera græca vox, vel è græco deducta, idem est quod libra siue trutina, quam vocem quidam aspirant in media syllaba. Nam σταθμὸς græcè, libra dicitur latinè: σταθμίζω, libro, pondero: alij per. t. non aspiratum scribunt, idq; rectiùs vt videtur. Est enim statera nominatiuus factus ab accusatiuo græco nominis στατὴρ, sicut cratera à crater. Stater autem non aspiratur, quod inter cætera pondus significat quatuor drachmarum, quod hebræi siclum appellant. ¶ F. Semel hoc loco, non ad numerum referendum est. Non enim semel, sed multifariàm multisq; modis Deus olim locutus est patribus in prophetis, vt habet Apostolus scribens hebræis, sed refertur ad sententiæ firmitatem. Duo autem quę audiuit sunt hęc, & posse Deum omnia, & misericordiam illi peculiarem esse, quę tamen coniuncta sit ęquitati, qua vnicuiq; reddit iuxta opera sua. Semel itaque, ad dictorum constantiam veritatemq; pertinet: duo autem, ad vtrũq; testamentum. Noui enim veterisque testamẽti vnus idemq; est autor. Duorum autem testamentorum hęc summa est, Deum omnipotentem esse, misericordem & iustum.

Psalmus Dauid, [A] *cùm esset in deserto Idumææ. Psalmus LXII.*

DEus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te aĩa mea, quã multipliciter tibi caro [B] mea. In terra deserta & inuia et inaquosa sic in sancto apparui tibi, vt viderẽ virtutẽ tuã et gloriã tuã. Quoniã melior est misericordia tua super vitas, [C] labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas. Sicut adipe [D] & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meũ. Sic memor sui tui super stratũ meũ, ĩ matutinis meditabar in te, quia fuisti adiutor me⁹. Et in velamẽto alarũ tuarũ exultabo, adhęsit aĩa mea post te, me suscepit dextera tua. Ipsi verò inuanũ quæsierunt

runt animã meam, introibũt in inferiora terrę, tradẽtur in manus gladii, partes E vulpiũ erunt. Rex verò lætabitur in Deo, laudabũtur omnes qui iurant F in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

¶ A. Exemplaria omnia latina mendosè legunt titulum huius psalmi. Psalmus Dauid cùm esset in deserto Idumeæ, cùm apud 70. græcè sit, in deserto Iudeæ: eodem modo & heb. veritas legit. De Christo enim qui verus Dauid est, totus psalmus hic intelligitur, tametsi & multa membris Christi, id est, nobis applicari posint. Declarat itaque psalmus hic sitim, id est, ardentissimum desiderium Christi, quo desiderabat salutem perditarum ouium domus Israël, cùm esset in Iudæa quam bene desertum appellat, quòd Iudaicus populus iam propter incredulitatẽ relinquendus esset, & spoliandus lege euangelica quam repudiabant, & orbandus omni gratia spirituali: vnde apud Matthæum Dominus comminatur Iudæis: Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: & Dauid idem videns futurum, spiritu prophetico de eo loquitur, quasi iam factum esset psalmo 106. Posuit inquit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. Hinc in tertio versu præsentis psalmi Iudæam vocat terram desertam, inuiam, & inaquosam, hoc est, sine via mandatorum Dei, & sine aqua diuinæ gratiæ. ¶ B. Carnẽ suam multipliciter sitiuisse dicit ad Deum, hoc est, miris modis desiderasse Deum, propter resurrectionis spem in qua glorificanda erat, & honore coronanda, quia humiliata erat vsq; ad mortem, mortem verò crucis: vnde suprà de hac carne sua dixit Dauid ex persona Christi: Propterea lætatum est cor meũ & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. ¶ C. Multæ sunt vitæ humanæ, hoc est, varia genera & viuẽdi instituta quas homines terreni sibi deligũt. Alius enim negotiationẽ, alius rusticationẽ siue agriculturam, alius militiã, nonnulli ociosam & voluptariã vitam eligunt, sed diuina misericordia veram & ęternam vitam suis largitur, quare Dei misericordia longè melior est omnibus huius vitę actionibus & cõmodis. ¶ D. Adipem & pinguedinẽ vocat, abundantiã diuinorũ charismatũ, quibus mens saginatur & pinguescit, nõ aliter quàm corpus humanũ largioribus epulis, crassius & pinguius redditur: vnde Hiere. 31. de hac pinguedine spirituali: Inebriabo inquit animã sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis meis adimplebitur ait Dominus. Porrò hanc pinguedinem non tam sibi, quàm membris suis, id est, nobis precatur Christus. Ipse enim ab exordio vitæ suæ plenus fuit spiritus gratia, de cuius plenitudine accepimus omnes (vt Iohannes inquit) & in quo habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter dicente Apostolo. Illud autem ita nobis continget, si diuina meditemur: & super stratum, id est, quoties quiescimus & ociamur: & in matutinis, hoc est, in actionibus nostris omnibus ad quas manè excitamur. ¶ E. Iudæi enim gladijs Romanorũ traditi sunt in excidio vrbis Hierosolymæ. Animæ verò perfidorũ diuinę vltioni, hoc est, perpetuæ damnationi traditæ sunt, quam per gladium hoc loco accipimus: vnde in Apocalypsi vidit Iohannes ex ore Dei procedere gladium ancipitem, quo significatur interitus corporis & animę, quo feriendi sunt peccatores. Hoc itaq; gladio cęsi detrudentur in infera loca terrę, sortẽ & partẽ habituri cum vulpibus. Vulpiũ autẽ appellatione, nõ modò dęmones astutissimi significãtur, sed etiã hypocritę, hæretici, omnesq; perfidi, aliud corde tenentes, aliud voce sonantes: vnde & Dominus apud Lucam, Herodem regem vulpem appellat. Ite inquit, & dicite vulpi illi: Ecce sanitates perficio hodie, & cras & tertia die consummor. Hinc & Ezechiel propheta cap. 13. Quasi vulpes in deserto prophetæ tui Israël. ¶ F. Iurare in Christo, est iuramento se adstringere Christo aut religioni christianæ, quod in baptismo omnes facimus, diabolo & pompis illius renunciantes: vnde Augustinus, Quis iurat inquit in eo, qui pollicetur ei vitam suam, qui vouet illi & reddit, qui fit Christianus: sic Dauid infra, Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Sic 2. Paralyp. 15. Iuraueruntq; Domino voce magna: in omni enim corde suo iurauerunt & quæsierunt eum: Iurauerunt, id est, vouerunt iurando. De hoc iuramento Esaias cap. 65. loquitur. Et vocabit Dominus Deus seruos suos nomine alio (hoc est, nomine Christi siue christianos) in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo: & qui iurat in terra, iurabit in Deo.

A *In finem, Psalmus Dauid. Psalmus* LXIII.

EXaudi Deus orationẽ meã cùm deprecor, à timore inimici eripe animã meã. Protexiſti me à conuentu malignantiũ, à multitudine operantium iniquitatem. Quia exacuerunt B vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum ſuum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum. Subitò ſagittabunt eum & non timebunt, firmauerunt ſibi ſermonem C nequam. Narrauerũt vt abſconderent laqueos, dixerunt quis videbit eos? Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutãtes ſcrutinio D. Accedet homo ad cor E altũ, et exaltabitur Deus. Sagittę F paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos, linguæ eorum. Conturbati ſunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo. Et annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerũt. Lætabitur iuſtus in Domino, et ſperabit in eo, et laudabũtur omnes recti G corde.

¶ A. Quia maxima eſt affinitas capitis, id eſt, Chriſti cũ corpore, quod eſt eccleſia, vt ſæpe admonuimus aliàs, poteſt hic pſalmus vel de Chriſto, vel de eccleſia intelligi. Cõmẽtaria quæ ſub nomine D. Hier. ferũtur, ad eccleſiã omnia referũt: Aug. magìs ad Chriſtũ refert. Chriſtus itaq; iuxta hominẽ aſſumptũ, Deũ patrẽ ſuũ orat, vt nõ tã ſuam quàm noſtras animas eripiat à timore inimici, hoc eſt, diabolo, qui capitalis hoſtis eſt humani generis. Sic in cruce iã expirãs cõmẽdauit in manus Dei, nõ tam ſuũ ſpiritum quàm noſtrũ. Qui enim adhęret Deo, vt habet Apoſtolus, vnus ſpiritus eſt cum Deo. Iſtud enim ex 2. verſu cõſtare quoq; poteſt, vbi de ſeipſo loquẽs, protectũ ſe dicit à cõuentu malignãtium. Si enim protectus eſt ab hoſtibus, quomodo animã ſuã eripi cupit à timore inimici? niſi quod hoc de corpore, illud de capite accipiendum ſit.

¶ B. Non eſt græcè ὅτι, Quia, ſed οἵτινες, id eſt, Qui. Tametſi Aug. quoq; legat. Quia: & heb. veritas: in ſenſu enim paruũ diſcrimẽ eſt. Gladiũ autẽ vocat, apertas blaſphemias & calũnias, quibus Iudæi Chriſtũ, & gẽtes eccleſiã impetiuerũt. Arcũ autẽ, occultas inſidias quibus mortẽ Chriſto, & perſecutores chriſtiani nominis pijs et innocẽtibus necem moliti ſunt. ¶ C. Sermonẽ dixit, cõſiliũ quod perficere firmiter ſtatuerunt vt Chriſtũ interimerẽt, & nomẽ doctrinãq; eius abolerent vel ſermonẽ appellat, facinus illud, quod commiſerunt occidentes Chriſtum, in quo ita obfirmarũt animos, vt nullis admonitionibus aut beneficijs emolliti ſententiam mutauerint. Verbũ enim ſiue ſermo idiomate hebraico ſæpe prò re ipſa, de qua verba fiunt aut ſermo habetur, accipi ſolet. Sic Geneſ. 24. A Domino egreſſus eſt ſermo, id eſt, res nutu diuino geritur. Sic Eſaiæ 39. Oſtẽdit illis Ezechias apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa quæ inuenta ſunt in theſauris eius: non fuit verbum quod non oſtenderet eis: verbum, id eſt, res aliqua. ¶ D. Græcè eſt, accuſatiuus ſcrutinia: vnde Auguſt. quoque legit. Defecerunt ſcrutantes ſcrutationes: apud græcos enim venuſtè verbum regit accuſatiuum nominis verbalis à ſe deducti, vt ſeruio ſeruitutẽ, gaudeo gaudium, ſcrutor ſcrutationem, idq; vehementius eſt quàm ſeruio, gaudeo, ſcrutor. Iudæi autem cùm omnia rimarentur, & vitam actioneſq; Chriſti diligentiſsimè ſcrutarentur, nihil inuenerunt quod accuſare poſſent, quamuis in multis calumniati ſint innocentiã eius. Quo pacto autem defecerint & conſilij inopia laborarunt, docet euangeliſta, quòd obſeruantes illius ſermones, nihil inuenerint quod accuſarẽt: & cùm falſa teſtimonia aduerſus Chriſtum quærerent, non fuerint conuenientia eorum teſtimonia. ¶ E. Altum hoc loco, non pro ſublimi poſitum eſt, ſed idem quod profundum ſignificat. Eſt enim vox apud latinos ambigua: nam & mons altus, & puteus altus dicitur. Id autem ex græco conſtat: βαθύς enim non ſignificat altum, id eſt, ſublime, ſed profundũ. Eſt itaq; ſenſus, Homo poſtquam inſpicere cœperit profunditatem & abyſſum ſapiẽtiæ Dei & conſilij diuini, laudat & exaltat in omnibus Deum, intelligens Deum ineffabili conſilio redemiſſe per mortem filij ſui genus humanum, & omnia aduerſa diligentibus Deum cooperari, & cedere in bonam & perpetuam ſalutem.

¶ F. Paruulos appellat, apoſtolos, non ætate aut ſtatura, ſed affectu. Sacræ enim Literæ paruulos appellant, humiles & animo ſubmiſſos, ad quam animi ſubmiſsionem

Christus in euangelio suos hortabatur dicens: Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. De quibus Dauid infrà, Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sum & liberauit me. De potestate autem horum paruulorum Dominus apud Esaiam cap. 11. Habitabit inquit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitul⁹ & leo & ouis simul morabūtur, & puer paruulus minabit eos: per lupum, pardum, & leonem, allegoricè feros & immites gentiū animos significans victos & domitos prædicatione apostolorū, & sagittis diuinorū oraculorum sauciatos.

¶ G. Recto corde is est, qui persuasissimum habet omnia Dei iudicia æquissima esse. Is autem peruerso corde est inquit Aug. qui Deum subsannat, qui prouidentiā eius irridet, qui tacitus apud se dicit, verè non curat Deus res humanas: quas si curaret, non ille adulter aut periurus tantùm diuitiarum possideret, hic innocens egestate premeretur: vnde in laudem beati Iob dictum est, quòd fuit vir simplex & rectus, vt simplicitatem ad vitæ & morum innocentiam referas, rectitudinem ad sanum iudicium quod de Deo habuit, cuius illa nunquam satis laudata vox est: Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustineamus?

A *In finem psalmus Dauid. Canticum Hieremiæ & Ezechielis & populi transmigrationis, cùm inciperet proficisci. Psalmus LXIIII.*

TE decet hymnus B Deus in Siō, & tibi reddetur votū C in Hierusalē. Exaudi orationē meam, ad te omnis caro D veniet. Verba iniquorū præualuerūt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis. Beatus quē elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis suis. Replebimur in bonis domus tuæ, sanctū E est templū tuū mirabile in ęquitate. Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omniū finiū terræ & in mari lōgè. Præparās F mōtes in virtute tua, accinctus potentia qui cōturbas profundū maris, sonū fluctuum G eius. Turbabūtur gētes, & timebunt qui habitāt terminos à signis tuis, exitus matutini H & vespere delectabis. Visitasti terrā & inebriasti eā, multiplicasti locupletare eam. Flumen I Dei repletum est aquis, parasti cibum eorum, quoniā ita est præparatio eius. Riuos K eius inebria, multiplica genimina eius, in stillicidiis eius lætabitur germinans. Benedices coronæ anni L benignitatis tuæ, & cāpi tui replebuntur vbertate. Pinguescent speciosa M deserti, & exultatione colles accingentur. Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento, clamabunt etenim hymnum dicent.

¶ A. Hebraica veritas huic psalmo non dat alium titulū quàm hūc, victori psalmus Dauid cātici: verùm 70. In finem psalmus Dauid. Canticum Hieremiæ & Ezechielis & populi trāsmigrationis, vel vt gręcè est παροικίας, hoc est, peregrinationis cùm inciperet egredi: ita enim est apud 70. nō autē proficisci. Nam & August. sic legit, Cùm inciperent exire. Psalmus itaque hic ex persona ecclesiæ ex gentibus colligendæ mysticè intelligitur, quæ ante conuersionem suam seruiebat in hoc seculo principi huius mundi diabolo, à quo captiua tenebatur, cuius rei typus fuit Babylonica illa captiuitas populi Iudaici. Adscribitur autem canticum hoc Hieremiæ quoque & Ezechieli, quòd vterq; horum vaticinatus sit de reditu populi Iudaici ad solum natale. Post 70. enim annos sub Cyro rege Persarum reuersus est è Babylonia in Iudęam. Est autem duplex egressus è Babylone. Egredimur, quoties ex hac confusione & colluuione vitiorum in libertatē filiorū Dei restituimur, translati in cælum. Egredimur etiam, cum animo & affectu mūdum relinquimus, de quo egressu Dominus Hieremię 51. cap. Fugite de medio Babylonis, vt saluet vnusquisq; animā suam. ¶ B. Quod 70. verterunt: Te decet hymnus Deus etc. D. Hieron ad hebraicam veritatem reddit. Te decet silentium Deus in Sion, quæ videntur prima fronte inter se pugnare, quanquam minimè sibi

nimè sibi repugnent. Nam & silentio Deum laudamus, quoties ea quæ in Deo ineffabilia sunt, taciti adoramus profitentes nos magnitudine rei vinci, nec verbis vllis explicare vel assequi posse: vnde Esaias cap. 32. Et erit inquit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ, silentium & securitas vsque in sempiternum. Vult enim significare cùm iam ad cælestem illam Hierusalem translati fuerimus, tanta admiratione diuinarum rerum capiendos, vt etiam vox nobis eripiatur & sermo desit: vnde & græci admiratione digna appellant σιγαλόεντα, hoc est, ob sui pulchritudinẽ & præstantiã maximũ silentium inducẽtia. Quod Horatius 2. lib. carminum imitatus dixit. Vtrumq; sacro digna silentio mirantur vmbrę dicere. Hermes quoque ille siue Mercurius Trismegistus, hoc est, ter maximus, cuius crebrò meminit Lactantius in hymno quem Deo canit, dicit Deũ ineffabilẽ & solo silẽtio prædicãdũ. ¶ C. Reddim⁹ hîc quoq; vota nostra, sed quoniam impediti carne, plenè id facere nequimus, quia corpus hoc corruptibile grauat & deprimit animũ, expeditè id faciemus in cęlis. Ibi enim pręceptũ charitatis perfectè implebitur: vnde psal. 115. inquit Dauid: Vota mea Domino reddam in cõspectu omnis populi eius, in atrijs domus Domini in medio tui Hierusalẽ. ¶ D. Carnis appellatione, sacræ literę hominẽ significant, quòd crasso corpore & carne constet. Sic angelicæ creaturæ spiritus appellatione notãtur: vnde illud Exod. in precatione Mosi, Fortissime De⁹ spirituũ & vniuersę carnis. Omnis itaq; caro ad Deũ venit, cùm homines cuiusq; generis, ætatis, sexus & cõditionis ad Christũ venerũt, & illius religionem & fidẽ amplexi sunt. Sic enim intelligendum est illud, omnis caro, alioqui falsum esset illud euangelicum, Multos vocatos esse, paucos verò electos. Multi enim in sua infidelitate aut perfidia, & perierunt, & quotidie pereunt. Tale est, illud Esaiæ 40, Et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est, & iterum cap. vltimo: Et veniet omnis caro vt adoret coram facie mea. Itẽ illud Iohelis: Effundã de spiritu meo, super omnẽ carnẽ. Iniquos autẽ vocat, falsarũ religionũ, & impiarũ superstitionũ autores, et magistros errorum philosophos, quorum præceptis in suis peccatis detẽtæ sunt gẽtes.

¶ E. Templum dicit, non lignis, lapidibus, aut alia qualibet materia cõstans, sed viuũ & animatũ Dei templũ, de quo Apostolus scribẽs Corinthijs, Templũ inquit Dei sanctũ est, quod estis vos: vnde Augustinus, Templum fratres nolite aliud præter vos cogitare, amate iustitiam, & vos estis templum Dei, quanquam & de Christo iuxta hominem assumptum intelligi potest: mirabile templum hoc, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis: vnde apud Iohannẽ de se loquens inquit Christus. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, quod enarrãs euãgelista ipse, Hoc autem dicebat (inquit) de templo corporis sui. Et hanc interpretationem Hieron. sequitur.

¶ F. Mõtes hoc loco in bonam partem accipiũtur pro apostolis & martyribus, qui propter meritorũ & virtutũ sublimitatẽ & fidei excellentiã montes appellantur, qui in medio tyrannorum, & persecutorum, velut rupes firmissimæ in medio marinorum fluctuum vndique persecutionum procellis verberati, immobiles & constantes in fide permanserunt, non suis viribus, sed diuina virtute muniti & armati.

¶ G. Desunt in latinis exemplaribus hoc loco duo verba, nimirum hæc: Quis sustinebit? Sic enim legitur græcè versiculus hic apud 70. Sonitus fluctuum eius quis sustinebit? Est itaque sensus: Tantas persecutionum procellas, & tantas tyrannorum & sæuientium populorum minas quis sustinebit, quasi dicat, nullus sustineat suis fretus viribus, nisi diuina illum muniat virtus. Eodem modo Augustinus legit: Sonum fluctuum eius quis sufferet? quod idem enarrat hoc modo: Quod dixit, quis sufferet? hoc ait, Nosipsi: per nosmetipsos sufferre illas persecutiones non possemus, nisi ille daret fortitudinem, qui præparat montes in fortitudine sua.

¶ H. Iudaicus populus quem primo manè ad colendam vineam suam euocauit & conduxit pater familias, apellatione matutini intelligitur: sic gentium populus qui ad vesperam mundi ad Christi fidem vocatus est, per vesperam denotatur. Est enim vesperæ genitiuus hoc loco per diphthongon scribendus à nominatiuo vespera. Nam græcè est genitiuus ἑσπέρας: Porrò vterque populus exitus vocabulo significatur, quòd exeundum sit nobis è Babylone, id est, mundo hoc: nõ pedibus, sed affectus antequam gaudium spiritus & delectationem diuinã percipiemus. ¶ I. Omnia hæc allegorijs plena sunt: terram enim, animos & corda humana appellat, quæ proscissa vomere euangelico, & irrigata cælesti pluuia, id est, gratia Spiritus s. semẽ verbi Dei acceptum in sulcis animæ vbertim excrescere faciũt in segetes, quæ postea colliguntur in manipulos iustitiæ: sic hoc loco flumen appellat, eandẽ gratiam Spiritus s. quæ abundantissimè

tissimè se effundit, de quo psal. 45. dixit: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Hoc flumen aquis repletum est, cùm Spiritus s. varijs charismatibus se infudit in corda fideliũ, & mysticum cibũ illis præparauit, quẽ non suis meritis acceperũt, sed ex tua misericordia Deus, qui ita soles tuis prospicere et cibũ præparare. Notandũ autẽ hoc loco apud 70. græcè non addi pronomen, eius, sed tantùm, esse, quoniam ita est præparatio, scilicet tua, quod pronomẽ Aug. in suis cõmentarijs addit. ¶ K. Apud 70. in græcis exemplaribus est αὔλακας, id est, sulcos, nõ autem riuos. Quare rectiùs legit hunc locũ D. Aug. in cõmentarijs suis: Sulcos eius inebria. Quod idẽ sic explicat, Fiat ergo inquit primò sulci qui inebrientur: duricia pectoris nostri aperiatur vomere sermonis Dei, dehinc sulcos eius inebria. Porrò quod sequitur, genimina, iuxta verã orthographiã græcam gẽnemata scribendum esset, à quo interpres vocẽ deflexit iuxta formã latinã, genimen geniminis. Est autem gẽnema, vel iuxta latinã formã genimẽ, omnis fœtus aut fructus, tã animatus quàm inanimatus: vnde illud euãgelicum: Non bibam de hoc genimine vitis, id est, de hoc vino: & iterum, Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Deducta autem est vox à græco verbo γεννάω, id est, genero, produco. D. Hilarius & August. legunt: Multiplica generationes eius. ¶ L. Coronam anni benignitatis vocat ecclesiam Christi fidelium, de qua dixit psal. 20. Posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. His enim velut corona quadam cinctus & ornatus est Christus: vnde Esaiæ 62. de ecclesia dictum est, Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema speciei in manu Dei tui. Porrò annum benignitatis vocat, tempus illud gratiæ, quando per Christum annunciatum est euangelium regni cælestis, de quo Esaiæ 61. sic loquitur Christus: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino: alibi vocatur tempus acceptum siue acceptabile & dies salutis.

¶ M. Omnia hæc allegoricè intelligenda sunt: explicat enim quanta benignitas & vbertas anni illius fertilissimi fuerit: Camporum enim & deserti appellatione, incultos et horridos gentiũ animos significat, qui speciosos fructus pietatis vbertim protulerunt impinguati gratia spiritus sancti: de hoc deserto Esa. cap. 35. Lętabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Colles autem, sancti perfectioris vitæ appellantur. Arietes autem, duces gregis dominici, id est, apostoli & martyres iam veste immortalitatis induendi aut cælesti gloria induti. Valles autem, humiliores in ecclesia, nõ tamen impię fidei et operis homines appellãtur, quę abũdabũt frumẽto, id est, abundè fructum vitæ consequẽtur. Ac ne prophericus sermo hos cãpos, hæc deserta, hos colles, hæc conuallia quæ oculis subiacent, voce & sensu carentia significare existimetur, adiecit, Clamabunt etenim hymnũ dicent, Dei nimirũ laudes ob hæc diuersa retributionũ præmia indefessis vocibus concinentes, vt Hilarius inquit.

In finem, canticum [A] *psalmi resurrectionis.*

PSALMVS LXV.

IVbilate [B] Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Dicite Deo quàm terribilia sunt opera tua, in multitudine virtutis tuæ [C] mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te & psallat tibi, psalmũ dicat nomini tuo. Venite & videte opera Domini, terribilis in cõsiliis super [D] filios hominum. Qui cõuertit [E] mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso. Qui dominatur in fortitudine sua in æternũ, oculi eius super gẽtes respiciũt, q exasperãt [F] nõ exaltẽtur in semetipsis. Benedicite gẽtes Deũ nostrũ, & auditã facite vocem laudis eius. Qui posuit animã meam ad vitam, & nõ dedit in commotionẽ pedes meos. Quoniã probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argẽtũ. Induxisti [G] nos in laqueũ, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita

nostra. Transiuimus [H] per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram [I] tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hircis. Venite & audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua mea. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Propterea exaudiuit me Deus, & attendit voci deprecationis meæ. Benedictus Deus qui non amouit orationem meam & misericordiam suam à me.

Id est, interprete Aug ipsum publicè prædicaui, ipsum in secreto confessus sum.

¶ A. Apostolus Paulus varijs locis duplicis resurrectionis mentionem facit & geminæ mortis. Sic enim ad Rom. cap. 6. Consepulti inquit sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitę ambulemus: & paulò infrà, Existimate vos mortuos esse peccato, viuentes autem Deo. Hinc & alibi: Si consurrexistis inquit cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Tunc autem spiritualiter resurgimus, cùm è morte peccati ad vitam animæ excitamur, non iam secundum veterem hominem viuentes, sed in nouitate vitæ ambulantes, quod per baptismum nobis cōtingit beneficio sanguinis & mortis Christi, & hæc in Apocalypsi appellatur prima resurrectio. Psalmus itaq; hic gratiarum actionem continet ecclesiæ inuitantis omnes gentes ad laudes diuinas, & enarrantis quanta per Iesum Christum Deus pater fecit nobis, quos ex morte ad vitā animæ suscitauit: vnde cāticum resurrectionis appellatur: sic enim titulus habet. In finem, canticum psalmi resurrectionis, hoc est, eorum qui per baptismū resurrexerūt cum Christo.

¶ B. Benè dixit, Iubilate, vt ostendat victoriā nos consequi per Christū, qui mundum vicit, & mundi principē eiecit foras, & arma in quibus cōfidebat abstulit, prędāq; & spolia diuisit. Iubilus enim propriè (vt verbis D. Hilarij in hunc locū scribentis vtar) vocem significat exercitus præliantis aut in concursu proterētis hostem, aut successum victoriæ exultationē voce testantis. Positi igitur in vitæ istius pręlijs, & in hoc carnis ac sanguinis nostri certamine, aduersus diabolum armis spiritualibus dimicantes, Deo monemur in voce exultationis iubilare: cùm autē dicit, omnis terra, non ad inanimem hunc terræ molem referendum est, sed vniuersitas ecclesiæ toto orbe diffusæ significatur, vt simul & officij & originis nostræ terrenæ admoneamur, vt Hilarius inquit.

¶ C. Iudæi hostes Christi mentiti sunt in multitudine virtutis eius, id est, propter nimiam & admirandam illius potentiā, quam insuetis prodigijs & miraculis Christus ostendebat, dicentes illum hæc facere in Beelzebub principe dęmoniorum. Similiter et gentes incredulæ hæc de Christo audientes, magicis artibus omnia tribuebant: & vniuersa gentilitas ante Christi aduentum, cùm in Iudæa tantum notus esset Deus, videntes admirādā vnius Dei potētiā in creādis et gubernādis omnib⁹, mēdaciter hęc adscripserūt falsis suis dijs: tonitrua, fulmina, pluuias, & quicquid in sublimi nascitur, Ioui tribuētes. Solis lumē, Apollini. Menstruos cursus Lunæ, ipsi Dianæ. Æstum maris & terræ motū, Neptuno tribuentes. Quod profectò est mentiri Deo in multitudine virtutis suæ. ¶ D. Apud 70. in græcis exemplaribus est, videte opera Domini quàm terribilis in consilijs etc. vt 2. versu. Dicite Deo quàm terribilia sunt opera tua Domine. Intelligit autem illud admirandum consilium de redimendo humano genere, quod dæmones quidem latuit, sed angelis & sanctis omnibus summam venerationem & metum incussit, videntes Deum patrem morte vnici filij sui consulere saluti humanæ, de quo Esaias cap. 28. Et hoc inquit à Domino Deo exercituum exiuit, vt magnificaret iustitiam, & mirabile faceret consilium. ¶ E. Olim mare rubrum conuertit Dominus in aridam, vt viam faceret populo suo egredienti ex Ægypto, & Iordanem fluuiū exsiccauit, vt siccis pedibus per illum graderetur populus Israëliticus ingrediens terram promissam. Verùm iuxta literam hæc mirabilia Dei opera Iudaico populo exhibita sunt. At quoniam vniuersos inuitat ad contemplanda hæc opera Dei terribilia, non dubium quin mysticè hæc intelligenda sint. Mare itaque mundus fuit vitiorum

amari-

amaritudine salsissimus, tempestate & fluctibus persecutionum turbulentus, quod in aridam versum est, quæ celestem pluuiam iam sitiat (vnde illud Dauidicum: Expandi inquit manus ad te anima mea, sicut terra sine aqua tibi.) Iordanis autem Christi baptismo consecratus, pedibus à nobis transitur, quum ex aquis baptismi egredimur, renati iam in filios Dei, quæ res causa nobis est perpetuæ lætitiæ.

¶ F. Iudæos notat, quibus imprecatur vt nunquam exaltentur quàm diu Deum exasperant. Is autem exasperat siue exacerbat Deum, qui cùm ipse nolit credere, alijs salutem inuidet, & in simili perfidia & incredulitate permanere cupit, quod Iudaico populo peculiare fuit, qui pertinacissimis animis, Deo semper & præcipuè euangelio obstiterunt: vnde apud Ezechielem cap. 2. domus exasperans appellantur.

¶ G. Hebraica veritas sic legit versiculum hunc: Induxisti nos in obsidionem, pro quo 70. verterunt, laqueum. August. legit, muscipulam. Vult enim significare, Deo permittente fideles captos & circumuentos ab hostibus fidei, & à persecutoribus afflictos & oppressos, sed omnia hæc Deum permisisse non odio suorum, sed vt excoqueret igne tribulationis omnia terrena vitia, non secùs atque argentum repurgatur à scoria, & ab omni alio metallo & adulterina materia commixta, quoties in fornacula igni aduritur & liquatur. ¶ H. Per ignem & aquam, contraria inter se animorum pericula denotat: inter elementa enim maximè inter se pugnant aqua & ignis: aqua enim extinguit ignem: & contrà, ignis exsiccat & consumit aquam. Sic & tentationes sunt, quibus exercemur & probamur. Ignis vrit, aqua corrumpit: vtrumque metuendum, & vstio tribulationis, & aqua corruptionis. Cùm res angustæ sunt & aduersæ, quasi ignis nos adurunt: cùm res secundæ sunt, & opes, omniumque rerum abundantia nos circumfluit, aquis circundamur, sed non sinit Deus suos vel igne aduri, vel aquis opprimi & corrumpi: Vnde contra prospera & aduersa nos munit apostolus, monens vt instructi simus à dextris & sinistris per arma iustitiæ. Sic Dominus quoque apud Esaiam cap. 43. hoc ipsum suis pollicetur dicens: Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, nō combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israël saluator tuus. ¶ I. Holocaustum medullatum offert ecclesia Christo (totum enim mysticum corpus Christi hîc loquitur interprete Aug.) quoties homo se totum Christo consecrat, & non in superficie, hoc est, exteriore cultu se Deū diligere testatur, sed ex intimis pręcordijs & animi medullis, & totus amore Christi & diuino igni flagrat. Arietes autē Deo offert ecclesia, cùm episcopi & duces gregis dominici probè suo munere fungētes, se Deo dedicant: boues offerūtur, cùm euāgelistę, id est, verbi Dei pręcones syncerè Deum pręcidicāt: hirci offeruntur, quoties peccatores ducti pœnitentia ad Deū veniunt, & veterem hominem cum vitijs & cōcupiscentijs Deo mactant, vt peccatis mortui iustitiæ viuāt. Porrò quod in latinis exēplaribus nostris mendosè legitur, Cum incēso arietū, gręcè est, Cum incēso & arietibus, quomodo Aug. legit et Hilarius. Nam incensum non cōstabit hostijs pecudum, sed odoribus siue odoramentis, vt aromatibus, thure, stacte, galbano, & similibus quæ vnà incendebantur, vt docet 30. cap. Exodi: vnde & θυμίαμα græcè appellatur, hoc est, suffitus aut vaporatio: vnde interpres latinus dicens incensum, rem magis explicat quàm vim vocis græcanicæ.

In finem, in hymnis psalmus Dauid.

PSALMVS LXVI.

DEus misereatur [A] nostri & benedicat nobis, illuminet vultū suum super nos, & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra [B] viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus, confiteātur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gētes, quoniam iudicas [C] populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur [D] tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructū [E] suum. Benedicat nos Deus, Deus noster: benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

A. Psal.

¶ A. Psalmus hic licet breuis sit, plenus tamen est spiritalis intelligentię. Continet autem apostolorum, prophetarumq; vocem, qui aut venisse aut venturum esse Dominum, gentibus nunciauerũt: felicia autem faustaq; omnia imprecantur ecclesię ex gentibus congregatæ: primùm optantes illi misericordiam qua peccata deleantur, deinde benedictionem quæ nobis tunc demum contingit, vbi compressa dominatione carnali spiritus victor cęperit triumphare: tunc enim primi parentis nostri maledictio mutatur benedictione cælesti. ¶ B. Id est, non tristem videamus propter peccata nostra, sed gaudentem virtutibus nostris. Tunc enim illuminari dicitur vultus, cùm mitigata ira fauor & gratia redeunt frõte iam exhilarata, vt pluribus annotauimus psal. 4. in illum versum: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Tribus his versibus primis persona vel prophetarum vel apostolorum includitur cum persona ecclesiæ, ex gentibus congregatę: idem fit quoq; vltimo versu. Est itaq; hic sensus: Adeò inualescat prędicatio nostra, vt via siue salutare tuũ, id est, Christus qui via veritas & vita est, palàm cernatur in his qui terrena sapiunt. Quòd autem de gentibus hæc præcipuè intelligenda sint, vel hinc constare potest: Quia in Iudæa notus erat Deus vt alibi habet Dauid, & in Israël magnum nomen eius: quanquam si diligentiùs attendamus, nec in Iudæa nota erat via Dei, id est, Christus Dei filius sine qua nemo venit ad patrẽ. Verùm quod subijcitur: In omnibus gentibus salutare tuum, in confesso est de vna gente Iudaica accipi non posse. Porrò quòd interpres latinus vertit salutare, hebraicè est Iesus, quam vocem hebraicam Abacuc 3. reliquit Hieron. Ego autem inquit gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Iesu meo. ¶ C. Vbicunque iudicium cum æquitate exercetur, timẽdum potiùs videtur ijs qui peccarunt, quàm gaudio exultandum: verùm non loquitur hîc de extremo illo iudicio, quo vnicuiq; digna pro meritis, aut supplicia aut prẽmia decernũtur, sed de iudicio quo Deus vtitur, eligẽdo dignos se ex omnibus nationibus, non accipiens personam alicuius, vnam gentem eligendo, alteram repudiãdo: vnde Apostolus Petrus Actorum 10. In veritate comperio, quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente qui timet eum & operatur iustitiã, acceptus est illi.

¶ D. In hac eorundem verborum repetitione nemo battologiam esse putet: sed ita accipiendum est hoc, quasi apostoli doctores gentium præcinuerint hæc priori versiculo, quæ totidẽ verbis nunc repetit ecclesia gẽtiũ. Quale est illud psal. 128. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. ¶ E. Geminus sensus hîc esse potest, vt fructum terræ appellet Christum, quem virginea terra Mariæ mundo protulit, de quo Elizabet Lucæ 1. Benedictus fructus vẽtris tui: de quo & Esaias, Aperiatur inquit terra & germinet Saluatorem: vel fructus illos spiritus intelligit quos ad Galat. 5. enumerat apostolus, quos terra animorũ nostrorũ profert ex iacto semine verbi Dei. ¶ F. Trinitatis mysterium hoc versu notatur: cùm enim ter Deũ nominauerit, subijcit: Et metuant eum, non eos, eandem naturam diuinitatis in tribus personis significans.

A *In finem, psalmus cantici Dauid.* *Psalmus* LXVII.

Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant B qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut C fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, & iusti D epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Cantate E Deo, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei qui adscendit super occasum, Dominus nomen illi. Exultate in conspectu eius, turbabuntur à facie eius, F patris orphanorum, & iudicis viduarũ. Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit vnius G moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperãt, qui habitant in G sepulchris. Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto Terra mota I est: etenim cæli distillauerunt a facie Dei Sinai, à facie Dei Israël.

Diuisio

Diuiſio.

¶ A. Inter canticũ & pſalmum D.Hilar.ſcribẽs in pſalmũ 65.hoc intereſſe vult,vt per canticum quod ore promitur,ſine manuũ opera & inſtrumentorũ adminiculis,intelligentia & cognitio cęleſtiũ diuinarũq; rerũ ſignificetur:per pſalmũ autẽ qui muſico inſtrumento canitur,hoc eſt,decachordo pſalterio,operationes ipſæ denotentur. Hinc fit,vt alij pſalmorum in titulo habeant,Canticum pſalmi:alij verò vt hic 67. pſalmus habeat.In finem,ipſi Dauid pſalmus cantici. Quoties itaque audis,pſalmus cantici, ſignificantur opera bona naſci per ſpiritualem ſcientiam, & diuinarum rerum inſtitutionem. Cùm verò Canticum pſalmi, ſignificatur gratulatio adeptæ ſcientiæ per merita bonorum operum & maximè fidei,vnde dixit Eſaias:Niſi credideritis non intelligetis: Vnde & præſens pſalmus 67. quia in eo cognitionis & ſcientiæ propheticæ enunciatio docetur,quæ morum innocentia & honeſtis vitæ officijs tantummodo paratur,titulum habet,pſalmus cantici.Eſt autem plenus ſacramentis legis & euangelij,conſtans crebris allegorijs præteritorum & futurorum:habet enim in ſe doctrinam Iudaici populi,& fidẽ noſtram euangelicã cõmendat,cõplectitur adſceſum Domini ad legis latę, et aſſumptę à Domino humanitatis ſacramẽtũ indicat, exprobrat impietatẽ cælos,& futuri regni eius gloriam comprehẽdit.Exordium autem ex eo ſumpſit propheta,in quo ſumma conſiſtit noſtræ iuſtificationis & ſalutis:nimirum à dominica reſurrectione,optans tempus illud dominicæ reſurrectionis accelerari,quo deſtruendum cognoſcit regnum peccati,& ſoluendam tyrannidẽ principis huius ſeculi. ¶ B. Fuga hæc eſt,animi timor vt Auguſt.inquit: nam corporaliter quò fugiant ab eius facie, qui vbique præſentiæ ſuæ effectum demonſtrat? vnde alibi Dauid, Quò ibo inquit à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam? animo ergo non corpore fugiunt, timendo ſcilicet non latendo: nec ab ea facie quam non vident, ſed ab ea quam videre coguntur: facies quippe Dei,appellatur diuina præſentia quam per eccleſiam ſuam exhibet. Fugiant ergo à facie eius, id eſt, timeant à præſentia ſanctorum fideliumque eius. ¶ C. Hæc quanquam fortaſſe de hominibus accipi poſſint, quorum duritia in pœnitentiæ lachrymas ſoluitur: quia tamen præceſſit, Sicut deficit fumus, deficiant: futuri iudicij & æternorum ſuppliciorum comminatio hoc loco notatur, quando faſtus & ſuperbia impiorum, quæ metum pijs incuſſit,velut fumus euaneſcit, & vt cæra igni admota fluit, & tandem accenſa igni pabulum fit, ita & illi perpetuis ignibus cruciandi tradentur. ¶ D. Quòd interpres noſter vertit: Iuſti epulentur in conſpectu Dei,græcè eſt εὐφρανθήτωσαν, id eſt, lætentur: vnde & diuus Hilarius legit:Et iuſti lætentur in conſpectu Dei. Auguſt. verò, Et iuſti iocundentur in conſpectu Dei. Magnæ autem fiduciæ eſt exultare in conſpectu Dei. Sicut enim diſpenſator, ſi malè & non ex fide tractauerit ſubſtantiam Domini ſui, timet Domini præſentiam: ita è diuerſo,qui fideliter diſpenſauerit,exultat in Domini præſentia,non ſolùm de vindicta malorum, ſed etiam de ſempiterna ſua beatitudine.

¶ E. Canere,ſacrę literæ ſemper ad Theoriam, id eſt, ad contemplationem cæleſtium myſteriorum, & ad altiorem intellectum ſacrarum ſcripturarum referunt, vt in argumento quoque pſalmi huius admonuimus. Pſallere verò, ad bona opera: quoties enim aures noſtræ tantùm patent honeſtis audiendis, lingua nil niſi pium & ſanctum promit, ſimiliter oculi, manus,& cætera membra honeſtè ſuis funguntur officijs,ſuauiſſimum Deo concentum reddunt, non aliter atque chordæ in pſalterio. Porrò iter illi facimus,cùm peruerſam animi noſtri voluntatem & praua ſtudia noſtra velut curua quædam viarum diuerticula corrigimus, & ſuperbos, iracundos, & implacabiles animos, chriſtiana modeſtia & manſuetudine deprimimus & ęquabiles reddimus. Vnde Dominus apud Eſaiam: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur,& erunt praua in directa & aſpera in vias planas.

¶ F. Non ſolùm de orphanis ſiue pupillis & viduis iuxta carnem hæc accipienda ſunt,quorum pater & iudex Deus,ſed ſpiritualibus pupillis & viduis intelligẽda ſunt, de quibus Dauid pſal. 145. Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet,& vias peccatorum diſperdet. Is enim apud Deum pupillus eſt, qui iam patrem diabolum ampliùs non habet:& ea anima vidua eſſe cępit,quę felix diuortium fecit cum carne, mundo, & diabolo;vel quoties gladio verbi Dei filij à parentibus,&

vxores à maritis separantur ob fidem euangelicam, pupilli & viduæ apud Deum habentur, quos sua consolatione & defensione non destituit Deus, de quibus Dominus sibi templum fabricat, de quo consequenter dicit, Dominus in loco sancto suo.

¶ G. Cùm dixisset, Dominus in loco sancto suo, Aug. tanquã requireremus in quo loco? cùm ille vbiq; sit totus, & nullus eum contineat corporalium spaciorum locus, ilico subiecit, Deus habitare facit vnius moris in domo: Vbi enim vnanimes & eiusdẽ voluntatis in ecclesia quæ magna domus est, pacificè habitãt, hic est locus sanctus Domini. Quod autem 70. græcè verterunt μονοτρόπους, id est, eiusdem volũtatis & animi, eorundemq; morum, vnde pax & vnanimitas nasci solet: hebraicè est solitarios, vnde Hieron. vertit, Deus inhabitare facit solitarios in domo, vt illos accipiamus per solitarios, cum quibus non habitat malitia, sed qui vitiorum multitudinem ex animi sui contubernio expulerunt.

K Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est, tu verò perfecisti eam. Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Rex L virtutũ dilecti dilecti: & speciei dom⁹ diuidere spolia. Si dormiatis M inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Dum discernit cælestis reges super eam, niue dealbabuntur in N Selmon, mons O Dei: mons pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis, vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons P in quo beneplacitũ est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem. Currus Dei Q decem milibus multiplex, milia lætantium: Dominus in eis in Sinai in sancto. Adscendisti R in altum, cæpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Etenim S non credentes, inhabitare Dominum Deum.

¶ H. In sepulchris habitare dicuntur, gentes exasperantes & irritantes Deum idololatriæ sceleribus. Idolorum enim templa, hominum, principum & regum sepulchra fuerunt, quos pro dijs colebat & adorabat misera gentilitas: vel iuxta tropologiam, in sepulchris habitare dicuntur omnes peccatores grauioribus sceleribus animam suam occidentes, quæ in corporibus velut sepulchris quibusdam abdita est: vnde alibi, Sepulchrum patens est guttur eorũ: & Christus apud Matthęum, Væ vobis inquit Scribę et Pharizæi, quia similes estis sepulchris dealbatis, quorum typum gessit Lazarus ille sepultus quatriduum: vnde & Apostolus eiusmodi sepultæ animæ loquitur, Surge qui dormis, & exsurge à mortuis & illuminabit te Christus. ¶ I. Iuxta historiã omnia hæc acciderunt filijs Israël Ægyptum relinquentibus, quos præcessit Deus in die per columnam nubis, nocte per columnam ignis, viam illis qua eundum erat ostendens, quibus & cælitus manna pluit Dominus. Verùm iuxta tropologiam, nobis, id est, christianis, quotidie hæc facit Deus, quoties visitat deserta corda gentium, & terrenos animos prædicatione verbi Dei commouet, & ad fidem excitat, quos ex tenebris huius seculi euocat ad cognitionem sui nominis, emittens spiritum suum sanctum ducem vitæ nostræ, & pluens nobis corporis & sanguinis sui manna: vnde apud Iohannem Christus: Non Moses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Vnum autem noui veterisque testamenti esse authorem Deum hîc declarat Dauid, qui Iudaico populo olim hæc in figura exhibuit, & eadem causa in rei veritate spiritualiter præstat populo suo Christiano. Sinai autem, Deum vocat, quòd in Sina monte pręcipuè maiestatem suam diuinam ostendit, & legem Mosi dedit. Hilarius & August. legunt paulò aliter quàm 70. habent, hoc modo. Etenim cæli distillauerunt à facie Dei, mons Sina à facie Dei Israël. ¶ K. Pluuiam voluntariam siue potius spontaneam appellat, prędicationem euangelicam, qua arida Iudæorum & Gẽtium corda irrigauit Deus, quos in hęreditatem à patre accepit Christus; vnde apud Esaiam comminatur Dominus, Mandabo nubibus ne pluant super

eam

eum imbrem. Hæc autem hæreditas infirmata est ante aduentum Spiritus sancti cùm murmurarent dicentes, durus est hic sermo etc:& offensi multi discipulorũ, Christum relinquerent,cùm Petrus ter Dominum negauit,& cęteri apostoli relicto Domino fugerunt, Paulus ecclesiam deuastauit, sed adueniente in corda fidelium Spiritu sancto, perfectũ & cõfirmatũ est quod in nobis imbecille erat & vacillabat.In hac autem hæreditate Domini,hoc est,ecclesia habitãt animalia,id est,varij generis,cõditionis,ętatis, & sexus homines,quę fide in Christũ viuũt,& sacramẽtis illius per Spiritũ s. animãtur & viuificantur:nam quę nos animalia ab anima siue animando appellamus,gręci ζῶα appellant à vita quæ ζωὴ apud illos dicitur:huic autẽ hęreditati,quã propter humilitatẽ & animi submissionẽ pauperis appellatione denotat,parauit Deus cęlestẽ alimoniã diuinorũ sermonum,quæ mellis ac faui saporẽ vincit: vnde Dauid infrà,Quã dulcia faucibus meis eloquia tua Domine super mel ori meo. ¶ L. Non geminatur apud 70. gręcè vox,dilecti,sed semel tãtùm ponitur hoc modo:Rex virtutũ dilecti,quomodo et Hilar.legit:idem annotat & August.hãc repetitionem apud 70.nõ esse.Dependet autẽ versiculus hic à superiori hoc modo : Dominus dabit verbũ euangelizantibus virtute multa.Dominus inquã rex virtutũ dilecti,& Dominns rex virtutum dilecti dabit speciei siue pulchritudini domus diuidere spolia . Deus ergo Pater per Spiritũ suum dedit apostolis os & eloquentiam,cui nõ potuerũt resistere omnes aduersarij,& ijdẽ magna virtute reddebãt testimoniũ resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Appellatur autẽ Deus pater,rex virtutũ dilecti,quia filius Dei qui per antonomasiã dilectus appellatur, à patre accepit hęreditatẽ,id est,ecclesiã in qua sunt variè virtutes siue potestates : (est enim græca vox δύναμις)hoc est,varij ministri officia ecclesiastica obeũtes,& acceptam gratiam Spiritus s.in alios dispẽsantes,sicut in cęlo sunt virtutes angelicę,hoc est,varia ministeria & officia angelorũ.Et idẽ pater dat filio suo dilecto(qui ornamẽtum & decus est ecclesiæ,vnde species siue pulchritudo dom⁹ appellatur)diuidere spolia,hoc est, animas diabolo ereptas,varijs ecclesię ministerijs adaptare. ¶ M. Et hic versus cùm sequenti ita conuertendus est interprete Augustino: Si dormiatis inter medios cleros: vel(vt græcè sonat)in medio clerorum, pennæ columbæ deargentatæ , & posteriora dorsi eius in pallore auri dealbabuntur niue in Selmon , dum cælestis discernit reges super eã,siue in ea,vt græcè sonat.Porrò κλῆρος græca vox,sortẽ significat latinè: quia autẽ sorte diuidebatur hæreditas,clerus pro hęreditate hoc loco ponitur:vel certè pro vtroque testamento , per quod cælestis hæreditas nobis promissa est . Is autem dormit inter hos duos cleros,qui vtriq; fidẽ adhibet, & in vtroque acquiescit,securus de promissis diuinis suo tempore implendis. Per columbam autem deargentatam,ecclesiam intelligimus ornatam diuinis eloquijs, quæ propter mundiciam & puritatem argento comparantur: huius pennæ,siue vt græcè est πτέρυγες,id est , alæ,sunt omnes pij qui à terrenis ad cælestia subuolant . Posteriora autem dorsi ipsius columbæ rutulantia auri virore(sic enim est græcè,non autem pallore) sunt fideles,quorum intima flagrant charitate Dei & proximi . Quod autem noster interpres vertit , posteriora dorsi eius in pallore auri,diuus Augustinus legit , & inter scapulas eius in viriditate auri.Est enim apud 70 . græca vox μετάφρενον, quæ significat dorsum aut scapulas: sic enim vertit psal.90 . Scapulis suis obumbrabit tibi : propriè autem si æthymologiam vocis sequamur , significat totam partem illam corporis posteriorem , à collo vsque ad cinctum quæ præcordijs obijcitur à tergo: sonat enim græca vox quasi dicas,post præcordia. ¶ N. Selmon,montis nomen aut loci proprium est , sonat autem Selmon hebraicè , vmbra latinè . Porrò vmbra iam in bonam partem , iam in malam vsurpari solet: in malam partem sumitur ibi , Transierunt omnia illa tanquam vmbra.& ibi:Quæ sunt vmbra futurorum,corpus autem Christi.In bonam partem vsurpatur:vt ibi, Sub vmbra alarum tuarum protege me : & iterum, In vmbra alarum tuarum sperabo.Per vmbrã itaq; hoc loco , Spiritus sancti gratiam ac virtutem intelligimus,per quem fit remissio peccatorum:gratia enim Spiritus sancti protegimur ab æstu malarum concupiscentiarum velut vmbra quadam: vnde & ad Mariam:Spiritus sanctus superueniet in te,& virtus altissimi obumbrabit tibi. Hinc Elaias cap . 25 . Factus es inquit fortitudo pauperi , spes à turbine,vmbraculum ab æstu. Est itaque sensus hic:Cùm cælestis,id est,Dominus cæli Christus,reges , id est , fideles qui imperant suis affectibus & cupiditatibus,discernit,hoc est, in varia ministeria partitur & distribuit , dans in ecclesia quosdam Apostolos , quosdam prophetas , quosdam euangelistas,quosdam autem pastores & doctores, vt Paulus habet,tunc per spi-

ritum ſuum eoſdem dealbabit niue, id eſt, puriſſimos & mundiſſimos reddet. Quòd autem interpres vertit, niue dealbabuntur, græcè eſt vnum verbum χιονωθήσονται, voce deducta ἀπὸ τῆς χιόνος, quod niuem ſignificat, quaſi dicas, more niuis alibi reddentur.

¶ O. Per montem Dei, Chriſtum intelligit, de quo Michæas cap. 4. Erit inquit in nouiſſimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles, & fluent ad eum populi & dicent: Venite adſcendamus ad montem Domini, & docebit nos de vijs ſuis: pinguem autem appellat, propter vberrimam Spiritus ſ. gratiã, qua delibutus et vnctus fuit. Quòd autem nos legimus, coagulatus, Hilarius legit conſecratus: & coagulatos montes in malam partem accipit pro hæreſiarchis & impiorum dogmatum authoribus, qui puram ac ſynceram doctrinam euangelicam vitiant ac corrumpunt. Lac enim cùm denſatur corrumpitur, & in coagulum concreſcit, & ex ſua natura degenerans accedente vitio coaceſcit. Verùm quoniam apud 70. non eſt, mons conſecratus, ſed coagulatus, ſiue incaſeatus (vt Auguſtinus legit) non dubium quin in bonam partem interpretandus ſit mons coagulatus, vt coagulum ſiue caſeus differat à lacte, vt tenellus infantium cibus à ſolida eſca, & Chriſtus mons coagulatus dicatur ob perfectiorem & ſublimiorem cæleſtium myſteriorum doctrinam, qua perfecti & robuſti aluntur, cùm paruuli in Chriſto lacte interim nutriantur.

¶ P. Auguſtinus per accuſatiuum legit, montem (nam græca vox ὄρος, cùm apud illos ſit neutrius generis, poteſt eſſe vel nominatiuus vel accuſatiuus) hoc ſenſu, vt quid ſuſpicamini montes coagulatos, eum montem eſſe in quo placuit Deo inhabitare: coagulatos montes appellans, prophetas. Nam de Chriſto multi opinabantur eum eſſe Heliam, aut aliquem ex prophetis: nonnulli verò Ioannem Baptiſtam: nam quanuis & in illis Deus habitauit, in hoc monte inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter, vt Paulus habet. Huic lectioni ſuffragatur quoque hebraica veritas quam diuus Hieronymus ſic reddidit. Quare contenditis montes excelſi aduerſus montem quem dilexit Deus, vt habitaret in eo? Vbi patet accuſatiuum montem legi, non autem mons. ¶ Q. Quod noſter interpres vertit decem milibus multiplex, græcè eſt vna vox μυριοπλάσιον, quod propriè ſonat quaſi dicas, decies millecuplus: vel vt Auguſtinus interpretatur, decies milies multiplex: non enim poteſt reddi vna voce latina: quod enim ipſi dicunt vna voce μύριοι, nos duabus vocibus, decies mille. Porrò currum Dei appellat ſi literam ſequamur, innumerabiles angelorum miriades, Deo miniſtrantes concordibus animis, quibus Deus præſidet ceu gubernator currui: de quibus & Daniel cap. 7. Milia milium miniſtrabant ei, & decies milies centena milia adſiſtebant ei. Si verò ſpiritum viuificantem ſequimur, per currum Dei decies millecuplum, intelligimus ſanctorum animas, quas ab inferis ad cælos ſubuexit Chriſtus, quibus ſtipatus velut curru quopiam ſubuectus eſt. Et Dominus in ijs ſcilicet habitauit & perpetuò habitaturus eſt: in Sinai in ſancto, hoc eſt, per ſancta mandata quæ impleuerunt: nam Sinai hebraicè, mandatum ſonat latinè. Diuus verò Hilarius illud, In ſancto, cum ſequenti verſu copulat hoc modo: In ſancto adſcendiſti in altum. ¶ R. Diuus Hieronymus enarrans 4. caput epiſtolæ ad Epheſios docet, cur Apoſtolus citans hunc locum, mutarit verbum accepiſti in verbum dedit, hoc modo, dedit dona hominibus, dicit eleganter apoſtolum id feciſſe: Quia cùm necdum donata eſſent chariſmata Spiritus ſancti, ſed futurũ promittebatur, propterea dicit, accepit dona quæ largiretur hominibus: hìc verò cùm apoſtolus ſcribat hæc Deum iam impleuiſſe, & donum Spiritus ſancti effudiſſe in ſuos, idcirco non accepiſſe dona, ſed iam dediſſe dona hominibus ſcribit. ¶ S. Credentes, accuſatiui caſus eſt, quod ex græco conſtat, & regitur à præcedenti verbo cæpiſti, vt ſenſus ſit: cæpiſti captiuitatem, hoc eſt, animas captas à diabolo, nõ modò eas quæ crediderunt Deo, ſed etiam eas quæ priùs rebelles euangelio, noluerunt credere Deum inhabitare in Chriſto, hoc eſt, Chriſtum verum Deum & hominem eſſe.

Benedictus Dominus die quotidie, proſperũ iter faciet nobis Deus ſalutariũ noſtrorũ. Deus noſter Deus ſaluos faciẽdi, & Domini Domini exitꝰ T mortis. Verũtamẽ Deꝰ cõfringet capita inimicorũ ſuorũ, verticẽ capilli perambulãtiũ in delictis ſuis. Dixit Dñs, ex Baſan V conuertam,

conuertam

conuertam in profundum maris. Vt intingatur pes tuus [x] in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Viderunt ingressus [y] tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei qui est in sancto. Pręuenerunt principes, cõiũcti psallẽtibꝰ, in medio iuuẽcularũ tympanistriarũ. In ecclesiis benedicite Deo Domino [z] de fontibus Israël. Ibi Beniamin adulescẽtulus in mentis excessu. Principes Iuda duces eorum, principes Zabûlon, principes Nephthali.

¶ T. Geminus sensus hic esse potest: prior iste quem August. dat, Deus noster est Deus saluãdi, & quasi tacitus quis obiiciat, Quomodo Deus nos saluat cùm permittat nos varijs cruciatibus interimi? respondet propheta. Ne videatur hoc absurdum tibi: Quia & Dominus ipse similem mortis exitum habuit. Non enim tam corporum quàm animarum saluator est. Alter sensus est quem D. Hilarius reddidit, Deus noster est Deus saluandi, & exitus mortis, id est, egressus ex mortalitate ad immortalitatẽ est Domini, quia ipse nobis author est æternę vitę, qui sua morte nostrã destruxit & aboleuit. Omnibus enim qui veniũt in vitã (inquit Hila.) ingressus est in mortẽ: sed primogenito ex mortuis, hoc est, Christo, tanto proprior fuit egressus ex morte. Geminatio autem illa genitiui Domini, ad Emphasim fuit: hebraicè autẽ est, Domini Dei mortis egressus: est autẽ nominatiuus pluralis græcè διέξοδοι, quod & trãsitus & egressus significat. ¶ V. Basan dictũ est regnũ ipsius Og regis, quẽ cum reliquis deleuerũt filij Israël duce Iosue, de quo Dauid psal. 135. Qui percussit reges magnos, & occidit reges fortes. Seon regẽ Amorrhęorũ & Og regẽ Basan. Inter omnes autẽ reges Chananęorũ, solus Og reliquus erat de stirpe gigãtum, cuius lectus ferreus mõstratur nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, vt scribitur Deut. 3. cap. Porrò Basan hebraicè, sonat latinè siccitatem aut confusionem, quare allegoricè significat gentium populos ad Christum conuertendos, qui ante aduentum Christi nulla gratia Spiritus s. aut imbre diuinorum eloquiorum irrigabantur, & apud quos confusis omnibus nullo ordine aut disciplina viuebatur. Quod autem 70. verterunt, conuertam in profundo maris, hebraicè legitur apud D. Hieron. de profundo maris: Sic enim hunc versiculum legit hebraica veritas. Dixit Dominus, De Basan conuertam: conuertam de profundo maris. ¶ X. Sanguinem hostium Christi intelligit, id est, malignorum spirituum quos vicit Christus, non quòd dæmones sanguinem habeant, sed humano more hæc dicuntur: tunc enim clarissima victoria refertur ab hostibus, cùm non solùm terga vertere compelluntur, sed ad internecionem cæduntur, vt viæ sanguine hostiũ natent, & canes eorum sanguinem lambant. Tale est & illud Esaiæ 63. capite. Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & adspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. ¶ Y. Miris modis in hoc psalmo vetus testamentum cum nouo concordat. Olim enim mirabiliter ingressus est populus Israël Deo ducente mare rubrum, & submerso Pharaone cum exercitu cecinit Moses et filij Israël carmẽ Domino. Et Maria prophetissa soror Aaron sumpsit tympanũ in manu sua, egressæq; sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino: gloriosè enim honorificatus est. In nouo autem testamento Christus resurgẽs ex mortuis, gloriosè cælum ingressus est: & Apostoli principes & duces fidei nostræ iunctis sibi iuuenculis tympanistrijs, id est, animis fidelibus quæ carnem cum vitijs mortificarunt, spirituale canticum Domino cecinerunt. ¶ Z. Fontes Israëlis, appellat apostolos qui propinarunt nobis pręaedicatione et scriptis viuam illam aquam, de qua apud Ioannem Dominus. Qui biberit inquit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum: hos fontes aperuit nobis Saluator noster, vnde & fontes Saluatoris appellantur Esaiæ 12: Haurietis inquit aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Hi fontes typice significati sunt Exod. 16. cap. vbi Moses ita scribit, Venerunt inquit filij Israël in Helim, vbi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ: per duodecim fontes, apostolos duodecim: & per 70. palmas, 70. Christi discipulos denotans: huc referendum est quod habes in Genesi de puteis quos fodit Abraham. Hos cùm obstruxissent terra Palęstini, refodit & aperuit Isaac, appellans eos ijsdem nominibus

quibus vocauerat eos Abraham pater eius. ¶ Aa. Paulum apoſtolum propheta Dauid velut digito demonſtrat, qui de tribu Beniamin fuit, quem adoleſcentulum, vel vt græcè eſt, iuniorem: ſiue, vt Auguſtinus legit, adoleſcentiorem appellat, quòd poſt duodecim apoſtolos nouiſſimus omnium à Chriſto vocatus ſit ad munus apoſtolicum, paſſus Ecſtaſim, id eſt, mentis exceſſum, cùm in Damaſco triduo manſit, nec comedens, nec bibens: vel quem paſſus eſt, cùm attonitus in terram cecidit Damaſcum proficiſcens, de quo & Geneſ. 49. ſub nomine Beniamin, Iacob patriarcha vaticinatus eſt, paucis verbis & perſecutorem & apoſtolum nobis deſcribens. Beniamin lupus rapax manè comedet prædam, & veſperè diuidet ſpolia.

¶ Bb. Apoſtolos principes eccleſię et duces fidei noſtrę denotat his verbis propheta, qui ex tribu Iuda, & tribu Zabulon & Nephthalim, præcipuè orti ſunt, & ad apoſtolatum à Chriſto electi: vnde & Eſaias conſcius futurorũ cap. 9. habet. Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon & terra Nephthalim via maris trans Iordanem. Galilęa gentium, populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. In his enim locis, vt Matthæus ſcribit cap. 4. Ieſus primùm prædicare cæpit euangelium ſecedens in Galilęam, & habitans in Capharnaum ciuitate maritima in finibus Zabulon & Nephthalim.

Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus [Cc] quod operatus es in nobis. A templo tuo quod eſt in Hieruſalem, tibi offerent reges munera. Increpa [Dd] feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos qui probati ſunt argento. Diſſipa gentes quæ bella volunt: venient legati ex AEgypto [Ee]: AEthiopia præueniet manus ei⁹ Deo. Regna terrę cãtate Deo, pſallite Domino, Pſallite Domino qui adſcendit ſuper [Ff] cælum cæli ad Orientem [Gg]. Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo, ſuper Iſraël magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus.

¶ Cc. Hoc eſt, O Deus pater, præcipe Chriſto tuo qui eſt virtus & ſapientia tua, vt perficiat ea quæ in nobis cœpit. Quod idem alijs verbis precatur Dauid ex perſona Eccleſiæ dicens: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, id eſt, donum baptiſmi quod contuliſti, Spiritus ſancti infuſione confirmes, vt opitulante gratia tua digni reddamur diuinis tuis promiſſionibus. Tu enim operaris in nobis & velle & perficere, à quo & initium boni operis & conſummatio proficiſcitur. Quod vbi feceris, reges, id eſt, ſancti qui ſuis dominantur affectibus, & in quibus non vltrà peccatum, ſed iuſtitia & tuus ſpiritus regnat, offerent tibi myſtica munera: non aurum, thus & myrrham, ſed quod ijs muneribus ſignificatur.

¶ Dd. Hebraica veritas ſingulariter legit hoc modo: Increpa beſtiam calami ſiue arundinis, diabolum ſignificans, qui domicilium ſuum habet in ijs, qui leuitate & inconſtantia arundinibus aut calamis ſimiles ſunt, qui aquis voluptarijs, & cœno vitiorum aluntur: vnde de diabolo dictum eſt Iob 40. Sub vmbra dormit in ſecreto calami in locis humentibus. At 70. pluraliter reddiderunt, Increpa feras arundinis: quod tametſi de malignis ſpiritibus conuenienter accipi poſſet, Auguſtinus ad hæreticos retulit, quos feras calami nuncupari dicit, quia corrumpunt & peruertunt ſcriptis ſuis ſyncerum ſenſum diuinarum ſcripturarum. Per calamum enim inquit, tam conuenienter ſcripturæ ſignificatur quàm ſermo per linguam: eoſdem propter ſuperbiam & ferociam tauros appellat, quorum congregatio eſt præcipuè inter vaccas populorum, hoc eſt, idiotas & ſimplices, rerum imperitos & inexpertos, qui quòlibet ſe abduci patiuntur ſi ducẽ habeãt, nõ ſecùs atq; vaccæ quę taurũ ſequũtur. Quòd autẽ interpres vertit, vaccas, gręcè eſt δάμαλις, quod propriè iuuecã, id eſt, tenerã & iuuenẽ vaccã ſignificat: Autor eſt enĩ Phociõ apud Athenęũ, omne animal in iuuẽtute δάμαλιν vocari. Porrò hęreticorũ hoc ſtudiũ vnicũ eſt, vt eos qui diuinis eloquijs probati ſunt,

retrahant

retrahant à via iustitiæ,& excludant è regno cælorum, de quibus apostolus scribens Galatis, Æmulantur inquit vos non bene,sed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. ¶ Ee. Ægypti & Æthiopiæ appellatione, vniuersitas gentium significatur, quæ legatos ad Deum misisse dicuntur, quia per fidem euangelicam quam amplexi sunt,Deo reconciliarunt se:vel legatos,vocat prædicatores,qui etiam ex gentibus sunt missi ad alios conuertendos: vnde Paulus, Legatione inquit pro Christo fungimur tanquam Deo exhortante per nos.Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo, & hoc pacto manus nostra præuenit,hoc est,festinat offerre munus Deo.Hebr.autem veritas sic legit versiculum hunc: Offerantur velociter ex Ægypto, Æthiopia festinet dare manus Deo. ¶ Ff. Cælum cæli appellat per excellentiam quandam,vt sancta sanctorum,seculū seculorū. Sunt enim & alij cęli inferiores:vnde volucres cęli appellantur,& Paulus in tertium cælū se raptum fatetur:at Christus super omnes hos cęlos adscendit ad thronum Dei,vbi Deus lucem habitat inaccessibilem,qui locus diuinitati peculiaris est:vnde Dauid psal.113. Cęlum cęli Domino,terram autē dedit filijs hominum.Porrò ad orientē adscendisse dicitur,vel quòd mons Olíueti quē adscendit Christus profecturus in cælum,spectet orietem euntibus Hierosolymis, vel quod Christus, Oriēs apud prophetas appellatur,qui solē suæ diuinitatis induxit tenebris huius mūdi.

¶ Gg. Id est,voci suæ maximā vim & fortitudinem addet,quę tantæ virtutis erit, vt corpora mortuorum in cinerem & puluerem collapsa vitæ restituat. De qua voce ita apud Ioannem Christus:Venit hora,& iam est,vt omnes qui in monumentis sunt, audiant vocem filij hominis,& qui audierint,viuent: & tunc illius magnificentia declarabitur super verum Israëliticum populum, cùm veniens cum potestate magna in nubibus cæli,mirabilia operabitur in sanctis suis:tunc enim dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, cum hoc fragile & infirmum corpus gloriosa immortalitate vestietur:& quod nunc sepelitur,& quasi seminatur in ignobilitate & infirmitate, resurget in gloria & virtute.

A *In finem,pro his qui commutabuntur.* *Psalmus* *LXVIII.*

SAluum me fac Deus,quoniam intrauerunt B aquę vsq; ad animam meam.Infixus sum in limo profundi,& non est substantia. Veni in altitudinē maris,& tempestas demersit me.Laboraui C clamans raucæ factæ sunt fauces meæ,defecerūt oculi mei dū spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei,qui oderūt me gratis.Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniustè, quæ D non rapui tunc exsoluebam. Deus E tu scis insipientiam meam,& delicta mea à te non sunt abscondita. Non erubescant in me qui expectant te Domine virtutum.Non confundantur super me,qui quęrunt te Deus Israël. Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.Extraneus F factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & G opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

¶ A Psalmus hic sacramentum passionis dominicæ continet,& orationē dominici hominis,id est,Iesu Christi iuxta assumptum hominē cōplectitur,sic tamen vt nōnulla ad mēbra Christi mystica,id est,ad nos referantur potiùs quā ad ipsum caput, hoc est, Christū, quale est illud,Infixus sum in limo profundi:& illud,Deus,tu scis insipiētiam meā etc.idq; propter cōmunionem capitis & mēbrorū. ¶ B. Aquas tribulationum dicit:vnde alibi,Libera me de aquis multis,& de manu filiorū alienorū: verùm quoniam sequens versiculus non tam ad Christū quàm ad mēbra illius mystica,hoc est,ad nos refertur,possumus per aquas intelligere,mortiferas voluptates & vitiorum illecebras quæ animam suffocant,& in perpetuam mortem demergunt, vt oret animas populi sui iam moriētes saluari:de his aquis Dominus apud Hieremiam c.2. Et nūc quid

tibi vis in via Ægypti,vt bibas aquã turbidã?& quid tibi cum via Aſſyriorũ,vt bibas aquam fluminis?de quibus et Dauid alibi:Super flumina Babylonis illic ſedimus et fleuimus,dum recordaremur tui Sion : huic interpretationi ſuffragatur & ſequens verſiculus.Infixus ſum in limo etc. Nam limum profundi,vocat vetera peccata,quæ longa conſuetudine tam familiaria nobis facta ſunt,vt in naturam quandã tranſierint,quibus ita infigimur & inhæremus , vt egerrimè hinc extrahamur , in quibus benè dicit non eſſe ſubſtãtiam,hoc eſt,ſolidum aliquid & firmum in quo ſubſiſtamus,quia ſemper ex vno peccato in aliud grauius pertrahimur:vnde ſupra gratulabundus cecinit : Eduxit me de lacu miſeriæ & de luto fecis,& ſtatuit ſuper petrã pedes meos. ¶ C. Laboraſſe ſe dicit & ad raucedinẽ vſquè clamaſſe,ſignificãs ſummũ conatũ & ſtudiũ ſuũ in prædicando & docendo & arguendo:vnde et euangelia habẽt,eũ inter docẽdũ ſępius exclamaſſe,& inter arguẽdum toties ingeminaſſe illud væ,apud Scribas & Pharizęos dicẽdo,Vę vobis Scribę & Pharizęi. ¶ D. Diabolus primus rapinã diuinitatis animo concepit dicens : Ponam ſedem meam in Aquilone,& ſimilis ero altiſſimo. Idem que autor & ſuaſor fuit homini protoplaſto , vt eandem rapinam meditaretur , cui falsò perſuaſit,ſi ederet de vetita arbore,eum ſimilem Deo fore , qua ſpe illectus homo guſtauit de fructu ligni ſcientiæ boni & mali , & inobedientia hac ex beata illa immortalitate excidit : hanc autem rapinam , id eſt, pœnas huius rapinæ exſoluit filius Dei , qui cùm in forma Dei eſſet, citra rapinam ſimilis per omnia Deo exinaniuit ſeipſum formam ſerui accipiens. ¶ E. Ex perſona membrorum , hoc ſine controuerſia accipiendum eſt.Nam quæ inſipientia aut ſtultitia in Chriſto eſſe potuit,qui fuit patris ſapientia? & quæ delicta in eo qui agnus fuit ſine macula ? Sed hæc quæ membrorum erant,ad caput, id eſt, ad ſe retulit, qui peccata noſtra in ſe tranſtulit,& ſummam illam ſtultitiam,per quam perdidimus cæleſtem dignitatem , non intelligentes diuinos honores quos Deus homini contulit, quem ad imaginem ſuam condidit. Eſt itaque ſenſus : Deus,tu ſcis quomodo humani generis delicta & ſtultitiam in me tranſtuli,vt hæc cruciatibus & ignominioſa morte mea delerem.

¶ F. Fratres ſuos, vocat Iudæos, quòd eiuſdem eſſet gentes ſecundum carnem. Sic & Apoſtolus Paulus cap.9. ad Rom : Omnes Iudæos , fratres & cognatos ſuos appellat . Optabam enim inquit , egoipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis qui ſunt cognati mei ſecundum carnem , qui ſunt Iſraëlitæ , eoſdem vocat filios matris ſuæ , matrem appellans ſynagogam . His autem alienus & peregrinus factus eſt, cùm dicerent eum Samaritanum : & iterum cùm dicerent , Moſi ſcimus quia locutus eſt Deus:hunc autem neſcimus vnde ſit : propterea autem noluerunt eum agnoſcere Iudæi,quia zelo domus Dei, hoc eſt, animarum commotus,duriùs arguit eorum peccata, flagris expellens eos ex templo qui in eo vendebant & emebant : quod cùm faceret Chriſtus , vt habet Iohannes cap.2. euangelij ſui,Recordati ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt : Zelus domus meæ comedit me. ¶ G. Qui enim filio exprobrat,idem & patri exprobrare dicitur & ediuersò . Quare Iudæi exprobrantes Chriſto dicentes illum inſanire & dæmoniacum eſſe , probra iaciebant in patrem . Verùm hæc omnia reciderunt in filium,quę filius libens pertulit,vt honorem patris propagaret : vnde Apoſtolus ad Romanos capite 15 . vſus eſt hoc teſtimonio : Docet nos exemplo Chriſti debere ferre infirmitates aliorum , & noſtro malo & incommodo ſtudere prodeſſe,& promouere ſalutem proximorum . Debemus inquit nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere,& non nobis placere . Vnuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem . Etenim Chriſtus non ſibi placuit : ſed ſicut ſcriptum eſt , Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.

Et operui H in ieiunio animam meam , & factum eſt in opprobrium mihi Et poſui veſtimentum meum cilicium , & factus ſum illis in parabolã Aduerſum me loquebãtur qui ſedebãt in I porta,& in me pſallebãt qui bibebãt vinũ. Ego verò orationẽ meã ad te Domine,tempus beneplaciti Deus In multitudine miſericordię tuę,exaudi me in veritate ſalutis tuæ. Eripe me de luto vt non infigar, libera me ab his qui oderũt me, & de profundis aquarũ. Non me demergat tẽpeſtas aquæ, neque

D Hier.ad heb. veritatẽ clariùs vertit hoc modo.Mea autem oratio ad te Domine, tẽpus recõciliationis eſt Deus.

neq; absorbeat me profundũ,neq; vrgeat super me K puteus os suum. Exaudi me Domine,quoniam benigna est misericordia tua,secũdum multitudinem miserationũ tuarũ respice in me. Nõ auertas faciẽ tuam à puero tuo:quoniam tribulor,velociter exaudi me.

¶ H. Istud accipi potest vel de corporali ieiunio,quo vnicus Dei filius se afflixit, vt euangelia testantur:vel de spirituali ieiunio & fame, qua afflictus est esuriens & sitiens salutem humanam.Operiri autem idiomate hebraico,est vndique circundari,affligi,angustia & anxietate contrahi: vnde illud alibi, Operiatur velut diploide confusione sua: & iterum hoc eodem psalmo,Operuit cõfusio faciem meam:& alibi,Labor labiorum ipsorum operiet eos:sic hoc loco,Anima operiri dicitur ieiunio, quæ vndiq; affligitur & obruitur tristitia & luctu . Per ieiunium enim & ciliciũ quæ in luctu assumi solent,mœror animi & luctus significatur. ¶ I. In portis olim apud Iudęos exerceri solebant iudicia publica:vnde illud Prouerbiorum vltimo,Nobilis in portis,vir eius quando sederit cum senatoribus terræ, & illud Prouerb.22.Neque conteras egenum in porta,hoc est, non opprimas pauperem in publico iudicio . Sic hoc loco per eos, qui sedebant in porta,scribas,legisperitos, principes sacerdotum & pontifices Iudæorum intelligimus,qui causas discernebant,& in publico iudicio aduersus omnem æquitatem necem Christo moliebantur: & hi ebrij vino malarum cupiditatum, libidinis,auaritiæ, & superbiæ,cantabant & psallebant aduersus Christum insultantes illius malis & supplicijs. ¶ K. Per profundum & puteum hoc loco,intelligimus Barathrum peccatorum , vt accipiamus hæc non pro se,sed pro suis orare membris Christum:vnde de peccatore dixit Salomõ in Prouerbijs,Impius cùm venerit in profundum,contemnit, sed sequitur illum ignominia & opprobrium : & iterum cap. 23. sub nomine meretricis,de hęreticorum & impiorum synagoga idem dixit,Fouea profunda meretrix,& puteus angustus os alienæ.Si verò de Christo hæc intelligere libet, per puteum,infernum significat : vnde & alibi dixit , Quoniam non derelinques animam meam in inferno,nec dabis sanctum tuum videre corruptionem: & alibi rursus, Eruisti animam meam ab inferno inferiori.

Intende animæ meæ, & libera eã,propter inimicos meos eripe me.Tu scis improperium meum & cõfusionem meã, & reuerentiã L meã.In conspectu tuo sunt omnes qui tribulãt me, improperiũ expectauit cor meũ & miseriã.Et sustinui qui simul M cõtristaretur,& nõ fuit qui consolaretur & non inueni.Et dederunt in escam meã fel,et in siti mea potauerũt me aceto . Fiat N mẽsa eorũ (coram ipsis)in laqueũ,& in retributiones et in scandalũ.Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum O eorum semper incurua.Effunde super eos iram tuam , & furor iræ tuæ comprehendat eos.Fiat habitatio eorum deserta,et in tabernaculis eorum nõ sit qui inhabitet.Quoniam P quem tu percussisti persecuti sunt,& super dolorẽ vulnerũ meorũ addiderũt. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum,& non intrent in iustitiam tuam.

¶ L. Quod interpres noster vertit hoc loco reuerentiam, græcè est,ἐντροπή,quod hic potiùs pudorem,vel vt ferè reddit,confusionem denotat : cùm enim quis pudore & ignominia afficitur,ἐντρέπεσθαι dicitur, quamuis etiam reuerentiam significat:verùm reuerentia laudem sonat , & in bonam partem vsurpatur:pudor siue confusio in malam partem sumitur: vnde ad hebraicam veritatem Hieronymus,Tu scis opprobrium meum & cõfusionem meam , & ignominiam meam. ¶ M. Cõmœrentis & consolantis non solatium (inquit Hilarius) sed fidem requirit, vt si quis veniens ex lege harum omnium passionum intelligens prophetiam , secum tanquam in consummatione legis assisteret, solatium quoddam afflictionum Christo afferret . Sed cùm

venisset ad perditas oues domus Israël, expectans consolantem & commœrẽtem, non inuenit nec habuit: non quòd consolatione eguit sponte passus & mortuus, sed non habuit nec inuenit qui secum cõtristaretur super impietate totius populi, & qui ipsum sua ipsius salute consolaretur, vt omnibus tanto scelere & impietate contaminatis, solatium, in his saltèm qui salui fierent, acciperet, iuxta illud Deuter.32. Et in seruis suis consolabitur, quia non credente Israëlitico populo, gentes in eum essent crediturae.

¶ N. In sacris literis duplex est mensa: Est enim sacrificiorũ mensa, de qua Apostolus scribẽs Corinthijs, Nõ potestis inquit mẽse Domini participes esse & dæmoniorum. Est & mensa scripturarum sacrarũ, quam Hilarius mensam scientiæ siue doctrinæ appellat: vnde cibus ille animæ spiritualis sumitur, de qua Salomon in Prouerbijs: Sapientia inquit miscuit vinum, parauit mensam, de qua illud accipiendum putat Origenes quod in Prouerb. est alibi. Quando sederis ad mensam potentis, diligenter attende & intellige quæ tibi apponuntur. Hæc facta est perfidis Iudæis scandalum & offendiculum, quia carnaliter legem intelligentes, ex scripturis sacris ansam suæ infidelitatis acceperunt, & sinistra legis & prophetarũ interpretatione illaqueati & capti sunt, quod nec Esaias tacuit futurũ cap.28. Et erit illis inquit verbũ Domini vt vadát & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur & capiantur. Omnia autem hæc illis acciderunt in retributionem impietatis & maximæ ingratitudinis erga Deum & Messiam, hoc est, Christum suum. ¶ O. Dorsum incurua, id est, perpetua seruitute Romanorum illos deprime: vel quia indigni sunt, vt intelligentiæ sensum ac lumen euangelicæ fidei accipiant, perpetuò deprimantur oneribus legis Mosaicæ, vt ferant quod sustinere non possunt: per incuruationem enim dorsi, intolerabile legis pondus significatur. ¶ P. Deus pater percussisse dicitur filium suum iuxta carnem assumptá, quia mortalẽ illũ nasci voluit. Sic enim vniuersum genus humanũ percussum est à Deo in Adam primo parente, quia morti obnoxium factum est. Quisquis igitur persequitur & sæuit in hominem moriturum, is persequitur eum quem Deus percussit: & quia apostolos persecuti sunt, & in fideles sæuierunt, postquam Christum occiderũt, addiderunt super dolorem vulnerum grauiora vulnera: vnde aucta est iniquitas eorum, quam semper grauioribus sceleribus cumulatiorem reddiderunt, qua à Dei iustitia exclusi sunt, suam, id est, legis iustitiam stabilire & defendere volentes.

Deleantur Q de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Ego sum pauper & dolẽs, salus tua Deus suscepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, magnificabo eum in laude Et placebit Deo, super vitulum nouellum cornua R producentem & vngulas. Videant pauperes & lætentur, quærite Deum & viuet anima vestra. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit. Laudent illum cæli & terra, mare S & omnia reptilia in eis. Quoniam Deus saluam T faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ. Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam. Et semen seruorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

¶ Q. Liber viuentium siue liber vitæ, & liber iustorum, idem est in sacris literis, de quo Moses Exodi 32. Si nõ dimittis (inquit) illis noxã hãc, dele me de libro quem scripsisti: & Christus apud Lucã, Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælo: & Apocalyp. 21. Nõ intrabit in eã aliquid coinquinatum aut abominationem faciens & mẽdacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ. Porrò liber hic viuentium siue iustorum nihil est, nisi diuina prædestinatio & electio, qua Dominus nouit qui sunt sui. Non itaque sic accipiendus est locus hic, quasi is qui semel in hoc libro vitæ scriptus est, deleri posset: aut qui deletur, scriptus aliquando fuerit in hoc libro. Nã vt Paulus habet ad Rom.11. Sine pœnitentia sunt dona Dei & vocatio. Deleri ergo dicuntur impij, qui falsò persuadebant se scriptos in hoc libro, cùm iam suam damnationẽ intelligent, & indignos se esse cognoscẽt qui in libro vitæ scribantur, quod explicat id quod sequitur: Et cum iustis nõ scribantur. ¶ R. Per cornuũ & vngularum productionem

ductionem quæ corporis iam augescentis indicia sunt, primam illam iuuencorũ ætatẽ denotat, in qua cornua & vngulæ excrescere solent: vitulus autẽ, in lege hostia erat pro peccato. Est itaque sensus: Gratius erit illi hoc meum laudis sacrificium, quàm sacrificium vituli immolati. ¶ S. Non est apud 70. interpretes græcè, Omnia reptilia in eis, sed ἐν αὐτῇ, id est, in ipso, videlicet mari. Cùm autem in mari sint natatilia potiùs quàm reptilia (vt Hilarius inquit) per mare, symbolycῶs infernum significat: & per reptilia, dæmones, qui serpẽtum appellatione in sacris literis sæpe denotantur. Inuitat itaque propheta cælestia, terrena, & inferna, ad laudandum Deum propter salutem quam cõtulit humano generi per Iesum Christum: hinc & Paulus, In nomine inquit Iesu, omne genu flectatur cælestium terrestrium & infernorũ. Eodem modo Hilarius legit. Et omnia repentia in eo: hebraica tamen veritas legit, in eis, vt ad terram & mare referas. ¶ T. Sion qui mõs fuit cohæres Hierosolymorũ vrbi, ecclesiam catholicã denotat. Ciuitates autem Iudææ, particulares ecclesias in confessione vnius veri Dei cõgregatas. Ciuitates enim teste Ciceron lib. 6. de rep. nihil aliud sunt, quàm conuentus hominũ iure sociatione quis autẽ hæc carnaliter Iudæorũ more intelligat, & ad hanc remp. carnale tantùm semen Israël pertinere existimet, addit: Et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea, vt religionis & pietatis sit, non generis electio. Nam carnalis Israël nomen Domini, id est, Christum oderunt.

[A] *In finem, Psalmus Dauid in rememoratione eò quòd saluum fecit eum Dominus.* *Psalmus* LXIX.

DEus in adiutorium meũ intende, Domine ad adiuuandũ me festina. Cõfundãtur & reuereãtur, qui quærũt animã meã [B]. Auertantur retrorsum & erubescãt, qui volunt mihi mala. Auertãtur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge [C] euge. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper, magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum. Ego verò egenus sum & pauper, Deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus es tu, Domine ne morẽris.

¶ A. Titulus huius psalmi apud 70. in græcis exemplaribus clarior est, quàm in latinis codicibus & paulò aliter habet, hoc nimirum modo. In finem psalmus Dauid, ad commemorandum siue suggerẽdum vt saluum me faciat Deus. Quod enim vertit ad rememorandum, græcè est εἰς ἀνάμνησιν: Porrò ἀναμνῶ est suggero, in memoriam reduco, & memorem facio. Continet enim psalmus orationẽ Christi iuxta hominem assumptum, vel pro se, vel pro membris suis implorantis opem diuinam, vt liberetur ab hostibus, & vt illis pudefactis & terga vertẽtibus, exultẽt & lætentur ij qui Deum quærunt, & gaudent de salute per Iesum Christum collata humano generi. Non ergo debuit interpres latinus græca vertere per præteriti temporis verbum, eò quòd saluum me fecit, sed vt saluũ me faciat. ¶ B. Hilari⁹: Auertãtur, ne videlicet occurrãt cum sanctis obuiàm Christo in aërem rapti, idq; retrorsum, hoc est, ad eadẽ loca vnde producti erant. Surgentes enim impij ex mortuis, rursum detrudentur in infima terræ vnde emerserant. ¶ C. Euge, interiectio est siue aduerbium (Nam græci interiectiones omnes annumerãt aduerbijs). Est autẽ vox, qua laudamus aliquẽ & ad similia cohortamur: vnde illud euangelicum, Euge serue bone & fidelis, loco cuius vtuntur latini hac voce, Macte: vnde illud Virgilianũ, Macte noua virtute puer, sic itur ad astra: hoc autem loco vox est deridentis aut insultantis alicuius malis: vnde ad hebraicam veritatem reddidit Hieronymus, Qui dicunt mihi vah, vah: notat enim illos qui deridebant & insultabant Christo crucifixo dicentes, Vah qui destruis templum Dei, & in triduo reædificas illud, vt habet Marcus cap. 15. Augustinus tamen hoc loco putat voces has, euge euge, esse adulantium. Sæpe enim tentatur & oppugnatur animus hominis adulationibus & falsis laudibus. Nam hoc modo & Christum adorti sunt dicẽtes: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, nec est tibi cura quoquam, nec accipis personam hominis.

Psalmus David, [A] *filiorum Ionadab & priorum captiuorum.*

PSALMVS LXX.

IN te Domine speraui non confundar in æternum, in iustitia tua libera me & eripe me. Inclina ad me aurem tuam, & salua me. Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitum, vt saluum me facias. Quoniam firmamentum meum, & refugium meũ es tu. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui. Quoniam tu es [B] patientia mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea. In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus. In te cantatio mea semper, tanquam prodigium [C] factus sum multis, & tu adiutor fortis. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Ne proiicias me in tempore senectutis [D], cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me. Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in vnum: Dicẽtes, Deus dereliquit eum, persequimini, & cõprehendite eum, quia non est qui eripiat. Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice. Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confusione & pudore qui quærunt mala mihi.

Diuisio.

¶ A. Psalmus hic septuagesimus apud heb. est ἀνεπίγραφος, idest, titulo, siue inscriptione carens. Quare cùm eiusdẽ ferè sit argumenti, cuius est præcedens, vnus psalmus videri esse potest sexagesim⁹ nonus, & hic qui apud nos est 70. numero. Psalmus 26. cum primo, à nonnullis vnus esse existimatur, quòd vterque titulo careat vt ibi à nobis annotatum est. Septuaginta autem interpretes hanc inscriptionem psalmo huic dederunt: Psalmus ipsi Dauid, filiorum Ionadab, & priorum captiuorũ. Porrò Ionadab huius fit mentio Hieremiæ 35. cap. Is enim filijs suis præcepit, vt perpetuò à vino abstinerent, & nunquam in domibus habitarent, sed in tabernaculis, quod religiosissimè obseruauerunt: vnde voce Domini de hac obedientia collaudantur apud Hieremiam, & horum comparatione coarguitur filiorum Israël obstinatus animus, qui Deo obedire noluerunt, & ob id in captiuitatem ducti sunt. Psalmus itaque hic ad Christi humanitatẽ referendus est, auxiliũ Dei patris contra hostes suos implorantis. Appellatur filiorum Ionadab & priorum captiuorũ, quia Christi passio omnibus proponitur pijs & euangelio obedientibus, vt Christi exemplo patiẽter aduersa ferant, & innocẽtiam suam constanter seruent: peccatoribus autem qui sub diabolo captiui tenentur, vt inuitati nimia hac Christi erga nos charitate, ad Deum conuertantur.

¶ B. Quod interpres latinus vertit, patientia mea es tu. D. Hieron. ad hebraicam veritatem clariùs vertit, expectatio mea es tu. Nam græca vox ὑπομονή, vtrumq; significat, & patientiam & expectationem. Est itaq; sensus: Tu es expectatio mea, id est, is quem expecto: vel vt nos legimus, patientia mea, hoc est, is propter quem hæc patienter fero. ¶ C. Prodigium siue portentum vt Hiero. vertit, se habitũ & existimatum à multis dicit, quia æmuli ipsius dicebant illum insanum, dæmoniacum, Samaritanum & hominem voracem, & vini potatorem, & ob id prodigiosæ temeritatis & impietatis, qui se filium Dei appellaret. ¶ D. Habet anima suam iuuentá, quoties florida est virtutibus, & integras habet suas vires ad obsistendum diabolo: habet etiam suam senectutem, quum in ea refrixit charitas, & vires debilitantur, & ad omnia pietatis officia segnis & inepta redditur, quod senium peccandi consuetudine contrahitur: vnde alibi propheta: Inueteraui inquit inter omnes inimicos meos. Sicut contrà de anima pia dictum est, Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Ex persona itaque membrorum suorum precatur hæc Christus, ne Deus gratiam & misericordiam suam

auferat

auferat à nobis, quoties in peccata prolapsi sumus: vel senectutis tempus vocat, vltimam mundi ætatem cùm abundabit iniquitas, & refrigescet multorum charitas, ne ecclesiam suam tunc derelinquat Deus, cùm Pseudoprophetæ tanta edent prodigia, vt in errorem inducātur etiam si fieri posset electi vt Christus habet apud Matthæum cap. 24. capite: tunc enim mundus verè senescens ad interitum verget.

Ego autē semper sperabo: & adiiciam [E] super omnem laudē tuam. Os meū annūciabit iustitiā tuā: tota die salutare tuū. Quoniam non cognoui literaturā, [F] introibo in potētias Domini, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Deus docuisti me à iuuētute mea, & vsque nūc pronunciabo mirabilia tua. Et vsq; in senectā & senium, Deus ne derelinquas me. Donec annunciē [G] brachiū tuū generationi omni quæ vētura est. Potentiam tuā & iustitiam tuā Deus vsq; [H] in altissima, quæ fecisti magnalia, Deus quis similis tibi? Quātas mihi ostēdisti mihi tribulationes multas & malas, & cōuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterū reduxisti me. Multiplicasti magnificentiā tuam: et conuersus consolatus es me. Nā et ego confitebor tibi in [I] vasis psalmi veritatē tuam Deus, psallam tibi in cithara sanctus Israël. Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi & anima mea quam redemisti. Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam, cùm confusi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.

¶ E. Est ne aliquid inquit Aug. quod adijciatur perfectis laudibus Dei? laudatus est Deus in omnib⁹ bonis factis, in omni creatura sua, in gubernatione & regimine seculorū, in ordine temporū, in eminētia cæli, in fœcunditate terrarū, in circūcisione maris, in electione patriarcharū, in danda lege, in liberando populū suum, in omnibus mirabilibus suis. At nondum laudata erat immensa illius benignitas & misericordia in redimendo humano genere, & cōdonandis peccatis, & mortalē hanc carnem, & perpetuæ corruptioni destinatā, suscitādo ad immortalē vitā. Hoc itaque est quod omni laudi, hoc est, absolutæ illius laudi adijciendum erat, hæc sunt incrementa illa, & hæc magna illa accessio est diuinarum laudū, de qua & Abacuc propheta cecinit: Operuit inquit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. ¶ F. Hæc ex persona corporis sui mystici quod est ecclesia dicit Christus: eodē modo omnia sequētia vsque ad finē psalmi accipi possunt, tametsi nonnulla ad Christi personā aptè etiam referri possunt. Dicit itaq; ecclesia se non cognouisse literaturā, quia nihil tribuit literæ occidenti, hoc est, cæremonijs & sacrificijs legalibus, quę omnia vmbrę erāt rerū futurarū, & per euangelicā legē abolita sunt, in quibus Iudaicus populus absolutā iustitiā collocabat, cui adeò fidebat, vt euangelicam gratiā & iustitiam quæ est fide repelleret. Literatura itaque hoc loco, non significat eruditionem: nā illa græcè παῖδα appellatur, sed carnalem illam legis Mosaicæ obseruantiam, quam Apostolus literam vocat: vnde & 70. hoc loco γραμματείας appellant, quasi dicas, scribarum scientiā: γραμματεὺς enim scriba dicitur, porrò scribarū officium erat literam & exteriorem illā legis corticē explanare populo. Verùm ecclesia erudita & docta per Spiritū sanctū, omnia hæc reijcit, nec suæ iustitiæ fiduciā habet, sed solius Dei iustitiæ recordatur, qua Deus per fidē impiū iustificat, & vbiq; prædicat potētissimā gratiā, qua sine operib⁹ legis mortuos peccatis De⁹ viuificat. ¶ G. Christus vnicus Dei filius, in sacris literis brachiū Dei appellatur, ideo quòd per filiū pater omnia operatur, & maximā suā potentiā declarauerit eripiēs à diaboli tyrānide humanū genus: in brachijs enim & lacertis præcipuū robur corporis situm est: vnde & mater Domini in cantico suo, Fecit potentiam inquit in brachio suo, hoc robur suū ostēdit per filiū suum. Orat itaque ecclesia ne derelinquatur à Deo, donec Christum annunciet omnibus gētibus venturis. Id enim Christus promisit, non prius aduenturū finē mūdi, q̄uā euāgeliū annūcietur apud omnes gētes. ¶ H. Nō solùm potentiam & iustitiam suam declarauit Deus erga homines qui in terra versantur, & infimis locis, sed etiam in altissimis, hoc est, in summis cælis hæc ostendit,

vbi sunt angeli, throni, dominationes, & potestates, in quibus diuinam suam potentiam declarauit, cùm illos condidit & innumeris dotibus ornauit, & in bono confirmauit. Iustitiam declarauit, cùm angelos apostatas, hoc est, desertores sui ordinis expulit è beatis illis sedibus. ¶ I. Vas idiomate hebraico pro quolibet instrumẽto capitur: vnde apud Hieremiã vasa belli, appellantur instrumenta & arma bellica: & apud Ezechielem cap. 9. Et vnusquisq; in manu sua habebat vas interfectionis, hoc est, ferrum aut gladium quo interficimus aliquẽ. Tale est & illud apud Lucam: Vade inquit Dominus, quoniam vas electionis est mihi iste, id est, instrumentum siue organum electum. Sic hoc loco vasa psalmi appellat musicum instrumentum, ad quos canebantur psalmi, quod alibi decachordum psalterium appellat.

A *In Salomonem psalmus.* *Psalmus* LXXI.

DEus iudiciũ B tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio C Suscipiãt montes pacem populo, & colles iustitiam. Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit D calumniatorem. Et permanebit E cum sole & ante lunam, in generatione & generationem. Descendet F sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus eius iustitia, et abundantia pacis, donec G auferatur luna. Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo H procident æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent.

¶ A. Psalmus hic apud hebræos & apud 70. interpretes, non habet aliam inscriptionem quàm hanc: In Salomonem: vnde & Iudæi suo more carnaliter omnia intelligentes de Salomone, quem Dauid Rex ex Betsabeę genuit, hũc psalmum intelligũt, & repugnantem literam ad illum detorquent, cùm manifestò constet falsum esse de illo, quod permãserit cũ sole & ante lunam in generatione & generationem: & illud similiter quòd adorabunt eum omnes reges, & omnes gentes seruient illi, & quòd in ipso benedictæ sunt omnes gentes, & ante solem permanet nomen eius, qui amoribus mulierum deditus, relicto vero Deo ad idololatrium declinauit, & adeò Deũ offendit, vt turbata pace regni illius, hostes illi suscitarit, & regnum sciderit & seruo illius tradiderit, seruata tãtùm vna tribu filio Salomonis, vt habet 3. Regum, cap. 11. Quare de vero Salomone, id est, Christo, totus hic psalmus canitur. Salomon enim hebraicè, pacificus sonat latinè, quæ interpretatio bene Christo competit, qui per sanguinem crucis suæ pacificauit & quæ in cælis & quæ in terris sunt, & qui est mediator noster & pax nostra, vt habet Paulus. ¶ B. Orat propheta accelerari aduentum Domini in carnem, vt liberetur à diaboli tyrannide humanum genus. Quare optat, vt Deus pater omnem iudicandi potestatem tradat filio iuxta humanitatem. Nã iuxta diuinitatem qua per omnia similis est patri, ab æterno hanc iudicandi potestatem & omne ius regni habuit: tale est & illud Matthæi vltimo, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: de hac autem iudiciaria potestate Christus apud Iohannem, Pater (inquit) non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium. Christum autem hoc loco regem vocat, & eundem filium regis appellat, quia et Deus pater Rex est: vnde Apostolus ad Timoth. vltimo cap. prioris epistolæ: Vsque in aduentum inquit Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens Rex regum, & Dominus dominantium, Deum patrem sine controuersia significans. ¶ C. Montes vt in superioribus quoq; annotauimus & colles, apostoli, euangelistæ & sancti qui his successerunt, appellantur propter virtutes eximias quibus cæteros excelluerunt. Hi susceperunt & quotidie suscipiunt pacem & iustitiam Dei vt illum populo annuncient, quia tanquam legati à Deo mittuntur: vnde præcipuus quidam ex his montibus, Paulus nimirum apostolus, scribit Corinthijs 2. cap. 5.

cap.2.epistolæ.Posuit Deus in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante,per nos obsecramus pro Christo,recōciliamini Deo.Pauperes autē hoc loco & alijs pluribus locis sacrarum literarum in bonam partē accipiuntur, pro humilibus & ijs qui suæ iustitiæ suisq; meritis nihil fidunt. His enim Christus apud Matth.5.cap.regnū cęlorū promittit.Apostolos itaq; pauperes appellat,& filios pauperū eos,quos per euāgeliū Christo genuerūt, de quibus Sophonias cap.3. Auferā inquit de medio tui magniloquos superbiæ tuæ,& derelinquā in medio tui populū pauperē & egenū, & sperabūt in nomine Domini. ¶ D. Calumniatorem diabolū appellat. Græca enim vox apud 70.est συκοφάντης,quæ duo apud græcos significat,& calūniatorē,hoc est, qui falso crimine aliquē accusat: & delatorē, quorum vtrūq; diabolo peculiare est, qui innocentiā Iob calumniatus est apud Deum dicens: Nūquid gratis Iob timet Deū?Extende manū tuā & tange cūcta quæ possidet, nisi in facie benedixerit tibi.Idē autor fuit Iudęis Christū persequentibus,vt falsis criminibus Christum accusarent: vnde & Iohan. Apocalyp.12. diabolum accusatorem vocat dicens: Proiectus est accusator fratrum nostrorum,qui accusabat illos ante conspectum Dei,die ac nocte. Hunc itaque calumniatorem Christus ex morte resurgens humiliauit,hoc est,depressit, & victū humi prostrauit. ¶ E. Non hunc solē dicit creatum aut lunam hanc:parum enim esset si Christus cum hoc sole maneret qui vnà cum cęlo & terra periturus est: sed Deum patrem solem appellat, cuius splendor filius appellatur:vnde Apostolus ad Hebr.de filio loquens.Qui cùm sit splendor gloriæ nimirū paternæ, & figura substantiæ eius, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Est itaque hic sensus, Christus victo diabolo post resurrectionem cælos conscendet, nec ampliùs morietur,sed in perpetuum ad dexteram patris residebit. Et ne quis illum aliquando cœpisse, & cum reliquis creaturis initij sui ortus habuisse opinetur, quod blasphemus euomuit Arius,& ante illum Hebion & Cerinthus, addit, quòd fuerit ante lunam, id est,ante omnia condita, quæ quoniam fluxa & caduca sunt, & ad lunæ similitudinem abeunt & redeunt, oriuntur & occidunt, augentur, minuuntur & senescunt, benè appellatione lunæ significantur. ¶ F. Historiā respicit quæ est Iudicū 6. cap. De Gedione,qui cùm angelo responsum accepisset,quòd Dominus per illum liberaret ab hostibus populum suum,signum à Deo petiuit,vt vellus plenum rore esset,& terra tota arida, quod factum est adeò vt expresso vellere concham rore impleret: iterum postulauit vt terra rore perfunderetur & vellus siccum permaneret, quod factū quoq; est. Hæc autem typus rerum futurarum erant, Christum cælitus venturum in mortale corpus, & pluuia diuinorum eloquiorum irrigandam Iudæam: reliquam verò terram, id est, terrena gentium corda arida & sterilia adhuc permansura: at pòst Christi adscensum ad cælos,Iudæis repellentibus gratiam euangelicam, vellus denuò siccandum,& vniuersam terram rore Spiritus s. & imbre diuinorum eloquiorum fœcundandam,quod futurum Christus illis cōminatus est dicens:Auferetur à vobis regnū, & dabitur genti facienti fructū eius. ¶ G. Luna auferetur,cùm destructa morte, omnis mortalitas immortalitate cōmutabitur, & corruptibilia induēt incorruptionē. Lunā enim hoc quoq; loco vt suprà, pro caduca & fluxa rerū creatarū natura sumit. Porrò iustitiā fidei hoc loco intelligit,quam iustitiæ legali opponit:cùm enim illa vnà cum lege Mosaica ad tēpus durauerit,& iā abolitæ sint, hæc euāgelica iustitia quæ ex fide in Christum nascitur ad finem vsque seculi duratura est: vnde & Daniel hanc iustitiā sempiternā appellat, cap.9. Septuaginta inquit hebdomades abbreuiatæ sunt super populū tuū,vt finem accipiat peccatū, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna,& vngatur sanctus sanctorū. ¶ H. Per reges Tharsis,hoc est, maris,& per insulas,per reges Arabum & reges Saba,vniuersitas gentiū, & totū huius mundi terrenum imperium significatur. Vaticinatur itaq; propheta omnes honores & ordines,& conditiones, & sexus hominum ad Christum conuertēdos, & illum agnituros verum esse Deum & hominem, & colla illius iugo submissuros, & pietatis fructus,& mystica bonorum morū dona oblaturos,quod ex magorum muneribus intelligimus inchoatum. Ipsi enim typum gentium & regū huius mundi gessisse mōstrātur.Porrò illud:Terram,vel vt heb.est,puluerem lingent,tropo hebraico dictū est, pro eo quod est,adorabūt te adeò proni in terram,vt ore puluerem terrę contingant.Sic Esaię 49. Vultu in terra demisso adorabunt te,& puluerem pedum tuorum lingent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ,omnes gentes seruient ei Quia

liberabit pauperẽ à potente,& pauperem cui nõ erat adiutor. Parcet I pauperi & inopi,& animas pauperũ saluas faciet. Ex vsuris K & iniquitate redimet animas eorũ,& honorabile nomẽ eorũ corã illo. Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ,& adorabunt de ipso semper, tota die benedicẽt ei. Et erit firmamẽtum L in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebũt de ciuitate sicut fœnum terræ. Sit nomen eius benedictũ in secula, ante solem permanet nomen eius. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gẽtes magnificabũt eũ M. Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus. Et benedictũ nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat fiat.

¶ Fiat, fiat, Amen, amen, vide de hac re tinem psalmi quadragesimi, & quæ in illum annotauimus ibi.

¶ I. Id est, humili & de suis meritis non confidenti, nec salutem de sua virtute speranti, sed indigenti gratia saluatoris sui: parcet, hoc est, peccata remittet, & perfectam salutem animæ largietur. Nemo enim sibi idoneus est ad salutẽ. Nam salus perfecta non contingit sine iustitia euangelica, ad quam nemo peruenit, nisi per Dei adiuuetur gratiam, quia plenitudo legis est dilectio, quæ nõ nostris meritis acquiritur, sed diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctũ qui datus est nobis, vt habet Paulus. ¶ K. Vsuras hoc loco, peccata appellat, cuius rei causam hanc dat Hieronymus in commentarijs suis: quia malitia à satana accepta à nobis multiplicatur. Is enim malas & noxias cogitationes velut sortem quandam nobis ingerit, vnde grauis vsura peccatorum multorum in nobis crescit. Augustinus verò hanc causam dat, quia plus mali inuenitur in supplicijs quàm commissum est in peccatis. Quod manifestum est quoties homicidium aut stuprum committitur: qui enim homicida est, corpori alieno tantùm nocet, animæ verò non potest nocere: ipsius autem corpus & anima perditur in gehenna. Idem sentiendum de eo qui violenter pudicitiam alteri eripit, aut quoduis peccatum in alterum committit, quod ad animam proximi non pertingit. D. Hier. & de terrenis vsuris quoq; illud intelligit: vtramq; enim interpretationem dat. Ex vsuris inquit redimet animas eorũ, ne de pereuntibus vsuris in terra constituant thesauros, sed in cælo collocent sacculos, qui non veterascunt, vbi nec tinea demolitur, nec fures effodiunt aut furantur. Quod verò additur, Et honorabile nomen eorum coram illo, apud 70. græcè legitur contrario modo. Et honorabile nomen eius coram illis, vt significet nomen Iesu Christi omnibus christianis honorabile esse, in quo omne genu flectitur, quam lectionẽ D. Aug. fatetur in quibusdã exemplaribus latinis reperiri, quamuis nostram lectionem non damnet, à qua & heb. veritas non multùm discordat, tametsi alium sensum exprimat, videlicet hunc: Et preciosus erit sanguis eorum coram oculis eius, vt sit simile illi: Preciosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Porrò aurum Arabiæ, sapiẽtiam & eruditionem gentium allegoricè appellat, quam conuerterunt ad illustrandum nomen Christi, & ornandã ecclesiam & domũ Dei, in cuius rei typum legimus cap. 9. 2. lib. Paralyp. Omnes reges Arabiæ & Satrapas aurum & argẽtum attulisse Salomoni, & reginã Saba dedisse Salomoni 120. talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas preciosissimas, quibus rex instruxit domum Domini, sicut olim Moses iussu Dei tabernaculum fœderis ornauit auro & argento barbarico, quo spoliauerunt Ægyptios filij Israël. Quod autem subiungitur, Adorabunt de ipso, non ad aurum, sed ad Christum refertur interpretibus Hiero. & August. Quod hoc sensu accipiendum est, Adorabunt Deum per ipsum, quia per filium semper oramus Deum patrem. ¶ L. Hebraica veritas clariùs reddidit hũc locũ hoc modo interprete Hiero. Erit memorabile triticũ in terra in capite montium. Porrò firmamentum quod verterunt 70. non quodlibet firmamentum significat, sed firmamentum siue robur refectionis, hoc est, id quo roborantur & firmãtur vires corporis & animi: Eiusmodi autẽ Periphrasi verborũ hebræi significant omne alimentum humani corporis, maximè quod frumento cõstat. Sic psal. 104. Et vocauit famem super terrã, & omne firmamẽtũ panis cõtriuit. Sic Esaiæ 3. Ecce dominator, Dominus exercituum auferet ab Hierusalẽ omne robur panis, & omne robur aquæ. Commen-

datur

mendatur itaque hoc loco sanctissimi corporis & sanguinis Christi sacramentũ, quod propheta vaticinatur futurum in ecclesijs Christi, quas per summa aut capita mõtium accipimus, cuius sacramenti fructus tantus erit, vt hinc fideles multiplicentur suprà cedros libani. Suffragantur huic interpretationi nostræ etiam reliqui interpretes neoterici. Felix enim Pratensis ita vertit. Erit multiplicatio frumenti, Sanctes & Munsterus, erit pugillus frumenti: Paulus Burgeñ. ex Iudæo christianus. Erit placentula frumenti. Qui etiam, vt commendet tremendum illud Eucharistiæ sacramentum, dicit Thargum, hoc est, translationem Chaldaicam, pro eo quod nos habemus, in summis montium, dicere, in capitibus sacerdotum erit placentula frumenti.

¶ M. Incertum est quo casu factum sit, vt nec græci codices, nec latini hoc loco geminent nomen Deus, vt hebraicè legitur. Benedictus Dominus Deus, Deus Israël, vt trinitatis mysterium plena laude celebretur, vt factum est psalmo 66. eo versu: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, vt eo loco annotauimus. Nam per Dominum Deum, intelligimus patrem: per Deum Israël, Spiritum sanctum: per nomen maiestatis, vnicum Dei filium. De qua re & D. Hieronymus ad Suniam & Fretellam scribens, Dicitis inquit in græco non haberi bis, Deus, cùm & in hebraico & apud 70. legatur, & manifestissimè triplex Domini: Dei: Deiq; nũcupatio mysteriũ sit trinitatis.

Defecerunt hymni Dauid filij Iesse. Heb. Completæ sunt orationes Dauid filij Iesse, Psalmus A *Asaph. Psal. LXXII.*

QVam bonus Israël B Deus, his qui recto sunt corde. Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorũ videns. Quia nõ est respectus C morti eorũ, & firmamentũ in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cũ hominib⁹ nõ flagellabũtur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorũ, trãsierũt in affectum cordis. Cogitauerunt & locuti sunt nequitiã, iniquitatẽ in excelso locuti sunt. D Posuerũt in cælũ os suũ, & lingua eorũ trãsiuit in terra. Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis. Et dixerũt, quomodo scit Deus? & si est sciẽtia in excelso? Ecce ipsi peccatores & abundãtes in seculo, obtinuerũt diuitias. Et dixi, Ergo E sine causa iustificaui cor meũ, & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.

Diuisio.

¶ A. Ne quis existimet sequentes psalmos non esse Dauid, sed aliorũ, quia apud 70. ante titulum huius psalmi habetur, Defecerunt hymni Dauid filij Iessæ, sciat apud hebræos sic esse interprete Hier. Completæ sunt orationes Dauid filij Iesse: aliud enim est oratio, aliud psalmus. Nec enim omnis psalm⁹ oratio est, nec omnis oratio psalmus. Si enim sequẽtiũ psalmorũ nullus esset ipsius Dauid, falsò inscriberentur ipsi Dauid: & falsò Christus diceret apud Matthæum cap. 22. Quomodo inquit Dauid in spiritu dominum illum vocat dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, quod testimoniũ sumptum est ex psalmo 109. Quare autem appelletur Asaph, hæc causa est, quòd is modulationem & musicum concentum huius psalmi cõposuerit. Nam Asaph, Hemam & Idithun, principes cantorum, & doctores musicorum concẽtuum fuerunt, vt scribitur lib. 1. Paralyp. cap. 25. quæ pluribus annotata sunt à nobis in psalmum 38. qui sic inscriptus est. In finem pro Idithum canticum Dauid. Psalmum itaque hunc ex persona membrorum suorum, id est, fidelium pronunciat Christus, iam pœnitentium quòd seducti falsa impiorum felicitate, relicta innocentia ad vitia declinare cœpissent, æmulari incipientes vitam moresq; impiorum. At tandem intelligẽtes subitò eos defecturos, qui hîc beatissimi putabantur, & pijs in futuro seruari æterna supernorũ bonorum præmia, ad Deũ conuersi bonitatem Dei prædicant. ¶ B. Israël iuxta ver-

 sionem

sionem 70.interpretũ non est hoc loco nominatiui casus, sed datiui, quod liquet ex articulo addito τῷ Ισραήλ, id est, ipsi Israëli: deinde eandẽ rẽ alijs verbis clarioribus explicat, quos videlicet Israëlis appellatione significauerit. His inquit qui recto sunt corde: vel vt heb. vertit Hiero. Qui mundo sunt corde: Israël enim sonat, videns Deum: at mundos corde Christus pronunciat beatos, qui ipsi soli Deum videbunt: significat eadem vox etiam idẽ quod directus Dei, hoc est, qui omnis fraudis & doli expers est, ad quam ætymologiam respexit Christus, Iohannis primo: Ecce inquit verus Israëlita in quo dolus non est. ¶ C. Apud 70. grçcè nõ est respectus, sed ἀνάνευσις verbale nomen ab ἀνανεύω id est, renuo, abnuo, declino: nec est morti eorum, sed in morte ipsorum, vt sit sensus: Nulla ratione aut modo licet illis fugere aut declinare moriẽdi necessitatem, nec in morte vllũ patet illis effugium: vnde & D. August. legit, Quia non est declinatio mortis eorum, quod idem interpretatur: Quare inquit illi habent pacem & florent in terra, quia morti eorum non est declinatio, id est, quia certa & æterna mors illos manet, quæ nec declinat ab ijs, nec ipsi eam declinare possunt. Et est firmamentum in flagello siue plaga eorum: Nõ est enim temporale flagellum, sed firmum in sempiternum. At D. Hieron. ad hebr. veritatem vertit ferè quemadmodum vulgata editio habet, & contrarium reddit sensum hunc. Quoniam non recogitauerunt de morte sua. Illud autem & firmamentum in plaga eorum, ita explicat in commentarijs: Ab infirmitate & plagis velociter conualescũt, nec plagæ eorum firmiter aut longo tempore durant, & hoc modo negatio ad vtrumq; referri debet. ¶ C. In cælum os ponere dicuntur, qui Deum calumniantur, & opera illius & prouidentiam diuinam negant, & simili arrogantia & temeritate de terrenis & humanis rebus iudicãt, qui omnes alios præ se contemnentes, & suæ fragilitatis obliti ingentia moliuntur, & omni æquitate contempta sceleribus se polluunt, sperantes se locorum mutatione effugere posse vltricem conscientiam, quos bene Horatius in lib. carminum redarguit. Quid breui fortes iaculamur æuo Multa? quid terras alio calentes Sole mutamus, patriæ quis exul se quoq; fugit. ¶ D. Hebraica veritas cõtrariũ reddidit sensum húc: Propterea cõuertetur populus eius huc, & quis plenus inuenietur in eis? Nostrę autem lectionis hunc sensum dat Hieron. Videntes iusti pacem illorum momentaneam & felicitatẽ breui perituram, qui hæc priùs peccatoribus inuidebant, cõuertentur ab hac dementia ad Deum, vt plenitudinem dierum capiant æternorum, scientes quia iniqui nec ad dimidium perituræ huius vitæ perueniunt iuxta illud quod alibi dictum est, Viri sanguinum non dimidiabunt dies. ¶ E. Per interrogationem quę negatiuam responsionem postulat, efferendus est hic versiculus, quem clariùs expressit D. Hieron. qui ad hebraicã veritatẽ ita reddidit: Ergo ne frustra mundaui cor meũ, & laui in innocentia manus meas, sic enim vertendum erat: nõ autem, lauabo inter innocentes manus meas. Nam græcè ἐν ἀθώοις ambiguum est, an ad rem, an ad personas referatur: verùm sensus poscit vt ad rem referatur: nihil enim aliud dicere vult, quàm custodiam manus, id est, actiones, vitam, moresq; meos puros & impollutos per innocentiam.

Si [F] dicebã, narrabo sic, ecce generationẽ filiorũ tuorũ reprobaui. Existimabã vt cognoscerẽ hoc, labor est ante me. Donec intrẽ in sanctuariũ Dei, et intelligã in nouissimis eorũ. Verũtamẽ propter dolos [G] posuisti eis, deiecisti eos dum alleuarẽtur. Quomodo facti sunt in desolationẽ? subitò defecerũt: perierũt propter iniquitatẽ suã. Velut somniũ [H] surgẽtiũ Dñe, imaginẽ ipsorũ ad nihilũ rediges. Quia inflãmatũ est cor meũ, & renes mei cõmutati sunt, & ego ad nihilũ redactus sum & nesciui. Vt [I] iumẽtũ factus sum apud te, & ego semper tecũ. Tenuisti manum dexterã meã, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quid [K] enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meũ Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ. Quia ecce qui elõgãt se à te peribũt, perdidisti omnes qui [L] fornicãtur abs te. Mihi autẽ adhærere Deo bonum est, ponere in Dño Deo spẽ meã: Vt annũciẽ oẽs [M] prędicationes tuas in portis filiæ Sion.

¶ F. Obscu-

¶ F. Obſcurus eſt verſiculus hic apud 70. interpretes. D. Hieron. ad hebraicam veritatem ita vertit: Dixi, ſi narrauero ſic: ecce generationē filiorum tuorum reliqui: cuius verſiculi ſenſum hunc reddit idem in commentarijs ſuis. Dum ipſe me caſtigo inquit, reprehendo & accuſo in orationibus matutinis, hoc reperi vt dicerem. Ego ſi ſic fuero locutus, nullam videlicet eſſe prouidentiam aut ſcientiam apud Deum in cœlo, nec illum curare mortalia, nec impijs ſupplicia, aut pijs digna ſeruari præmia, & voluero occulta Dei iudicia rimari, quæ imperueſtigabilia ſunt, reſpondebitur mihi. Ecce te tuiq; ſimiles reliqui & reprobaui, qui tanta temeritate abdita Dei cōſilia perueſtigare conamini, & non aſſequentes in has blaſphemias erumpitis.

¶ G. Datiuus eſt hoc loco, eis, non accuſatiuus eos legendus. Sciendum autem in latinis codicibus deeſſe accuſatiuū qui regitur à verbo poſuiſti, qui in græcis exemplaribus apud 70. exprimitur: poſt datiuum enim ponitur accuſatiuus κακά, id eſt, mala. Sic enim apud illos legitur, Veruntamen propter dolos: vel vt græcè ſonat, propter doloſitatem poſuiſti eis mala, hoc eſt, affeciſti illos malis, aut mala illis feciſti: ponere enim mala aut dolores, græci dicunt pro facere aut inferre mala aut dolores.

¶ H. Imaginem ipſorum ad nihilum redigendam dicit, quia Dei ſimilitudo illis impreſſa obliterabitur: vnde pulſantibus illis oſtium dicturus eſt, Amen dico vobis, neſcio vos: vel imaginem vocat, falſam vmbratilem & imaginariam felicitatem illorum, quæ morientibus impijs tota perit, non aliter atq; ſomnium euaneſcit illius, qui dormiens ſomniauerat ſe maximos habere theſauros, & in ſummis verſari dignitatibus, & voluptatibus omnibus perfrui, qui vbi euigilauerit, intelligit ſe ſomnio eluſum, quia nihil eorum videt ſe habere: vnde alibi Dauid de eiuſmodi loquitur, Dormierunt inquit ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis: vbi notandum eſt, prophetam vtrobique vitam impiorum, qui in nocte ignorantiæ, & in peccatis ſuis obdormiunt, ſomnū aut ſomniū appellare, à quo Dauid alibi ſe cuſtodiri rogat: Illumina inquit oculos meos ne vnquam obdormiā in morte. ¶ I. Neſciuiſſe ſe dicit, non quòd Deus aliquid futurorum præſentium aut præteritorum neſciat, ſed iuxta hominem aſſumptum, hoc dictum eſt: quaſi enim neſcius omnium, vt veram monſtraret humanitatem eſſe in ſe, multa neſcire ſe ſimulauit, quæ iuxta diuinitatem optimè nouerat: tale eſt illud Hieremiæ 11. Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. Iumento autem ſe comparat, qui erraturam ouem humeris ſuſtulit, & peccata noſtra in corpore ſuo portauit ſuper lignum vt Petrus inquit: Iumentis enim onera & ſarcinas imponimus.

¶ K. Vtraque hæc interrogatio cum admiratione pronuncianda eſt, quod benè explicat Auguſt. in commentarijs ſuis his verbis: Quantum inquit eſt, quale eſt, quid eſt illud quod habeo in cælo? Seruas inquit tu mihi diuitias in cælo immortales, te ipſum: & ego volui à te in terra quod habent & impij, quod habent facinoroſi, aurum, argentum, gemmas, familias. Hæc pro magno deſideraui à Deo meo ſuper terrā, cùm ſeruet ſeipſum mihi in cælo. Et hæc quoque ex perſona membrorum ſuorum dicit Chriſtus, ſtultitiam & corrupta noſtra iudicia in ſe transferens & reprehendens.

¶ L. Anima fidelis per fidem Deo copulatur, vt ſponſa ſponſo: vnde Dominus apud Ozee. Spōſabo inquit te mihi in ſempiternū: & ſpōſabo te mihi in iuſtitia & iudicio in miſericordia & miſerationibus: & ſponſabo te mihi in fide. Quoties igitur anima relicto Deo, capta illecebris carnis aut mundi, peccatis ſe polluit adulterum amplectens diabolum, fornicari à Deo dicitur, & hoc ſpirituale adulterium quoddam eſt: vnde ad peccatricem animam per eundē Ozee Dominus, Iudicate inquit matrem veſtram, quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius. Auferat fornicationes ſuas à facie mea, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum, ne ponam eam quaſi ſolitudinem, & interficiam eam ſiti. Hinc & Iacobus in epiſtola ſua, amatores huius ſeculi adulteros vocat cap. 4. Adulteri inquit & adulteræ neſcitis, quia amicitia huius mundi inimica eſt Deo. ¶ M. Non eſt græcè, omnes prædicationes tuas, ſed αἰνέσεις, hoc eſt, laudationes tuas ſiue laudes tuas, quomodo D. Auguſt. legit. Portas autem filiæ Sion appellat, atria cæleſtis illius Hieruſalē, vt per ſynechdochen, à parte totū intelligamus, quomodo D. Hieronymus intelligit: Aut per portas filiæ Sion, eccleſiam catholicam intelligimus interprete Auguſtino: Sic enim habet, Vt annunciem omnes laudes tuas. Sed vbi? in atrijs filiæ Sion, quia prædicatio Dei præter eccleſiam inanis eſt. Parum enim eſt laudare Deum, & annunciare omnes laudes eius; In atrijs

filiæ Sion annuncia.

A *Intellectus Asaph. Psalmus LXXIII.*

VT quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? Memor B esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Redemisti virgam C hæreditatis tuæ: mons Sion in quo habitasti in eo. Leua manus tuas in superbias eorum in finem, quãta malignatus est inimicus in sancto. Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solennitatis tuæ. Posuerunt D signa sua, signa, & non cognouerũt, sicut in exitu super summum. Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, in securi & ascia deiecerunt eam. Incenderunt igni sanctuarium tuũ: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul, quiescere faciamus omnes dies E festos Dei à terra. Signa nostra non F vidimus, iam non est propheta, & nos non cognoscet amplius. Vsquequo Deus improperabit inimicus, irritat aduersarius nomen tuum in finem? Vt G quid auertis manum tuam, & dexterã tuã de medio sinu tuo in finem?

Diuisio.

¶ A. Psalmus hic si spectemus tãtùm literam, hoc est, exteriorem sensum verborum, ea vaticinari solùm videbitur, quæ genti Iudaicæ acciderunt, cùm Deus offensus peccatis populi Israëlitici permisit Hierosolymam euerti, & templũ Domini succendi, quod primum factũ est sub Nabuchodonosor rege Babylonis, deinde sub Tito & Vespasiano. Verùm quia titulus psalmi habet, Intellectus Asaph, aliò nos vocat, vt videlicet relicta cortice ipsius literæ, ad mysticum & spiritualem intellectum recurramus. Propheta itaq; videns spiritu prophetico calamitates ecclesiæ futuras, quæ sæpe appellatione montis Sion significatur, cum Deo expostulat & conqueritur. Verùm Dei sanctuarium, hoc est, templum quod nos sumus (teste Apostolo) succensum igni malarum cupiditatum, & vitijs inquinatum & pollutum esse, & dæmones hostésque fidei insultare nobis, obsecrans vt congregationis suæ memor reprimat superbiam hostium suorum. Apud hebræos titulus est, Eruditio Asaph, vt intelligamus mala quæ acciderunt populo Israëlitico, nobis proponi in exemplum, vt eruditi eorum calamitatibus à similibus peccatis abstineamus: vnde & Apostolus cap. 10. prioris epistolæ ad Corin. Postquam enumerasset calamitates aliquot quibus puniti sunt Iudæi propter peccata sua, subijcit: Hæc inquit in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. ¶ B. Iuxta literam synagogã vocat, congregationẽ Dei, quam possedit Deus ab initio in patriarchis Abraham, Isaac, et Iacob. Iuxta mysticum sensum ecclesia appellatur Dei congregatio quam Deus possedit ab initio, hoc est, à principio nascentis fidei euangelicæ: vel ab initio, quia electa est ante constitutionem mundi: sic enim Apostolus scribens Ephes. Elegit inquit nos Deus pater in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Ecclesia enim in paradiso in primis parentibus figurata est, & euangelica fides qua & Abraham iustificatus est adhuc in preputio existens, hoc est, non circuncisus, longè antiquior est lege Mosaica, vt doctè de hac re disserit Euseb. Cęsarien. lib. 1. ecclesiasticæ historię, docẽs christianam religionem nec peregrinam nec nouellam esse.

¶ C. Virgam hæreditatis vocat ecclesiam, quòd Christo data sit in hęreditatem. Hæreditates enim quę agris constabant, funiculis metiri & diuidi solent, quanq̃ perticis aut calamis mensorijs in eum vsum paratis. Sic Deutero. 32. Iacob funiculus hæreditatis eius: Et Hieremiæ 10. Israël virga hæreditatis eius. Virgam itaque, calamum geometricum siue mensorũ appellat. Virga igitur hæreditatis nihil est aliud, q̃ ipsa hæreditas. Quod autem sequitur in nostris codicibus, Mons Sion, vertendum erat, Montem Sion, quomodo Augustinus legit: explicat enim de qua hæreditate loquatur, vnde

tur:vnde clariùs ad hebr.veritatem diuus Hieron. Redemisti virgam hæreditatis tuæ montem Sion in quo habitasti. Ambiguitas autem nata est ex voce græca ὄρος, quæ cùm neutrius generis sit, potest esse vel nominatiui vel accusatiui casus, vt suprà annotauimus quoq; psal.67.in illum versum: Mons in quo beneplacitum est Deo etc.

¶ D. Sensus est, posuerunt vexilla sua in trophæa, id est, signa victoriæ: sic enim explicat hebraica veritas quam ita reddidit Hieron. Posuerunt signa sua in trophęum, manifesta in introitu desuper. At 70. interpretes ita transtulerunt: Posuerunt signa sua signa, & non cognouerunt sicut aut quomodo in egressu desuper: sic enim vertendum erat, non autem super summum: est enim aduerbium græcè ὑπεράνω, quod significat desuper. Est itaque sensus interprete Augustino: Ipsi hostes non cognouerunt, quomodo egressus, id est, permissio facta fuerit desuper. Quia nisi desuper egrederetur, iussio nunquam sæuientibus gentibus in Iudæorum populum, aut hostibus fidei in Christianos talia licuissent: vnde & Dominus Pilato iactanti suam potentiam respondit: Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi datum esset desuper.

¶ E. Habet & anima festos suos dies quos Deo celebrat, quoties expedita & libera ab omnibus negotijs & curis huius seculi, soli Deo vacat, & contemplationi rerum diuinarum se totam mancipat, spirituales hostias Deo offerens, fugiens omne opus seruile, hoc est, peccatum, vt mystica obseruet sabbata: hæc omnibus modis abolere nituntur dæmones, cupientes animam vitiorum seruituti mancipare. Quod & Hieremias in lamentationibus suis queritur cap. 1. Viderunt eam hostes & deriserunt sabbata eius. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes ingressas sanctuarium tuum. ¶ F. Signa, videlicet rerũ futurarum, quæ olim per prophetas data sunt populo Iudaico, vt de promissis certior esset: vt Moyses, Samuel, Helias, cælitus ostenderunt signa, & quia non est propheta, inquit, Deus videtur nos ampliùs nolle cognoscere, sed velut ignotos repellere. ¶ G. Legimus Exodi 4. capite inter cætera signa quæ Deus Mosi ostendit, hoc quoque vnum fuisse, vt manum insertam sinui proferret: quam vt protulit, leprosam vidit instar niuis albentem. Iussus autem reuocare eam, & denuo inserere in sinum, cùm retraxisset, protulit iterum mundam & similẽ carni reliquæ. Quo significabatur, populũ Iudaicũ, qui per Mosen denotabatur q̃diu in sinu, id est, in fide & charitate Dei permaneret, mundũ à lepra animę, id est, à vitijs futurum: vbi autem à fide & charitate Dei se alienasset, leprã animorum contracturum: in fine tamen seculi ad fidem Christi reuersurum, & ab infidelitatis lepra mũdãdũ. Expostulat itaque propheta cum Deo, cur patiatur populum suum, quem per dexteram manum significat, tam diu alienari à fide & charitate erga Deum, quæ causa est cur præda sit hostibus suis.

Deus autẽ rex noster ante secula, operatus est salutẽ in medio terræ. Tu cõfirmasti in [H] virtute tua mare, cõtribulasti capita draconum in aquis. Tu cõfregisti capita draconis, dedisti eũ escã populis AEthiopũ. Tu dirupisti [I] fontes & torrẽtes, tu siccasti fluuios Ethan. Tuus est dies & tua est nox, tu fabricat'es aurorã [K] & solẽ. Tu fecisti omnes terminos terrę, ęstatẽ & ver tu plasmasti ea. Memor esto huius, inimicus improperauit Dño, & popul' insipiẽs incitauit nomẽ tuũ. Ne [L] tradas bestiis animas confitẽtes tibi, & animas pauperũ tuorũ ne obliuiscaris in finẽ. Respice in testamẽtũ tuũ, quia [M] repleti sunt qui obscurati sunt terrę domib' iniquitatũ. Ne auertatur humilis factus cõfusus, pauper & inops laudabũt nomen tuum. Exurge Deus iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorũ, eorũ quæ ab insipiente sunt tota die. Ne obliuiscaris voces inimicorũ tuorũ, superbia eorum qui te oderũt, adscẽdit semper.

¶ H. Iuxta literã de rubro mari hęc intelligi posse viderẽtur, quod Deus cõfirmauit, id est, fluxã aquarũ naturã solidauit aquis, hinc indè velut murus stãtibus, cùm per siccũ alueũ maris filios Israël traduxit: vel vt heb. est, dissipauit: nã abstulit aquas maris flãto

 tota nocte

tota nocte vento vrente, vt habet liber Exodi. Verùm quoniā addit, capita draconum contrita in aquis, quod in mari rubro nequaquam factū est, necesse est, vt ad allegoricum intellectum confugiamus. Deus igitur mare, id est, gentes infrugiferas propter vitiorum salsedinem, confirmauit, ne perpetuo æstu malarum cupiditatum iactarentur, et ventis prauorum dogmatum agitarentur: vel dissipauit mare, quia flatu Spiritus sancti salsos vitiorum fluctus exsiccauit, & contriuit in aquis baptismi caput, id est, omnem potestatem & vires diaboli, & eundem draconem deuorandum dedit populis Æthiopum, id est, gentibus denigratis idololatriæ vitijs, quas draco priùs deuorarat.

¶ I. Septuaginta interpretes hoc loco reliquerūt vocem heb. Ethau, quasi esset proprium nomen, cùm hoc loco appellatiuum potiùs sit: significat enim hęc vox hebraica idem quod fortis aut validus: vnde ad heb. veritatem reddidit Hiero. Tu exsiccasti flumina fortia, idque multò conuenientiùs. Nam Ethau appellata est solitudo, in qua tertia fuit mansio filiorum Israël proficiscentium ex Ægypto, in qua nullos fluuios siccatos legimus. Est igitur sensus, Deum aperuisse fontes, & emisisse torrentes euangelicę prædicationis, quibus irrigauit arida corda gentium, & his exsiccasse fortia illa flumina terrenæ eloquentiæ & sapientiæ: vnde Aug. Siccentur inquit flumina eorum, non proficiant doctrinæ gētium, haruspicum, mathematicorum quoniam siccati sunt fluuij fortes. Arescat illa doctrina, vt inundentur mentes aquis euangelicæ veritatis.

¶ K. Quanquā Deus author sit elementorum, & partes anni vicissitudinesq; temporum, noctiū et dierum fecerit, allegoricè tamen hęc, vt antecedentia, accipiēda sunt: vt per noctem, vmbras legis Mosaicę: per diem, lucem euangelicę veritatis accipiamus: per auroram, Christi ecclesiam: per solē, Christum. Nam sicut aurora paulatim progredietur ad solis ortum, ita & ecclesia quotidianis incremētis proficit eousq;, vt Christo qui sol iustitiæ est, conformis fiat: vnde in cāticis de ecclesia dictum est, Quę est ista quę progreditur quasi aurora consurgens? Sic ver appellat, vel vt hebr. est, hyemem, tempus legis Mosaicæ, quo metu pœnæ coërcebātur, & timoris spiritu cōstricti algebant. Æstatem, tempus euangelicę gratiæ, quo charitate Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritū s. amore Christi feruemus. His autē omnib⁹ redarguūtur impia Marcionis dogmata, q aliū Deū veteris testamēti aliū Deū noui testamēti, ausus est asserere: Si autē iuxta literā accipiamus, redarguitur Valentiniana et Manichęorū hæresis, quę asserebat mūdū, hunc à contrarijs potestatibus, hoc est, ab angelis cōditū esse, nō à Deo. ¶ L. Græcè est singularis accusatiuus, animam confitentem tibi: vel vt ad heb. veritatem reddidit Hieron. Animam eruditam lege tua. Porrò bestias, vocat homines bestiali feritate aut pecuinis voluptatibus deditos: vel dęmones ipsos, qui propter crudelitatem & nocendi cupiditatem iam serpentes, iam leones appellantur, vt in illo psal. 90. Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, quam interpretationem D. Aug. sequitur: sic enim habet, Quibus bestijs inquit, nisi quorū capita contrita sunt super aquam? Noli dare diabolo et angelis eis animam confitentem tibi. Deuoret serpēs si adhuc terrena sapio, si terrena desidero, si adhuc in promissis veteris testamenti maneo, reuelato nouo. ¶ M. Obscurè admodum reddidit interpres finem huius versiculi, quod propterea accidit, quia participium græcum hoc loco pro substantiuo nomine vsurpatur: vnde et genitiuum habet, quod interpres vertit per verbum et participium. Sic enim clariùs vertisset: Quia obscuri ipsius terræ, hoc est, ij qui in terra obscurati sunt tenebris, videlicet ignorantiæ, repleti sunt domibus iniquitatis: domos iniquitatis appellans, corpora peccatis obnoxia, in quibus animæ velut in domibus habitant, sicuti contrà psal. 44. Eburneæ domus dictę sunt, casta & impolluta corpora quibus oblectatur Christus. Hebr. veritas sic legit hunc versum: Respice ad pactum tuum, quia repletæ sunt tenebris terræ, habitationes iniquæ subrutæ. ¶ N. Adhuc enim hodie (inquit August.) insultatur Christo, nec deerunt tota die, hoc est, vsque ad finem mundi toto hoc immortalitatis nostrę tempore vasa irę, dicētes, vana prędicāt Christiani, inanis est resurrectio mortuorum, memor itaque esto opprobriorū tuorum, sed quorum? nisi eorum quę ab imprudente sunt, hoc est, proferuntur. Nam prudens nihil eiusmodi dicet, qui dictus est, quòd porrò videat: fide autē videmus porrò, id est, longè adhuc posita: nam oculis vix ante pedes posita conspicimus.

In finē, ne corrumpas Asaph Psalmus cantici. *Psal. LXXXIIII.*

CONfitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.

tuum. Narrabimus mirabilia tua, cùm accepero tẽpus ego iustitias iudicabo. Liquefacta [B] est terra & omnes qui habitãt in ea, ego cõfirmaui colũnas eius. Dixi iniquis nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altũ cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deũ iniquitatẽ. Quia neq; ab oriẽte, neq; ab occidẽte, neq; à desertis mõtibus, quoniam Deus iudex est. Hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu [C] Domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terrę. Ego autem annunciabo in seculum, cantabo Deo Iacob. Et omnia cornua peccatorum cõfringam, & exaltabuntur cornua iusti.

¶ A. Quod hîc vertit meliùs, ne corrumpas, idem psalmo 56.57.58. vertit: Ne disperdas: est enim gręcè verbum διαφθείρω, quod propriè significat corrũpo. Est itaq; sensus, Ne corrumpas, hoc est, ne sinas me sanctum tuũ corrũpi, sicut alibi dixit: Nec sines sanctum tuum videre corruptionem. Ex persona enim Christi psalmus hic canitur. Quanquam Aug. scribens in hunc psalmum, illud: Ne corrumpas, aliter interpretetur hoc loco: Sic enim habet, Quid est inquit ne corrũpas? Quod promisisti, exhibe. Impiorum spes corrumpetur: nostra verò spes tunc erit res. Noli ergo timere ne promissiones Dei corrumpat aliquis potentum. Ipse verò non corrumpit, quia verax est, potentiorẽ non habet à quo eius promissio corrumpatur. ¶ B. Hebr. veritas hoc loco legit verbum futuri tẽporis, & ad tempus extremi iudicij hæc referre videtur, cùm terra cum omnibus in ea exuretur, et vt Petrus habet in 2. epistola: Elemẽta calore soluẽtur. Verùm Aug. secutus versionẽ 70. interpretũ, ad primũ aduẽtũ Domini refert, et is legit. Defluxit terra, & ita interpretatur: Si defluxit terra, defluxit à stabilitate firmamenti virtutis & iustitiæ. Cupiditate enim inferiorum qui peccat, deficit, & quasi liquescit cupiditate inferiorum rerum, sicut roboratur charitate superiorum: hunc fluxũ rerum in peccatis hominum attendens misericors donator peccatorũ, nondum exactor suppliciorum, confirmauit columnas eius, apostolos videlicet. Et quid essent columnę illę nisi ab eo firmarentur? quia terræ motu quodam nutauerunt in passione Domini: at in eiusdem resurrectione & Spiritus s. emissione firmatæ sunt. ¶ C. Calicem dicens meri vini, qui tamen plenus sit mixto, pugnantia secum & contraria inter se dicere videtur: si enim sit vinum merum, non est mixtum: si sit mixtum, non est merum: nam vina mera dicũtur, pura & nullius rei admixtione corrupta. Hũc itaq; modũ sic explicat D. Aug. scribens in hunc psalmũ: Calix inquit vini plenus mixto, videtur mihi esse lex data Iudæis, & tota illa scriptura veteris testamenti: Nam in ea latet absconditum nouum testamentum, tanquam in fece corporalium sacramentorum. Circuncisio carnis magni sacramenti res est, & intelligitur ex ea circuncisio cordis. Templum illud in Hierusalem magni sacramenti res est, significans corpus Domini. Terra promissionis intelligitur, regnum cælorũ, & ita in alijs. Est itaq; sensus: Calix in manu Domini, id est, in potestate Domini, (ipse enim legislator est vtriusq;) est calix vini meri, id est, legis synceræ: plenus mixto, id est, fece corporaliũ sacramẽtorũ. Et humiliat hunc, scilicet Iudæũ superbũ gloriãtem in lege, & exaltat hũc humilẽ populum gentilem. Eliquatus est ex lege intellectus spiritualis per lucem euangelicam: veruntamen fex eius non est exinanita, quia omnia sacramenta carnalia apud Iudæos remanserunt, & propter peccata sua hanc fecem quotidie bibunt, perpetuò inhærentes occidenti literæ, cùm Christianus populus purissimum bibat vinum sacrarum literarum.

In finem, in carminibus. [A] Psalmus Asaph canticum ad Assyrios. Psalmus LXXV.

NOtus in Iudæa Deus, in Israël magnũ nomẽ eius. Et factus est in pace [B] locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit [C] potentias, arcum, scutum, gladiũ, & bellũ. Illuminãs tu mirabiliter [D] à mõtib⁹ æternis,

æternis, turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt qui F adscenderunt equos. Tu terribilis quis resistet tibi? ex tunc ira tua. De cælo auditum fecisti iudicium, terra tremuit & quieuit. Cùm exurgeret in iudicium Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. Quoniam cogitatio G hominis coufitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Vouete & reddite Domino vestro omnes qui in circuitu eius affertis munera. Terribili, & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.

¶ A. Quod in titulo huius psalmi additum est, Canticum ad Assyrios 70. de suo addiderunt. Nam apud hebr. hic titulus est, Victori in carminibus, psalmus Asaph canticum: verùm 70. interpretes non sine instinctu Spiritus s. addiderunt illud, ad, siue aduersus Assyrios. Nam Assur hebraicè siue Assyrij gręcè, capitales hostes fuerunt Iudęorum: caput autem regni Assyriorum fuit Babylon vrbs. Cùm itaque psalmus hic Dei magnalia prædicet quæ operatus est in ecclesia sua, & metuendam illius potentiam qua vicit principem huius mundi diabolum cum angelis suis apostaticis, quos tropologicè per Assyrios intelligimus, bene psalmus hic aduersus Assyrios canitur.

¶ B. Hebraicè est שׁלם Salé nomen proprium potiùs quàm appellatiuū: 70. autem ethymologiam aut significationem vocis heb. reddiderunt: Sonat enim Salem, idem quòd pax. Verùm D. Hieron. ad hebr. veritatem proprium nomen posuit non appellatiuum: sic enim vertit, Et erit in Salem tabernaculum eius, & habitatio eius in Sion. Porrò Salem, vrbs fuit Palestinæ, cuius rex fuit Melchizedec, quæ postea Iebus appellata est, vt nonnullis placet, & voce hinc ex duabus composita, Hierusalem quasi Iebusalem dicta est. Iuxta tropologiam igitur Salem, quæ & Hierusalem dicitur, benè respondet voci Sion: Nam per vtramque ecclesia significatur: hoc enim speculum, id est, excelsum locum, vnde procul prospicere licet. Illud, pacem denotat. Ne autem carnalis Iudæorum populus & Israël secundum carnem de se hæc prophetari putet, quasi apud illos tātùm sit Dei notitia, et apud illos solus Deus habitet, Apost. scribēs Rom. docet qui veri sint Iudęi. Nō inquit qui in manifesto Iudęus est, neq; quæ in manifesto in carne est circuncisio: sed qui in abscondito Iudęus est, & circuncisio cordis in spiritu non litera: & idem Galatis scribens, carnalem Israëlem à spirituali secernens: verùm Israëlem vocat Israëlem Dei. Quicunque inquit hanc regulam secuti fuerint pax super illos, & securitas, & super Israël Dei. ¶ C. Arcuum legēdum est hoc loco quia genitiuus est pluralis græcè τῶν τόξων, id est, arcuum: vnde rectiùs Aug. legit, Ibi confregit fortitudines arcuum: per potentias aut fortitudines arcuum tela aut sagittas lætiferas intelligens: vnde heb. veritas legit, Volatilia arcus, id est, volantes sagittas arcuum: Per arcus igitur, insidias latentes: per scutum & gladium, aperta bella malignorum spirituum denotat, quæ Christus igni Sancti spiritus quem in mūdū misit, excussit & contriuit. ¶ D. Æternos mōtes ex quibus Deus nos mirabiliter illuminat, vocat apostolos & prophetas, de quibus & psal. 71. dixit: Suscipiant montes pacem populo: Et alibi de ecclesia loquens sub nomine Sion, Montes inquit in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui. Hi autem montes illuminăt nos vaticinijs & scriptis suis. Sicut cōtrà mōtes caliginosi sunt, dæmones & hęretici, mōtes appellati propter superbiam, qui tenebras & caliginem offundunt humanis mentibus, de quibus Hieremias cap. 13. Date Domino Deo vestro gloriam antequam tenebrescat, & antequā offendāt pedes vestri ad montes caliginosos. ¶ E. Non solùm opulentos huius mundi per viros diuitiarum significat, qui opes, quas velut per somnium possidere videbantur, dum eas solicitè asseruant, amittunt, sed & philosophos & sapientes huius seculi rectè per viros diuitiarum intelligimus, qui prophana sapientia & naturalium rerum cognitione freti, sperabant se ad veram beatitudinem pertingere posse, sed euigilantes, hoc est, excitati è somno mortis, intellexerunt se falsos spe sua, quia vt Apostolus habet, Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi; vnde in laudem ecclesiæ, quæ solidas & per-

& perpetuò mansuras diuitias sibi coacervauit, dictum est Prouerbiorũ vltimo: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas. ¶ F. Equi, quoties in malam partem accipiuntur in sacris literis, homines impios opibus & potentia ferocientes significant, quos dæmones adscendunt & quasi frenis iniectis subigunt suæ tyrannidi, & in quaslibet cupiditates agunt: sic hoc loco equorum adscensores, dæmones appellantur, qui viribus suis orbati sunt velut dormitantes, postquam violentos eorum conatus repressit morte sua Christus: aliquando in bonam partem vsurpantur equi, & prophetas denotant & apostolos & euangelistas, quos Christus adscendit, & per eos salutẽ cõtulit mũdo, de quibus in cantico suo Abacuc: Qui adscẽdis inquit super equos tuos, & quadrigę tuæ saluatio. ¶ G. Quæ est prima cogitatio inquit Aug. quę confitebitur? Quæ damnat vitam priorem, cui displicet quod erat. Sed quia sic debes recedere à peccatis prima cogitatione confessus Deo, vt non recedat tibi à memoria, quòd peccator fuisti: per hoc quòd recolis te peccatorem fuisse, iam hac recordatione incipis festum diem celebrare Domino, hostias pacificas & spiritualia sacrificia iustitiæ offerẽs Domino, laudes & gratiarũ actiones, quòd per Christũ donauit nobis omnia peccata. Si enim obliuiscamur quid nobis donatum est, & à quo donatum, obliuiscimur munus Saluatoris, nec recordamur in baptismo nos à peccatis ablutos, et cũ Christo mortuos & sepultos, nec mysticũ celebramus sabbatũ, feriãtes ab omnibus seruilibus operibus, id est, peccatis. ¶ H. Non solũ de spiritu humano, id est, anima hæc accipimus, quã Deus aufert ab Imperatoribus, regibus, & principib⁹ quoties moriẽdũ illis est, sicut alibi habet Dauid: Nolite inquit cõfidere in principibus. etc. Exibit spirit⁹ eorũ et reuertetur in terrã suã, in die illa peribũt omnes cogitationes eorũ: sed etiam de spiritu Dei hæc intelligimus interprete Hier. vt principes dicãtur sancti, qui recedente Spiritu s. in grauiss. peccata prolapsi sunt, vnde nunquã emerserunt. Eiusmodi princeps fuit in principio regni sui Saul, à quo tulit spiritum suũ Dominus, cùm recessit ab eo propter peccata Spiritus Domini, & exagitauit eũ spiritus malus: talis fuit Salomon rex, talis Iudas proditor in apostolum electus: omnes hi quoniã peccauerũt, tulit Deus ab his Spiritum suũ, quod profectò metuẽdũ est: vnde anxius Dauid, solicite Deũ quẽ offenderat precatur, 50. psal. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctũ tuũ ne auferas à me.

In finem, pro Idithun [A] *psalmus Asaph.* *Psalmus* LXXVI.

VOce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Deũ, & intendit mihi. In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus [B] meis nocte cõtra eum, & nõ sum deceptus. Renuit cõsolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spirit⁹ me⁹. Anticipauerũt vigilias oculi mei, turbat⁹ sum & nõ sum locutus. Cogitaui dies antiquos, & annos ęternos in mẽte [C] habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, exercitabar & scopebã spiritũ meũ. Nunquid in ęternũ proiiciet Deus, & nõ apponet vt cõplacitior sit adhuc? Aut in finẽ misericordiã suã abscĩdet, à generatione in generationẽ? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut [D] continebit in ira sua misericordias suas? Et dixi [E], nunc cępi, hęc mutatio dexteræ excelsi. Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorũ. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus [F] tuis exercebor.

¶ A. Annotat D. Hier. scribens in hunc psalmum, apud hebr. non esse pro Idithun, sed per Idithũ, vt sensus sit, nõ pro eo, sed per eũ fuisse cãtatũ psalmũ hunc. Quod autẽ sequitur, psalmus Asaph, idẽ testatur in veteribus exẽplarib⁹ nõ haberi: verũ quoniã 70. habẽt hũc titulũ, à quo nõ dissentit heb. veritas interprete eodẽ Hier. (nisi fortè mẽdosi sint codices) hoc sensu accipere possumus, Psalmus Asaph, id est, cõcẽt⁹ aut musica ratio psalmi ab Asaph composita: pro Idithũ, hoc est, modulãdã & cãtãda ab ipso Idithun. Nam et Idithũ vnus fuit ex tribus illis principibus cantorum, quos instituit Dauid ad modulan-

modulandos pſalmos,vt alibi admonuimus.Pſalmus itaq; hic ex perſona hominis pij canitur,gratulantis ſibi de miſericordia diuina & prædicātis Dei mirabilia, & cùm ſolùm ea quæ Iſraëlitico populo olim præſtita ſunt, recenſere videatur Dauid iuxta literam,prophetat ea quæ eccleſiæ ſuæ in fine temporum largitus eſt Deus.

¶ B. Quod antè dixit,diem tribulationis,iam noctem appellat ſeipſum interpretans.Tempus enim afflictionis,noctem vocant ſacræ literæ, ſicut proſperitatem ſignificat appellatione diei frequenter vt annotauimus pſal. 41.in illum verſiculum: In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam,& nocte canticum eius. Quanuis & vniuerſum hoc tempus mortalitatis noſtræ in hoc ſeculo, per noctem accipere poſſumus interprete Aug. Quid eſt nocte inquit?In hoc ſeculo . Nox enim eſt antequam effulgeat dies in clarificato aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti:vnde Petrus apoſtolus cap.1.poſterioris epiſtolæ.Nos inquit habemus certiorem propheticum ſermonem cui benè facitis intendentes velut lucernæ lucenti in obſcuro loco,donec dies luceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris:vt autem ſciamus quomodo quærendus ſit Deus ſi decipi nolumus,addit,manibus meis,id eſt,pijs operibus.Græcè eſt ἠδολέσχησα,quod propriè eſt nugor ſtultè garrio: vnde Auguſt.legit, non ſatis aptè garriui: ſignificat etiam ſtudioſè cōtemplor,animo voluo aut cōmetor,et ſic hoc loco accipitur:vnde bene Hier. ad hebr. veritatem reddidit, loquebar in memetipſo . Noſter interpres ferè vertit per verbū exerceri vel exercitari. ¶ C. Nō eſt ſcopebā,aut quod latinus eſſet,ſcopabam ſpiritū meū,ſed fodiebā ſpiritū meū,hoc eſt,intēta cogitatione omnes ſinꝰ pectoris mei eruebā & perluſtrabā:σκάλλω enim græcū verbū , quod hoc loco eſt,propriè ſignificat fodio aut terram ſarrio,quoties intima terræ rimamur ſarculo,vt herbas & fibras noxias eruamus et repurgemus:vnde Symmachus interpres vetus vertit ἀνηρεύνουν,id eſt, perſcrutabar vt annotat D.Hieron. ad Suniam & Fretellam : hanc autem lectionem ſequitur D.Auguſt.Qui ſic habet:Et ſcrutabar ſpiritum meum,quod idem enarrans:Si ſcrutaretur inquit terrā iſte,vt venas auri inueniret,nemo illū deſipere diceret.Quanta homo habet intus,& non fodit?ſcrutabatur iſte ſpiritum ſuum & cum ipſo ſpiritu ſuo loquebatur. ¶ D. Non potuit inquit Hieronymus pulchriùs dicere: quamuis enim ſe teneat vt non miſereatur,tamen vincit illum miſericordia ſua.Hunc autem effectum miſericordiæ ſuæ in nos clarè expreſſit Eſaiæ 46.cap.his verbis.Dixit Sion, dereliquit me Dominus,& Dominus oblitus eſt mei. Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum,vt non miſereatur filio vteri ſui?& ſi illa oblita fuerit,ego tui nunquam obliuiſcar. ¶ E. Cœpi per diphthongon œ,hoc loco eſt ſcribendum : eſt enim defectiuum verbum,non autem præteritum verbi capio,quod ex græco liquet ἠρξάμην,id eſt, incœpi , vt ſubaudias aptum aliquod verbū:quale eſt, Nūc cœpi ſentire vel experiri Dei miſericordiam:vel cœpi immutari vel renouari ſecundum interiorem hominem,et totum hoc non aſcribimus noſtris meritis,ſed diuinæ clementiæ.Quòd enim Dominus miſeretur,quòd gratiam ſuam infundit,quòd non retinet in ira miſericordias ſuas,mutatio eſt dexteræ excelſi.Niſi enim dextera Dei, id eſt , vnigenitus Dei filius mutatus fuiſſet,& ſe exinaniuiſſet ſerui formā accipiēs,nos hęc tanta beneficia accipere non potuiſſemus:Hebraica autem veritas aliter legit hunc verſiculum,hoc modo:Et dixi,imbecillitas mea eſt, Hæc mutatio etc.vt ſenſus ſit. Quòd patior aduerſa & opem ſuam differt Deus,non ex Dei crudelitate prouenit,ſed propter mea peccata & animi infirmitates. ¶ F. Græcè eſt ἐπιτηδεύματα,id eſt, ſtudia , exercitia.Ἐπιτηδεύω enim verbum græcum,non eſt ſimpliciter aliquid facio,ſed ſummam curam & operam rei adhibeo,qualia ſunt omnia opera diuina, de quibus alibi Dauid : Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius,hoc eſt, tam exacta cura & tanto ſtudio facta , vt in his omnis diuina voluntas ſemper expleatur, quandóque in malam partem vſurpatur,vt pſal.127.Da illis ſecundum opera ipſorum,& ſecundum nequitiam adinuentionum ſuarum:& pſal.80.Ibunt in adinuentionibus ſuis.

Deus in [G] ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter? tu es Deus qui facis mirabilia.Notam feciſti in populis virtutem tuam, redemiſti in brachio tuo populum tuum filios Iacob [H] & Ioſeph. Viderunt te aquæ Deus,viderunt te [I] aquæ,& timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi.Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Etenim ſagittæ

ſagittæ K tuæ tranſierũt, vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt choruſcationes tuæ orbi terræ, commota eſt & contremuit terra. In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur. Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moſi & Aaron.

¶ G. Via Dei inquit Hieronymus, eſt filius Dei, qui apud Ioannem inquit: Ego ſum via veritas & vita. Porrò hæc via non eſt niſi in ſancto aut ſanctitate: quicunque ergo ſanctus non eſt, via Dei in eo non eſt. Volumus igitur vt Deus habitet in nobis, & vt vnico Dei filio ad nos venienti, viam ſternamus & ſimus ſancti. Porrò mirabilia Deus operatur mundans leproſos, illuminans cæcos, ſuſcitans mortuos: at multò mirabiliora operatur in animis humanis, quoties per ſpiritum ſuum ſobrij & abſtemij fiunt, qui ebrioſi fuerant prius: & qui impuri & incontinentes fuerant, ſanctimoniæ & caſtitati ſe dant: & res ſuas donant egenis, qui priùs aliena rapiebant. ¶ H. Per filios Iacob, intelligit Iudæos ſiue Iſraëlem: ſecundum carnem, hoc eſt, carnalem propagationem: per filios autem Ioſeph, Gentilem populum, id eſt, Chriſtianos. Ioſeph enim qui venditus à fratribus, & ſuis exoſus factus eſt Dominus Ægypti, typus fuit Chriſti, qui exoſus ſuis, hoc eſt, Iudæis, propter incredulitatem eorum ad gentes commigrauit, & Dominus ab ijs agnitus eſt. Quin & etymologia nominis Ioſeph, multiplicationem gentium in fide Chriſti portendebat. Sonat enim Ioſeph, accreſcens latinè: vnde in typum rerum futurarum Pharao rex Ægypti mutato nomine ipſius Ioſeph, appellauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. ¶ I. Aquarum appellatione in ſacris literis, aliquando nationes ſiue populi gentium ſignificantur, quòd more fluctuum & vndarum ſe mutuò propellentium, & in cautes aut ſcopulos ſe illidentium, mortale genus interit: & vt Salomon inquit, Generatio præterit, & generatio aduenit. Sicut enim flumina nunquam ad fontes ſuos reuertuntur, vbi ſemel præterfluxerint, ſic homo non reuertitur vbi ſemel è vita deceſſerit. Hinc Apocalypſis 17. Aquæ quas vidiſti, populi ſunt, & gentes & linguæ, ijdem & per mare denotantur. Abyſſos autem, dæmones vocat per ſynecdochen quandam, à continente intelligens contentum: eſt enim Abyſſus, immenſa aquarum profunditas, vnde pro tartaro ponitur: hinc in euangelio habemus, dæmones oraſſe ne Chriſtus ablegaret illos in Abyſſum. Quod autem ſequitur, Multitudo ſonitus aquarum, hebr. ſic eſt interprete Diuo Hieronymo. Excuſſerunt aquas nubila, vocem dederunt nubes, quare rectiùs vt videtur per accuſatiuum vertiſſet interpres hoc modo: Multitudinem ſonitus aquarum, id eſt, ſonantium aquarum: nam πλῆθος cùm græcè neutrum ſit, tam accuſatiui, quàm nominatiui caſus eſſe poteſt. Per nubes autem ſiue nubila, intellige apoſtolos, qui prædicatione & ſcriptis irrigarunt terrena corda. ¶ K. Sagittas, allegoricè vocat oracula diuinorum ſermonum, quæ penetrant & ſauciant ſalutari timore corda hominum, & inflammant amore cæleſtium: vocem autem tonitrui, tubam prædicationis euangelicæ, quæ vſque ad fines orbis terræ perſonuit: vnde dicit eam in rota, hoc eſt, (interprete Aug.) in cyclo aut orbe terrarum ſonuiſſe: vel in rota, id eſt, in nouo teſtamento interprete Hier. vnde & Ezechiel cap. 1. inter cætera vidit opus quoddam, quaſi rota ſit in medio rotæ, id eſt, nouum teſtamentum mira ratione conſentire & coaptari veteri teſtamẽto. His enim rotis duabus à terrenis ad cæleſtia ſubuehimur. Choruſcationes autẽ, illuminationes ſunt Spiritus S. vt pleniùs de his diximus pſal. 17. vbi ſimili allegoria vſus eſt propheta dicens: Intonuit de cælo Dominus, & altiſſimus dedit vocem ſuam grandinem & carbones ignis. Et miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos. ¶ L. Veſtigia Dei, quibus ad gentium populos per fidem venit, non ſunt cognita à Iudæis incredulis, vel non cognoſcuntur à quoquam, quia per Spiritum ſanctum inuiſibiliter pectoribus noſtris illabitur: vnde apud Ioannem Chriſtus, de aduentu Spiritus ſancti in corda credentium. Spiritus, inquit, vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis quò vadat, aut vnde veniat.

¶ M. Iuxta literam Deus Iudaicum populum eduxit ex Ægypto per mare rubrum ducibus Moſe & Aaron. Tropologicè autem quotidie ſuum populum, id eſt, chriſtianum educit ex tenebris huius ſeculi: in manu Moſi, id eſt, per legem non carnaliter intellectam, ſed ſpiritualiter: & in manu Aarõ, id eſt, per myſticum ſacerdotium

Christi, qui verus pontifex & summus sacerdos fuit iuxta ordinē Melchizedec, cuius virga floruit, cùm fructibus Spiritus sancti exuberauerūt fideles beneficio crucis Christi, quod lignum crucis priùs sterile & infrugiferum erat.

Intellectus [A] *Asaph.* *Psalmus* LXXVII.

ATtendite [B] populemeus legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio [C]. Quanta audiuimus & cognouimus (ea) & patres nostri narrauerunt nobis. Non sunt occultata à filiis eorum in generatione altera. Narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit [D]. Et suscitauit testimonium in Iacob, & legem posuit in Israël. Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera. Filii qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis. Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Ne fiant sicut patres eorum generatio praua & exasperans. Generatio quæ non direxit cor suum, & non est [E] creditus cum Deo spiritus eius. Filii Ephraim [F] intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli. Non custodierunt testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Et obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius quæ ostendit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra AEgypti, in [G] campo Taneos. Interrupit mare, & perduxit eos, statuit aquas quasi in vtre. Et deduxit [H] illos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abysso multa.

¶ A. Psalmus hic 77. iuxta literam ea tantùm narrare videtur, quæ olim populo Iudaico Deus exhibuit beneficia, & cùm historiam rerum earum texere videatur, quæ ex sacris literis notissimæ sunt, nulla interpretatione indigere videtur: verùm altius quiddam in verbis his latêre nos admonet titulus, qui sic habet: Intellectus Asaph, quo excitamur ad mysticam harum rerum intelligentiam, vt sciamus similitudinibus quibusdam obscurioribus & ænigmatibus ea nobis proponi, quæ hodie Deus præstat populo Christiano. Si enim hic psalmus nihil præter nudam historiam narraret, nec vlla abdita & remotiora complecteretur mysteria, non diceret statim in principio: Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio: vel vt hebraica veritas legit, loquar ænigmata antiqua.

¶ B. Quia dicit, attendite, reuocat nos ad spiritualem legis intelligentiam, ne more Iudaizantium inhæreamus occidenti literæ. Duo autem priores versus ex persona Dei dicuntur, quod satis liquet ex Matthæo Euangelista capite 13. Sic enim habet, Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. Quo loco notandum est, Matthæum, qui hebr. sine dubio scripsit euangelium, abscondita vocare, quæ 70. problemata latinus interpres minus rectè propositiones appellat: nam hebr. est ænigmata, vt annotauimus psalmo 48. in illum versum: Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam, quo loco de problemate & parabola plura annotauimus. ¶ C. Hi versus cum omnibus sequētibus, interprete Hieron. non ad Christū, vt duo priores, referūtur, sed ad apostolos, qui recēsent nobis beneficia Dei, quæ à patriarchis & prophetis audierunt, & cognouerunt olim patribus præstita. Quod autem interpres latinus vertit hoc loco, quanta audiuimus: & paulò infrà, quanta mandauit patribus nostris, vtrobiq; est grçcè ὅσα, quod non solū est, quāta, sed etiam,

etiam quæcunq;,& sic reddendum erat:vnde clariùs ad heb. veritatem Hieronymus, Quæ audiuimus & cognouimus:nam relatiuum,ea,hoc loco superest.Sic & infrà, Quæ mandauit patribus nostris. ¶ D. Quod hoc loco vertit,suscitauit,hebr. veritas clariùs legit,statuit contestationem:nam græcum verbum ἀνίστημι, non solùm est suscito, sed et erigo et statuo.Testimoniũ autem et lex Aug.interprete duo sunt nomina eiusdem rei: vnde & tabernaculum illud,quod iussu Dei construxit Moses in deserto, tabernaculum testimonij dictum est:lex enim sub testibus quibusdã Mose, Aaron,& 70. senioribus tradita est Iudæis,vel quia signis & prodigijs testificatus est Deus, & ratam fecit legem:vnde infrà psal. octogesimo. Audi populus meus & contestabor te. Israël si audieris me,non erit in te Deus recens,neque adorabis Deum alienum.

¶ E. Hebraica veritas interprete Hieron. clariùs explicat sensum per verbum actiuum:sic enim habet,Et non credidit Deo spiritus eius. Augustinus putat hoc loco passiuum verbum magìs exprimere rem ipsam quàm actiuum verbum. Sed interpres verbum græcum πιστόομαι,commodiùs per aliud verbum reddidisset: non enim solum est credor, sed etiam fide approbor, fidelis existimor, concilior, vt sensus sit,spiritus eius non est per fidẽ conciliatus Deo,vel apud Deum fide cõprobatus. ¶ F. Græcè est apud 70. non arcus, sed arcubus, quomodo & Augustinus fatetur græcos codices habere τοῖς τόξοις, vt sensus sit,filij Ephraim intendentes & ferientes arcubus, hoc est, sagittis emissis ab arcubus:nam βάλλω non solùm mitto significat, sed etiam ferio & percutio significat.Porrò per Ephraim,symbolicè hæretici intelliguntur interprete Hieronymo, qui falsis dogmatibus & simplicium & innocentum corda feriunt,& in die belli, cùm se pro populo Dei velut murum opponere deberent,conuersi sunt, hoc est, terga verterunt & ad hostes ecclesiæ se conuerterunt, & illis coniuncti sunt. Ephraim autem qui fuit filius Ioseph,ætate quidem iunior fratre suo Manasse, sed benedictionibus auctior Christianum populum significat,qui benedictionem destinatam Iudaico populo,maiori natu præripuit, vt Iacob benedictionẽ Esau. Cùm enim Iacob moriturus benediceret filijs Ioseph,Manasse & Ephraim:& Ioseph maiorem natu, cui primogenita debebantur,ad dexteram patris collocasset, & Ephraim minorẽ natu ad sinistram cõstituisset, Iacob commutatis manibus dextram trãstulit in caput Ephraim, sinistram in caput Manasse dicens, frater eius iunior, maior erit illo, & semen eius crescet in gentes, vt scribitur Exodi 48.Hæc quoque tribus Ieroboam secuta adorat vitulos aureos relicto templo Domini,vt habet 3.Reg. Quare benè per filios Ephraim hæretici notantur,qui vt Ioannes inquit, prodierunt ex nobis, sed non erant ex nobis. ¶ G. Tanis taneos,vrbs est Ægypti miraculis Mosi memorabilis, quæ edidit coram Pharaone: vnde ostium Nili Tanicum siue Taniticum dictum est: habet enim Nilus fluuius Ægypti maximus septem ostia, per quæ se exonerat in mare. Author verò est Herodotus lib. 2. ab insignibus vrbibus imposita esse nomina ostijs: appellantur enim his nominibus,Canopicum, Bolbiticum, Sebenniticum, Mendesium, Pathinicum, Pelusianum, & Tanicum,siue Taniticum, quòd his vicinæ sint vrbes, Canopus, Bolbis, Sebennis, Pathinis, Mendes, & Tanis, de qua hoc loco appellatur eadem vrbs alio nomine Taphnis: vnde illud Hieremiæ, Filij quoque Mempheos & Taphneos constuprauerunt te vsque ad verticem.

¶ H. Genitiuus diei hoc loco positus, per ablatiuum vel accusatiuum temporis vertendus erat:nam apud græcos tempus quando ponitur in genitiuo, eò quòd ipsi ablatiuo careant,quare sic erat vertendus hic locus:Deduxit eos in nube per diem, vt ad hebraicam veritatem reddidit Hieronymus, vel in die siue interdiu, cui benè respondet quòd sequitur: Et tota nocte in illuminatione ignis. Intelligit enim columnam illam nubis,& columnam ignis,de quibus Exodi 13.sic habemus. Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. Quoniam autem in parabolis hæc nobis proponuntur,& vt Paulus habet,in figura nostri, id est, vt nobis exemplo essent contigerunt patribus, eruenda sunt mysteria sub inuolucris verborum latentia. Beneficio sanguinis Christi per aquas baptismi educti sumus ex Ægypto, id est, ex tenebris huius seculi, duce Mose, id est, lege diuina nos erudiente, & per Spiritum sanctum ducimur vt non vtamur prosperis per diem, nec lædamur aduersis per noctem:id enim est colũna nubis,& ignis:& de spirituali petra,id est, Christo bibimus aquas illas,de quibus apud Ioannem Christus, Qui credit in me,fluent de ventre eius aquę viuę,vt apostolus disserit de his cap.10.prioris epistolæ ad Corinth.

[I] Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas. Et appoſuerunt adhuc peccare ei, in irã concitauerũt excelſum in inaquoſo. Et tentauerũt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Et malè locuti ſunt de Deo, & dixerunt [K], nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Quoniã percuſſit petram & fluxerũt aquæ, & torrentes inundauerunt. Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? Ideo audiuit Dominus & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira adſcendit in Iſraël. Quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius. Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cæli aperuit. Et pluit illis manna ad mãducandum, & panem cæli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia. Tranſtulit [L] auſtrum de cælo, & induxit in virtute ſua Aphricum. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducauerunt & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei adſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum, & electos Iſraël impediuit.

¶ I. Moſes in deſerto percuſſit virga ſua petram Oreb, & elicuit aquas populo ſitienti, vt ſcribitur Exodi 17. cap. Idem ſecundo fecit, vt ſcribitur Numerorum 20. cap. Cum virga bis percuſſit ſilicem, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſime vt biberet populus & iumenta: vtrunque autem factum eſt in deſerto Sin, ſed diuerſis locis, primùm in Cades, deinde in Raphidim: vnde & alijs nominibus loca hæc appellata ſunt, prior dictus eſt tentatio, quia tentauerunt Dominum, alter verò aqua contradictionis, vbi & Moſes, quia diffidere cœpit, offendit Dominum. Ne quis itaque putet hoc loco eandem rem bis dici, ſuperior verſus ad prius miraculum, poſterior ad ſecundum referendus eſt. Quid verò petra nobis myſticè ſignificat, & quid panis hic cæleſtis, explicat apoſtolus cap. 10. prioris epiſtolæ ad Corinth. dicens: Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali eos conſequẽte petra, petra autem erat Chriſtus. ¶ K. Auguſtinus in commentarijs ſuis legit, Detraxerunt Deo: eſt enim græcè verbum καταλαλέω, quod eſt famæ alicuius detraho, aduerſum aliquẽ loquor. Hiſtoria autem hæc ſcribitur Exod. 16. filios Iſraël murmuraſſe contra Moſen & Aaron, & dixiſſe, vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium & comedebamus panem in ſaturitate. Cur induxiſti nos in deſertum iſtud, vt occideres omnem multitudinem famę? Et ait Dominus ad Moſen, loquere ad eos, veſperè comedetis carnes, & manè ſaturabimini panibus, ſcietiſq; quia ego ſum Domin⁹ Deus veſter. Factũ eſt autem veſperè, & adſcẽdẽs coturnix cooperuit caſtra. Manè quoq; ros iacuit in circuitu caſtrorũ cum quo vnà deſcendit mãna. Verùm iſtud murmur quãquã offendit Dominum, tamẽ impunè illis ceſſit: vnde benè ſubijcit, Audiuit Dominus & diſtulit. ſ. vindictam, quamuis iam iram concepiſſet aduerſus Iſraëlitas. Notãdũ autem ad veſperam ſaturatos carnibus, manè autem cæleſti pane. Nam quandiu vmbrę legaliũ cęremoniarũ durabãt, dicit eos paſtos carnibus, id eſt, craſſiorib⁹ ſacramẽtis hoſtiarũ legalium: ſed poſtquam euangelica veritas vmbras illas fugauit, & diem nobis diuinæ cognitionis reduxit, manna ſumus paſti: & ne quid terrenum hîc opinemur, addit, Panẽ angelorũ mãducauit homo, qui profectò nõ alius eſt quã ille qui apud Ioan. inquit: Ego ſum panis qui de cælo deſcẽdi. ¶ L. Non eſt gręcè, tranſtulit, ſed ἀπῆρεν, id eſt, abſtulit: auſtrũ, hoc eſt, flare vetuit, quanquã hebr. veritas legat non, Auſtrũ, ſed Eurum. Aphricus autem ventus eſt, qui ſpirat inter auſtrum & fauoniũ, medius inter meridiem & occidentem, ſic dictus quòd ſpiret ab Aphrica: vnde & græcè Libs appellatur, quòd ab ipſa

ab ipsa Libya veniat, quę Africę pars est. Historia autē cuius hoc loco mētio fit, scribitur num. 11. filios Israël fleuisse desiderio carnium et dixisse: Quis dabit nobis carnes ad vescendum? recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq; & cepę et allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Egrediens autem ventus à Domino arreptas trans mare Coturnices detulit & dimisit in castra, volabantq; in aëre duorum cubitorū altitudine. Adhuc carnes erant in dentibus eorū, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna, vocatusq; est locus ille, sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerunt carnes. Per hos notantur qui fidē Christi amplexi, postquam renunciarunt seculo, ad pristina sua peccata reuertuntur, qui vt Paulus habet, cùm spiritu cœperint, carne consummantur, & qui post cælestem illum panem suspirant carnes Ægyptias, & postquam semel illuminati gustauerunt donum cæleste, prolabuntur in vitia, & veteribus denuò implicantur peccatis, illecti voluptatibus Ægypti, id est, illecebris huius seculi. ¶ M. Pingues hoc loco in vulgatis codicibus græcis non habetur, quod & Aug. annotat. Sic enim 70. legunt græcè. Et occidit in pluribus eorum. Nisi fortè codices mendosi sint, & loco πίοσιν, id est, pinguibus irrepserit πλείοσιν, id est, pluribus. Heb. enim veritas sic habet: Et occidit pingues eorū, & electos Israël incuruauit. Aug. autē pingues vocat, superbia præualentes, quorum iniquitas velut ex adipe prodit. Electi autem impediti sunt, vel vt græcè est, compediti, quoties nec ipsi sacerdotes purè & innocenter sacramenta cælestia percipiunt interprete Hieronymo.

In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione. Cùm occideret eos, quęrebāt eum, & reuertebātur, et diluculo veniebāt ad eū. Et rememorati sunt, quia De⁹ excelsus redēptor eorū est. Et dilexerūt [N] eum in ore suo, & lingua sua mētiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos. Et abundauit [O] vt auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suā. Et recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens & nō rediēs. Quoties exacerbauerunt eum in deserto, in irā concitauerunt eū in inaquoso. Et conuersi sunt & tentauerunt Deum, & sanctum Israël exacerbauerunt. Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis. Sicut posuit in AEgypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos. Et conuertit in sanguinem flumina eorum [P], & imbres eorū ne biberēt. Misit in eos [Q] cynomyiam & comedit eos: & ranam, & disperdidit eos.

¶ N. Legimus enim Exod. 24. eos respondisse & dixisse Mosi. Omnia quæcunque dixerit Dominus, faciemus, quod re ipsa minimè pręstiterunt: nam paulò pòst adorauerunt vitulū aureū: vnde apud Esa. Dominus, idem illos exprobrat, Populus hic labijs (inquit) me honorat, cor autē illorū longè est à me: Et propterea non sunt fideles habiti in testamāto eius. Nam fidelis anima dicit, Satiabor cùm apparuerit gloria tua: hęc est enim hæreditas noui testamenti inquit Aug. At infidelis & adultera generatio fastidiens cælestem panem, cupit saturari ollis carnium Ægyptiarum, melonibus, allijs & cepis, & cùm Deum colere videatur, temporalia commoda venatur.

¶ O. Die qua redemit. Gręcè est genitiuus ἡμέρας, sed quia nō est genitiuus denotans tempus vt suprà, Ibi: Et deduxit illos in illuminatione diei, hoc est, in die, vel per diem. Hoc loco non erat mutandus in ablatiuum, sed relinquendus erat, quia regitur à verbo recordor. Quare rectiùs Hieronymus ad hebraicam veritatem, Non sunt recordati manus eius diei qua redemit eos, etc. Obscurè reddidit interpres locum

cum hunc. Nam verbũ græcũ πλιθύνω, quod vertit per verbũ abundauit, actiuum potiùs eſt, ſignificatque multiplico. Quare ſic apertiùs vertiſſet, Multus fuit in auertendo iram: vel vt hebraica veritas habet interprete Hieron. Multum auertit iram ſuam.

¶ P. Quod latinus interpres vertit hoc loco, imbres, Auguſtinus in commentarijs ſuis annotat rectius verti, manationes aquarum, græcè ὀμβρήματα, quas latini ſcaturigines dicunt, aquas videlicet ab imo ebullientes: tametſi ab imbre ſeu pluuia deducitur, quæ græcè ὄμβρος dicitur: Nec malè, quia imbrium aut pluuiarum quòd mutatæ ſunt in ſanguinem, nullam facit mentionem liber Exodi, ſed fluminum & lacuum & paludum: maximè cùm rariſſimę ſint pluuiæ in Ægypto, quæ inundatione Nili fœcundatur autore Plin. lib. 18. cap. 18. ¶ Q. Cynomyia, latinè ſonat muſca canina, & eſt genus muſcæ moleſtiſſimum, quæ Exodi octauo cap. appellatur vt videtur Cyniphes. Cynips autem, vel vt græca ortographia habet κυνίψ, culicis genus eſt, quam latini mulionem vocant. Diuus tamen Hieronymus ſcribens ad Suniam & Fretellam vult hoc loco legendum eſſe Cœnomyiam, quaſi dicas omne genus muſcarum. Nam κοινός ſignificat commune vel generale: Sic enim legimus Exodi 8. poſt plagam culicum ſubſecutam plagam muſcarum omnis generis: vnde ad hebr. veritatem reddidit: Et immiſit in eos omne genus muſcarum: huic autem lectioni ſuffragatur tranſlatio Aquilæ, qui vertit non cynomyiam, ſed παμμυῖαν, id eſt, omnimodam muſcam: μῦια enim græcè, latinè muſca πᾶν totum ſiue omne.

Et dedit [R] ærugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ. Et occidit in grandine vineas eorum, & moros [S] eorum in pruina. Et tradidit grandini iumenta eorum, & poſſeſſiones eorum igni. Miſit in eos irã indignationis ſuæ, indignationẽ & iram, immiſſionem per angelos malos. Viã fecit ſemitæ iræ ſuæ & nõ pepercit à morte animabus eorum, & iumenta eorum in morte concluſit. Et percuſſit omne primogenitum in terra AEgypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham [V]. Et abſtulit ſicut oues populum ſuum, & perduxit eos tanquam gregem in deſerto. Et deduxit eos in ſpe & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. Et induxit eos in montem ſanctificationis [X] ſuæ, montem quem acquiſiuit dextera eius. Et eiecit à facie eorum gentes, & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Iſraël. Et tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelſum, & teſtimonia eius non cuſtodierunt. Et auerterũt ſe & non ſeruauerunt pactũ, quemadmodum patres eorũ conuerſi ſunt in arcum [Y] prauũ. In irã concitauerũt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulatįonẽ eum prouocauerũt.

Diuiſio.

¶ R. Quod hoc loco vertit æruginem, alij rubiginem malunt dicere, quæ eſt vitium ſegetum, quoties immodico humore corrumpuntur, & culmi marceſcunt, & in fœtidum puluerem comminuuntur: vnde Virg. primo Georg. Vt mala culmos eſſet rubigo. Propriè autem ærugo, æris eſt vitium, ſicut ferrugo, ferri, quæ & rubigo dicitur à rubro colore: vtrunque autem ad ſegetes transfertur: tametſi rubigo in hac acceptione vulgatiùs ſit apud latinos: heb. veritas habet loco, æruginis bruchum. Hoc modo: Et dedit brucho germen eorum et labores eorũ locuſtę. Eſt autẽ bruchus genus inſecti longiori aluo & volatile, non abſimile locuſtæ, ſed poſterioribus cruribus breuioribus quàm locuſta, ab edacitate quæ virẽtia abſumit nomen habens: βρώσκω enim, comedo eſt latinè. ¶ S. D. Hieron. & cæteri verterunt, & ſycomoros, græcè συκαμίνους. Sciendum autem Morũ Ægyptiã eandem eſſe prorſus cum Sycomoro, vt author eſt Theophraſtus lib. 4. de natura ſtirpium. Dicit quoq; morum Ægyptiam quodãmodo ſimilem eſſe moro noſtrati, quippe quę folio, magnitudine et ſpecie proxima ſit moro, quę apud nos naſ-

nos nascitur. Appellatur autem Sycomorus: vel vt Celsus eam appellat, Morosycus, quòd inter morum & ficum mediæ cuiusdam potentiæ & naturæ sit: vnde & nomen habet ab vtraque. Nam græci συκῆν appellant, quam nos ficum appellamus: vnde liquet ineptam esse etymologiam eorum qui dictam volunt, quasi fatuam ficum, quod μωρὸς græcè, fatuus sit latinè, cùm ab arbore moro cui similis est nomen habeat. Tantæ autem fœcunditatis esse morum Ægyptiã autor est Iohãnes Ruellius, vt vno anno septies fructum proferat, & vbi vnum decerpseris, alter continuò pullulet.

¶ T. Heb. veritas sic habet interprete Hiero. Muniuit semitam furori suo. Porrò vt nos habemus, viam facere semitæ iræ suæ, interprete Aug. est aperta vltione sæuire in eos, quos occulto iudicio Deus antè puniuit: Sic enim habet, Erat inquit semita iræ Dei, quæ Ægyptiorum impietatem occulta æquitate puniret. Sed eidem semitæ viam fecit, vt eos tanquam ex abditis per malos angelos in manifesta scelera perducens, vt impios euidentissimè vindicaret. ¶ V. Cham vnus fuit filiorum Noë, qui patrem inuerecundiùs nudatum, cùm ebrius dormiret, ludibrio habuit: vnde maledictus est à patre. Ab hoc descenderunt Assyrij, & Ægyptij & septem illæ gentes Chananæorum, quos expulerunt filij Israël, occupatis illarum sedibus & agris, de quibus paulò infrà: Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram, vt habet liber Iosuæ.

¶ X. Quamuis iuxta literam terrenam illam Hierusalem, quæ cohęrebat monti Sion, intelligere videatur, mysticè tamẽ Ecclesiam per montem sanctificationis intelligit, de qua Dominus apud Matthæum: Non potest inquit abscondi ciuitas super montem posita: & Esaias eandem vocat montem domus Domini præparandum in nouissimis dierum in vertice montium, & eleuandũ super omnes colles, quem bene sanctificationis montem vocat, quòd extra ecclesiã nemo sanctus sit: vel quòd per Spiritum sanctum & sacramenta sua illam sanctificet: vnde infrà sanctificium appellat eandem, alibi sanctuarium: sic enim Exodi 15. cecinit Moses, Introduces eos et plãtabis in mõte hæreditatis tuæ, sanctuarium tuum Domine quod firmauerunt manus tuæ

¶ Y. Arcum prauum siue peruersum vocat, quòd prauo corde & peruersa intentione Deum colerent, & externis sacrificijs & cæremonijs inhęrerent: cor autem rectum & fidum erga Deum non haberent: vel peruersum aut prauum arcum vocat, perfidos, scismaticos, & hæreticos, qui cùm hostes ferire & profligare deberent, in suos iacula conuertunt: vnde suprà filij Ephraim intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.

Audiuit Deus, & spreuit, & ad nihilũ redegit valde Israël. Et repulit tabernaculum Silo Z, tabernaculum suum vbi habitauit in hominibus. Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinẽ eorum in manus inimici. Et conclusit in gladio populum suum, & hæreditatem suam spreuit. Iuuenes eorũ comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur. Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanq̃ potẽs crapulatus à vino. Et percussit inimicos suos in A posteriora, opprobriũ sempiternũ dedit illis. Et repulit tabernaculum Ioseph, et tribum Ephraim non elegit. Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit. Et ædificauit sicut vnicornium sanctificiũ suum in terra, quam fundauit in secula. Et elegit Dauid seruum suũ, et sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum. Pascere Iacob seruum suum, & Israël hęreditatem suam. Et pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

¶ Z. Silo, vrbis nomen est in tribu Beniamin, vbi primùm fixerunt tabernaculum testimonij filij Israël postquam venerunt in terram Chanaam, expulsis Chananęis, vt scribitur Iosuę 18. Ibiq; mãsit vsq; ad tẽpora Samuelis: Nã Samuele puero ministrãte in templo Domini, capta est arca Domini à Philistęis in bello, in quo & cæsi sunt inter cęteros duo filij Heli sacerdotes Domini, vt scribitur Reg. 1. ca. 4. deinde reduxerũt

arcam viri Cariath,Iarim,& collocarunt eam in Gabaa, vbi vſque ad tempora Dauid regis permanſit, qui eam induxit in Hieruſalẽ & collocauit in tabernaculo, donec Salomon ędificauit templum Domino. ¶ A. Iuxta literam de filijs Heli ſacerdotibus Domini Ophni,& Phinees,hæc accipiuntur.Tunc enim cæſus eſt populus Iſraël à Philiſtæis,& ceciderunt duobus prælijs congreſsi 34.milia peditum, & arca capta eſt. Verùm vt antè admonuimus, quoniã parabolas & ænigmata ſe dictururũ profeſſus eſt Dauid, nulli dubium quin ad noſtra hæc tempora referenda ſint, in quibus videmus Deum migraſſe à Iudæis ad populos gẽtium,& trãſtuliſſe tabernaculũ ſuum ad veros Iudæos,hoc eſt,vita & moribus confitentes Deum. Iudas enim ſonat confeſsionem. Et hodie quoque idem nobis, id eſt, chriſtianis contingit, vt propter impietatem & perfidiam ſubinde Deus transferri patiatur tabernaculum ſuum, hoc eſt, fidem & religionem,à regione ad regionem,à regno ad regnum,& populum ſuum & ſacerdotes ab hoſtibus fidei opprimi & trucidari:vnde & Dominus apud Hieremiam cap.26. comminatur.Dabo domum iſtam ſicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus:& iterum alibi, Ite & videte quid feci Silo, vbi erat tabernaculum meum ab initio. ¶ B. Hebraica veritas interprete Hieron. ſic legit hunc verſiculũ:Et euigilauit quaſi dormiẽs Dominus, quaſi fortis poſt crapulã vini.Vina enim etiã ignauo addere ſolent audaciam & fortitudinem, quod bene explicat Paraphraſtes his verbis: Quomodo ſolet(inquit)qui vino obrutus,poſt lõgũ ſomnũ redit ad ſe, & iterũ vino exhilarans ſe, fortiter pericula adgreditur. Omnia enim hæc ἀνθρωποπαθῶς accipienda ſunt: Deus enim nec dormit, nec crapula diſtenditur. Sed dormire dicitur, quoties imploratus non fert opem: Euigilare autem, cùm auxilium fert.Porrò crapula non eſt propriè gulæ vitium in edacitate nimia ſitum, ſed vt annotat Galenus ſcribens in Aphoriſmos Hipocratis:Omnis noxa facta à vino immoderatiùs hauſto,gręcè vocatur κραιπάλη,nos crapulam dicimus:vnde & nomen habet à vibratione & agitatione capitis:κάρα enim græcè,caput eſt latine,& πάλλω vibro,agito,concutio.

¶ C. Quod 70.verterunt in poſteriora.D.Auguſt. in commentarijs ſuis refert ad plagam, qua percuſsi ſunt Philiſtæi poſtquam cæperunt arcam fœderis: percuſsi enim ſunt in ſecretiori parte natium, ita vt putreſcerent prominentes extales eorum,vt habet cap.5.primi Regũ. Et is accipit poſteriora,pro poſterioribus partibus corporis humani, hanc interpretationem ſecutus eſt Iohannes Campenſis:Vulnerauit inquit hoſtiũ ſuorũ podices,ſic & Paraphraſtes Chaldęus percuſsit hemorroidibusin poſteriora. Verùm D.Hier.ad hebraicã veritatẽ ita reddidit,Percuſsit hoſtes ſuos retrorſum,quem ſecutus Munſterus clariùs id explicat, Percuſsit inquit hoſtes ſuos tergum vertentes. Id enim ſonant voces gręcanicæ apud Septuaginta interpretes εἰς τὰ ὀπίσω,hoc eſt,in tergum retrorſum. ¶ D. Appellatione Ephraim in ſacris literis,ſæpe intelligũtur decem illę tribus, quę relicto regno Dauid,elegerũt ſibi Hieroboam regem,cuius vrbs regia fuit Samaria : vnde apud Ozee ad decem has tribus ſermo Domini factus eſt ſub nomine Ephraim aut Samariæ,eaſdem per tabernaculum Ioſeph intellige. Fuit enim Ephraim filius Ioſeph,quæ tribus reiecta eſt,quia relicto cultu vnius veri Dei,adorauit vitulos aureos,quos ſtatuit Hieroboam Rex. Iuxta literam autem repulſa dicitur hæc tribus, quia ex tribu Iuda naſci voluit Dominus. ¶ E. Quod vertit hoc loco ſanctificium,græcè eſt ἁγίασμα,quod ad verbum ſonat,ſanctificationem: clariùs legit Hier. ad hebraicam veritatem:Et ædificauit in ſimilitudinem monocerotis ſanctuariũ ſuum, quaſi terram fundauit illud in ſeculum: non enim eſt græcè apud 70. relatiuum quam hoc loco: ſic enim legunt, In terra fundauit ipſam in ſecula, vt ipſam ad ſanctificium referatur. Abutũtur enim aliquando fœminino genere pro neutro,vt ibi : Vnam petij à Domino, pro vnũ:Porrò Deum Monoceroti cõparat propter inuictũ robur & inſuperabilem fortitudinem : tradit enim Pli.lib. 8. cap.21. inter omnes feras quas gignit Æthiopia, nullam Monocerote eſſe aſperiorem: tantæ enim feritatis eſſe traditur, vt viuum eum capi negent:vnde pſalmo 28.de filio Dei dictum eſt:Dilectus quemadmodum filius vnicornium, quo loco plura de Monocerote dicta ſunt.

¶ Hebra.veritas ſic habet interprete Hieronymo : Tulit eum de gregibus ouium ſequentem fœtas adduxit eum : quod enim interpres vertit, fœtantes, græcè eſt λοχευομένας.Eſt autem λοχεύομαι fœtum produco,pario, aut ex partu decumbo. Conſtat autem, Dauid ex paſtore ouium vnctum à Samuele propheta in regem. Verùm iuxta myſticum ſenſum, verus Dauid,id eſt, vnicus Dei filius, qui antè pauerat greges Iſraëlitici populi,per patriarchas & prophetas ab his gregibus aſſumptꝰ eſt à Deo patre, vt Rex

vt Rex gentium esset, & per apostolos & eorum successores pasceret veros Israëlitas, & spirituales filios Iacob, hoc est, christianos: quod futurum Esaias longè antè vaticinatus est cap.40. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius omnibus dominabitur. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. ¶ G. Non dixit, in innocẽtia manuum, sed cordis: quia parum est innocentiam manuum habere si cordis absit innocentia. Multi enim inquit Augustinus innocentes sibi videntur, qui non faciunt mala, cùm timent ne patiantur si fecerint: vellent autem facere si impunè potuissent. Manuum autem intellectum, vocat altissimam illam sapientiam diuinorum operum, qua hodie mirabiliter suos pascit Christus.

Canticum Asaph. Psalmus LXXVIII.

DEus, venerunt gentes in hæreditatem tuã, polluerunt templũ sanctum tuum, posuerũt Hierusalẽ [A] in pomorũ custodiã. Posuerunt morticina seruorũ tuorũ escas volatilibus cæli, carnes sanctorũ tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinẽ ipsorum tanquam aquã in circuitu Hierusalẽ, & non erat qui sepeliret. Facti sumus opprobriũ vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Vsquequo Domine irascẽris in finẽ, accẽdetur velut ignis zelus tuus? Effunde irã tuã in gẽtes quæ te nõ nouerũt, et in regna quæ nomẽ tuũ nõ inuocauerunt. Quia comederũt Iacob, et locũ eius desolauerũt. Ne memineris iniquitatũ nostrarũ antiquarũ, citò anticipẽt nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriã nominis tui Domine libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomẽ tuũ. Ne fortè dicãt in gẽtibus, vbi est Deus eorũ? et innotescat in nationibus coram oculis nostris. Vltio sanguinis seruorũ tuorum qui effusus est, introẽat in cõspectu tuo gemit⁹ cõpeditorũ [B]. Secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorũ, improperium ipsorum quod exprobrauerũt tibi Domine. Nos autem populus tuus et oues pascuę tuæ confitebimur tibi in seculum. In generationem et generationem annunciabimus laudem tuam.

Psalmus hic eiusdem est argumenti cuius est 73. Vt quid Deus repulisti, quare huc referendũ quoq; est argumentũ quod eo loco annotauimus. Deplorat enim calamitates ecclesiæ, & sanguinem martyrum & piorũ indignè effundi in circuitu Hierusalem. Quæ quidẽ omnia non de terrena illa Hierosolyma, nec de tẽplo Salomonis, quod eo tẽpore nondũ ædificatũ erat, intelligenda sunt, sed de illa Hierusalẽ quam sursum esse dicit Apostolus, hoc est, de cęlesti Hierusalẽ, nõ quòd iã in cęlis tota sit, sed quòd eius fundamẽta sint in cælis, videlicet Christus, Apostoli, Patriarchę & Prophetæ. Circuitus itaq; Hierusalẽ est, ambitus ecclesiæ catholicæ, quæ se vsq; ad fines orbis terrę extẽdit: quotquot ergo ob Christi fidẽ trucidati sunt in ecclesia, & omnis sanguis piorum qui ob cõfessionẽ vnius veri Dei effusus est in circuitu Hierusalẽ, effusus dicitur. ¶ A. Interpres latinus ad verbum reddidit græcam vocem ὀπωροφυλάκιον, quam aliter transferri posse negat Hieron. scribens ad Suniam & Fretẽllã. Est itaque Oporophylacium, tuguriolum quod in vineis hortis & pomarijs exstrui solet ad custodiendos fructus, ne diripiantur à furibus: φυλακὴ enim custodiam siue locum custodiæ deputatum significat, & ὀπώρα, græci appellãt omnes fruct⁹ molliori cortice, quę poma latinis dicũtur. Significat enim summã vastationẽ & desolationẽ p pomorũ custodiã. Vbi enim fruct⁹ collecti sunt ex agris, relinqui solet eiusmodi tuguriolũ. Sic Esa.1. similitudine eadẽ vsus propheta vaticinatur vastandam Hierusalem his verbis: Et relinquetur filia Sion velut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario: hebr. autem veritas legit.

Poluerunt

Posuerunt Hierusalem in aceruum lapidum,quo deuastatio quoque significatur, cùm solæ ruinæ & lapidum acerui relinquũtur. ¶ B. Compeditos vocat carni & sanguini,hoc est,corruptibili corpori implicitos.Nam compedes inquit Aug.sunt infirmitas & corruptibilitas corporis quæ aggrauant animam. Ab his compedibus cupiebat liberari Apostolus scribens Philippensibus. Cupio inquit dissolui & esse cum Christo. Porrò filios mortificatorum appellat fideles, qui sectantes exempla apostolorum & martyrum,quos loco spiritualium patrum habuerunt, carnem suam mortificarunt, & crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis: hos ergo cupit à Deo ceu peculium quoddam seruari & possideri,ne diripiat eos hostis humani generis, vel vt hebr. veritas legit,Relinque filios interitus,hoc est,conserua,& morti destinatos, superstites relinqui. ¶ C. Septuplum redde,id est,plenam vltionem de ijs sume: nam septenarius numerus,qui consecratus est literis sacris ferè ad perfectionem referri solet, quòd is perfectissimus sit propter creatoris & rerum creatarum mysterium. Septies itaque dicitur fieri,quod semper omnique tempore fit:vnde illud Dauid alibi. Septies in die laudem dixi tibi. Si enim hîc definitum numerũ diceret, falsum esset quod aliàs dixit. Benedicam Dominũ in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Tale est & illud Genes.Septuplum vltio dabitur de Cain.Apud prophanos quoque autores celebratur in hac acceptione numerus septenarius.Sic enim Iuuenalis Saty.6.Horreat inque dies septenis oderit horis.

In finem,pro his qui A *commutabuntur,testimonium Asaph.*

PSALMVS LXXIX.

QVi B regis Israël intende,qui deducis velut ouem C Ioseph. Qui sedes super D Cherubin,manifestare coram Ephraim,Beniamin & Manasse. Excita potẽtiã tuã, & veni vt saluos facias nos. Deus conuerte nos,& ostende faciem tuam,& salui erimus.Domine Deus virtutum,quousque irasceris super orationem serui tui?Cibabis nos pane lachrymarũ,et potũ E dabis nobis in lachrymis in mẽsura.Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos.Deus virtutum conuerte nos,& ostende faciem tuam & salui erimus.Vineã F de AEgypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu eius,& plantasti radices eius, & impleuit terram.Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros G Dei. Extendit palmites suos vsque ad mare,& vsque ad flumen H propagines eius.Vt quid destruxisti maceriam eius,& vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam.Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.Deus virtutum conuertere,respice de cęlo, & vide,& visita vineam istam.Et perfice eam quam plantauit dextera tua,& super filium hominis quem confirmasti tibi.Incensa igni & suffossa,ab increpatione vultus tui peribunt.Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ,& super filium hominis quem confirmasti tibi.Et nõ discedimus à te,& nomen tuum inuocabimus.Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam et salui erimus.

¶ A. Psalmus hic quia in titulo habet,pro his qui cõmutabũtur,vel vt heb.verit. habet,pro lilijs,nulli dubiũ quin de ecclesia loquatur, & christianis qui per lauachrum regenerationis immutati sunt,& candidi facti cùm antè vitijs sorderent, vt annotauimus in psalmo 44.Quoniam autẽ ecclesia ex Iudæis & gentibus collecta est, vtriusq; populi mentionem facit in principio optans celerem aduentum Christi in mundum, vt gentes quas per Ephraim,Beniamin,& Manasse denotat,saluentur: deinde perficiatur siue

tur siue instauretur vinea Iudaici populi diruta & conculcata, quam ex Ægypto ducibus Mose & Aaron eduxit. ¶ B. Augustinus in suis commentarijs hūc primum versum ita legit: Qui pascis Israël, intende: verbum enim græcum ποιμαίνω vtrumque significat, & pasco, & rego: vnde & psalmo 77. vertit similiter interpres, Pascere Iacob seruum suum. Et pauit eos in innocentia cordis sui: vnde & primus ille versiculus psal. 22. qui apud nos sic legitur: Dominus regit me etc. ita verti poterat, Dominus pascit me. Sic enim Augustinus quoque legit. Dulcius enim & significantius est pascere quàm regere, cùm alterum benignitate non careat nec beneficio: alterum verò etiam tyrannorum sit. ¶ C. Sicut per Israëlem siue Iacob, omnes nepotes siue posteri significantur figuratè, ita per Ioseph hoc loco, spirituale semen ipsius Ioseph, denotatur, hoc est, christiani, quos iam antè per Ephraim & Manasse significari diximus filios Ioseph. Non enim illum Ioseph inquit Hieronymus hoc loco denotat, cuius tabernaculum in alio psalmo repulisse dicitur, sed illum Ioseph, qui triginta argenteis à discipulo venditus, paterna virtute ex inferno eductus est cum grege iustorum. Quoniam autem prædicatione apostoli Pauli, qui doctorem gentium se appellat, præcipuè conuertendæ erant nationes gentium, orat vt coram Beniamin quoque appareat, & ex persecutore & rapace lupo, apostolum & fidei propagatorem efficiat: nam de tribu Beniamin fuisse paulum constat. ¶ C. Cherub, cuius plurale est Cherubim, latinè sonat plenitudo scientiæ. Deum itaque sedere super Cherubim, nihil aliud est, quàm omnes thesauros sapientiæ & scientiæ in Deo reconditos esse, & cùm omnia moderetur & gubernet cum summa tranquillitate & quiete, nihil tamen eum latêre, cuius oculi multo lucidiores sole (vt Salomon inquit) contemplantur in omni loco bonos & malos: vnde & cognitor cordium, & renum scrutator appellatur alibi: hinc apud Danielem, Benedictus qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos.

¶ E Quid est in mensura? (inquit Augustinus) apostolū audi, Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari suprà quàm potestis. Ipsa est mensura pro viribus tuis: ipsa est mensura vt erudiaris, non vt opprimaris. Hebraica autem veritas loco illius, in mensura, tripliciter habet interprete Hieron. quomodo Pellicanus vertit, qui numerus ad multiplicitatem referendus est, sicut de septenario antè diximus: vnde alij vertunt: Dedisti nobis potum lachrymas in maxima mensura, quas fundimus & desiderio tui & plenitudine & dolore peccatorum nostrorum.

¶ F. De hac vinea sic Esaias cap. 5. Vinea inquit facta est dilecto meo, & sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit vineam electam. Et expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. Auferam sepem eius & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam. Et ne cui dubium esset de qua vinea loqueretur, subdit: Vinea Domini exercituum, domus Israël est: & viri Iuda, germen delectabile eius. Quanquam & ecclesia vinea quoque Domini appellatur: vnde Christus apud Iohannem cap. 15. Ego inquit sum vitis vera, & pater meus agricola est: & paulò infrà, Ego sum vitis, vos verò palmites. Hinc Hieron. in commentarijs suis ad ecclesiam refert, non ad synagogam, cuius hæc sunt verba: Licèt hæc synagogā figurauerint, ad ecclesiā tamē referenda sunt, quæ à tenebris seculi ad cælestē dignitatem, eiectis vitiorum gentibus, per fidem translata est. ¶ G. Cedros Dei vt admonuimus aliàs psal. 35. in illum versiculum: Iustitia tua sicut montes Dei etc. appellat procerissimas & altissimas: quicquid enim eximium & admirandum est, id Dei esse hebraico idiomate dicitur: sic homo Dei is appellatur, qui diuina virtute præditus est, vel Deo charissimus est: ob vitæ sanctimoniam: sic Homerus Vlyssem Διογένη Diogenem sæpe vocat, hoc est, à Ioue genitum ob sapientiam & prudentiam à Deo collatam. Sic Hesiodus reges vocat διοτρεφεῖς diotrephes, id est, à Ioue enutritos propter eximias animorum dotes, vel propter potestatem regiam à Deo illis datam. ¶ H. Per mare, hoc loco intelligit mare, quod ab occidente habet Palestina: & per flumen, Euphratē fluuium. Hi enim termini erant terræ promissionis. Ita enim legimus Deuteronomij 11. A deserto & à libano & flumine magno Euphrate vsque ad mare occidentale, erunt termini vestri.

¶ I. Per aprum de sylua, hoc loco allegoricè intelligimus iuxta historiam Vespasianū Cæsarē, qui euertit Hierosoly. quē bene aprū, vel vt græcè est, porcū vel suem appellat, propter idololatriæ sordes. Sus enim lutulētū animal est: syluæ autē, appellātur gētes propter vitā moresq; incultos, vt ibi, Tūc exultabūt omnia ligna syluarū à facie Domini, quoniā venit iudicare terrā. Iuxta mysticū sensum, diabolū significat per aprū

de ſylua:is enim ante Chriſti aduentum in gentibus habitabat & dominabatur: eundem vocat ſingulariter fer, græcè μονιον, à præcipua & ſingulari crudelitate. Sic enim 70. verterunt hebraicā vocē זיז ziz, quæ vox quid propriè ſignificet, inter heb. cõtrouerſia eſt, tametſi vulgatior opinio ſit eſſe nomen generale fera um ſyluestrium: vnde Hieron. ad hebraicam veritatem vertit: Vaſtauit eam aper de ſylua, & omnes beſtiæ agri depaſtæ ſunt eam, ſic & cæteri. Sanctes autem, Et auis agreſtis depaſta eſt eam.

¶ K. Filium hominis hoc loco, Chriſtum Ieſum mediatorem Dei & hominum appellat, quem Deus confirmauit: vel vt græcè eſt, confortauit, vt is hoſtem violẽtiſsimum humani generis ſuperaret: vnde ſub Hieremiæ perſona ad illum dictum eſt illud Hieremiæ primo, Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & ſacerdotibus, & omni populo terrę. Et bellabũt aduerſum te, & nõ prȩualebũt, quia ego tecum ſum ait Dominus vt liberē te. ¶ L. D. Auguſt. ſcribẽs in hunc locũ, accipit vt ſint nominatiui caſus pluralis numeri & neutra. Incenſa igni & ſuffoſſa, & his verbis peccata ſignificari putat, quæ per Chriſti aduentum peritura ſunt. Nam omne peccatum inquit, aut cupiditas aut timor facit: amor quippe inflammat: timor verò humiliat & velut in ſuffoſſa loca animũ deijcit: verùm græcè ſunt nominatiui caſus ſingularis numeri & fœminei generis, & referuntur ad vineam, vt ſubaudias verbum ſubſtantiuum eſt: vnde clariùs heb. verit. legit: Suffoſſam igni & dearmatā ſ. viſita, & peribũt ſ. hoſtes.

A *In finem pro torcularibus. Pſalmus Aſaph.* *Pſal.* LXXX.

EXultate Deo adiutori noſtro: iubilate Deo Iacob. Sumite pſalmum, & date tympanum: pſalterium iucundũ cum cythara. Buccinate B in Neomenia tuba, in inſigni die ſolẽnitatis veſtræ. Quia præceptum in Iſraël eſt, et iudicium Deo Iacob. Teſtimoniũ in C Ioſeph poſuit illud, cùm exiret de terra AEgypti, linguā quam nõ nouerat, audiuit. Diuertit D ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt. In tribulatione inuocaſti me & liberaui te, exaudiui te in E abſcõdito tẽpeſtatis, probaui te apud aquā cõtradictionis. Audi populus meus, & conteſtabor te, Iſraël ſi audieris me, nõ erit in te Deus F recẽs, neque adorabis Deum alienum. Ego enim ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra AEgypti: dilata os tuum G, & implebo illud. Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet. Pro nihilo forſitan H inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in I ſecula. Et cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos.

¶ A. Quid ſignificet in titulo huius pſalmi pro torcularibus dictum eſt abundè in ijs quæ annotauimus in pſalmum octauum, quo loco admonuimus tres pſalmos in titulo habere, pro torcularibus, octauum, octogeſimum & octogeſimumtertium, qui omnes numero octonario denotant myſterium reſurrectionis Chriſti, qui octauo die reſurrexit à mortuis, & redemptionis humanæ ſacramentum, quod Chriſti ſanguine adepti ſumus, continent. Is enim torcular ſolus calcauit, vt per Eſaiam dixit.

¶ B. Hebræi menſes ſuos à nouilunio auſpicabantur: Primus itaque dies menſis, quem calendas appellamus, Iudæis celebris erat, quo tubis canebant, & certa ſacrificia offerre iubeantur vt ſcribitur Numeri 28. cap. Inter cæteras autem feſtiuitates, tres habebant præcipuas & celeberrimas feſtum Paſcæ, quod ſuo idiomate Phaſe appellabant: & feſtum Pentecoſtes ſic dictum à numero quinquagenario dierum, quos numerabant

merabunt à Pasca, quod & remissionis festum appellatur & festum nouorũ fructuum. Tertium erat festum tabernaculorũ, quod à figendis tabernaculis à Iohãne Euãgelista scenopegia appellatur, de quibus Moses tradit Leuit. 23. & Num. 29. Habebant præterea festum tubarum, de quo ita præcepit Moses Leuit. 23. Mense inquit 7. prima die mensis, erit vobis sabbatum memoriale clangentibus tubis. Porrò decima die eiusdem mensis septimi, festum expiationis erat, quo ieiunijs affligebant se & animas expiabant. At decimoquinto die eiusdem mensis septimi, tabernaculorum festiuitas, de qua iam dictum est, celebrabatur. Is ergo buccina canit mysticè, qui verbis vita & moribus laudem Dei velut tuba prædicat, quod cùm in ecclesia omni tẽpore debeamus facere, præcipuè tamen in Pasca, ob memoriam resurrectionis: in Pentecoste, ob remissionem peccatorum acceptam per Spiritum sanctum: & in scenopegia, quoties tabernaculum corporis nostri innouatur per pœnitentiam, & Deo in viuum templũ consecratur, quod nullo modo fieri potest nisi præcedente ieiunio, & animorum expiatione. ¶ C. Per Ioseph hoc loco, vt psalmo præcedenti annotauimus per metonymiam figuram, filij siue posteri veri Ioseph, id est, Christi intelliguntur, hoc est, christianus populus, qui supra modũ auctus est numero, & longè vicit multitudine filios Israël: vnde etymologia nominis Ioseph, quæ augmentũ sonat, optimè illi conuenit. In hoc populo posuit testimonium, id est, legem euangelicam: vel posuit testimonium, id est, potentiã suam testatam illis reliquit, qua repressit tyrannidẽ diaboli, & omnes vires illius fregit, cùm per aquas baptismi, velut per rubrũ mare eduxit illũ è tenebris huius seculi in lucem diuinæ cognitionis, quo tẽpore audiuit in ecclesia linguã quam nõ nouerat, cùm varijs linguis antè sibi ignotis apostoli loquebãtur magnalia Dei. Hebraica veritas non addit hoc loco pronomen, illud. Nec apud 70. interpretes est, illud, sed αὐτό, id est, ipsum. ¶ D. Heb. veritas paulò aliter hunc versum legit quàm 70. interpretes hoc modo: Amoui ab onere humerum eius, manus eius à cophino recesserunt, significans seruitutem finitam, sensus tamen eòdem redit: cùm enim dicit, manus ipsius Ioseph seruijsse in cophino, significat illum priùs seruitute depressum fuisse, antequam Deus dorsum illius ab oneribus auerteret. Alludit autẽ propheta ad miserrimam illam seruitutem Ægyptiacam, quam seruiuit sub Pharaone populus Israëliticus in durissimis operibus luti & lateris, quæ cophinis humero impositis gestabant cùm ædificarent vrbes Pharoni. His autem peccati oneribus grauatos Christus ad se inuitat Matth. 11. Venite inquit ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos: & loco cophinorum Ægypti habet Iesus suos cophinos duodecim, nimirum Apostolos, vt in hunc psalmum annotat Hieronymus. In deserto enim istius seculi pauit populum suum panibus suis, & quodcũq; supererat, in duodecim cophinis condidit, hoc est, in duodecim apostolis, vt quod perierat in duodecim tribubus, saluaretur in duodecim apostolis: hæc ille. ¶ E. Absconditum tempestatis, vocat interprete Aug. cordis tempestatem, id est, maximos animi æstus & angustias. Sunt enim aquæ tribulationis & venti persecutionum, de quibus alibi dixit: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Porrò aquas contradictionis, appellat aquas baptismi, & totam religionem christianam, cuius initium & fundamentum est aqua baptismi, quam benè contradictionis aquam vocat, quòd à Iudæis & gentibus oppugnata sit: & hodie oppugnatur fides christiana & ab omnibus ijs huic contradicitur: vnde Lucas Acto. 28. cap. scribit Iudæos dixisse Paulo Romam venienti, Rogamus, inquiunt à te audire quid sentis. Nã de secta hac notũ est nobis, quia vbiq; ei contradicitur: vnde & Simeon spiritu prophetico futurum id videns, Lucæ 3. Ecce inquit positus est hic in ruinam, & resurrectionẽ multorũ in Israël, & in signũ cui cõtradicetur. Nisi itaq; quis constantia, patientia, & vitę integritate, & morũ innocentia probatus fuerit apud hanc aquã, vt constet eum non fictè nomen dedisse Christo, sed respondere moribus & vita professioni suæ, is profectò non est dignus qui exaudiatur in abscondito tempestatis.

¶ F. Cui Deus venter est (inquit Hieronymus scribens in hunc psalmum) Deus ei recens est. Quotcunque vitia habemus, quotcunque peccata, tot recentes habemus deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: vidi mulierem & concupiui, Deus mihi libido est: auarus aurum pro Deo habet: vnde Apostolus auaritiam, idolorum seruitutem, aut cultum vocat, & quia vitia à Deo vero alienissima sunt, eadem dij alieni appellantur. ¶ G. Os aperimus & dilatamus, quoties desideria & affectus erga Deum & cælestia accendimus & intendimus, quod alibi Christus famem & sitim iustitiæ appellat. Beati inquit qui esuriunt & sitiunt iustitiam: vnde Dauid infrà, Os meum

inquit aperui & attraxi spiritum. Hinc & D. Cyprianus lib. 2. epistolarum de hac vbertate diuinæ gratiæ loquens: Profluens largiter spiritus nullis inquit finibus premitur, nec coërcentibus claustris intra certa metarum spacia refrenatur. Manat iugiter, exuberat affluenter, nostrum tantùm sitiat pectus & pateat. Quantum illic fidei capacis afferimus, tantum illic indè gratiæ inundantis haurimus.

¶ H. August. emendatiùs legit hunc versiculum in suis commentarijs hoc modo. In nihilum omnes inimicos eorū humiliassem: est enim græcè præpositio ἐν, id est, in: non autem pro, nec additur vlla particula dubitatiua hoc loco. Nulla enim in Deo inconstantia est, aut æternæ & diuinæ illius voluntatis ambiguitas, apud quam omnia decreta & fixa sunt: verùm interpres latinus quisquis fuerit, non intellexit particulam græcam ἄν quam illi potentialem vocant, quòd addita verbis indicatiui modi faciat modum potentialem, quem nos per optatiuum aut subiunctiuum reddimus: nihil autem significat præterea hoc modo vsurpata, cuius vim ignorans interpres, iam per forsitan vt hoc loco, iam per vtique reddit vt fecit psalmo 50. Quare rectiùs hebraica veritas interprete Hieronymo legit hoc modo: Quasi nihilum inimicos eius humiliassem.

¶ I Mentimur domino interprete Augustino, quoties redimus ad vitia quibus renunciauimus in baptismo: tunc enim violamus fœdus quod cum Deo pepigimus: & ne leue peccatum hoc putemus, & temporali supplicio plectendum, vt olim peccata Israëlitici populi puniuit, addit: tempus: quo luent pœnas scelerū suorum, erit in æternum ob ingratitudinem erga Deum, qui tam eximia illis contulit beneficia, vt adipe frumenti, hoc est, sacrosancto corpore suo illos cibauerit, & de petra quæ Christus est, non aquam vt olim, sed mel diuinæ sapientiæ & cælestis dulcedinis elicuerit, quibus in ecclesia quotidie pascimur, de qua petra & Moses cecinit capite 32. Deutero. Constituit eum super excelsam terram, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

A *Psalmus Asaph.*

PSALMVS LXXXI.

DEus stetit B in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem C: & facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ. Ego dixi dii estis D, & filii excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis. Surge Deus iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

¶ A. Ostendit propheta hoc psalmo, ad quantum culmen honoris & dignitatis per gratiam Dei euecta sit humana natura, & quantum se deiecerit per peccatum, vt quæ priùs diuinitatem & immortalitatem consecuta erat, iam per peccatum morti obnoxia facta sit, & è fastigio cæli ad ima tartara deciderit.

¶ B. Augustinus in commentarijs suis propter nomen synagogæ positum in principio psalmi, ad Iudæos tantùm putat referri psalmum hunc: verùm D. Hieronymus ad nostram synagogam, hoc est, ad ecclesiam refert. Porrò vocem illam deorum, Sanctes vertit iudicum, alij potentium. Hebræa enim vox Elohim, in sacris literis sæpe principes & iudices significat, vt ibi: Dijs non detrahes: &, Principi populi tui non maledices: & iterum.

& iterum,Causa vtriusque applicabitur ad deos,id est,iudices. Nos autem propriè vocem accipimus sequentes 70.interpretes.Deos itaque appellat sanctos,quos Deus dignatur filiorum appellatione(vt infrà dicemus) . Sic enim Christus apud Iohannem 10. cap.accepit vocem hebr.El siue elohim.Nõne scriptũ est inquit in lege vestra,Quia ego dixi dij estis?Si illos dixit deos,ad quos sermo Dei factus est: quẽ pater sanctificauit & misit in mundũ,vos dicitis,quia blasphemas quia dixi filius Dei sum. ¶ C. Quod vertit interpres latin⁹ hoc loco,facies,cõmodius reddidisset,personas peccatorũ accipitis:nam græca vox πρόσωπα vtrumque significat,& facies & personas. Id satis indicat D.Hieron.in commentarijs suis,qui sic explicat hunc locum. Non considerastis inquit causam,non iudicium, sed personas eorum qui habent causas. ¶ D. Quòd dij sumus inquit Hieron.non est naturæ,sed gratiæ. Quotquot enim eum receperunt,dedit eis potestatem filios Dei fieri:videte quanta sit dignitas, vt dij vocemur, & filij Dei. ¶ E. In hebræo meliùs legitur, vos autem sicut Adam moriemini, quomodo ad heb.veritatẽ vertit Hier. Sicut enim ille cùm antè esset immortalis,per præuaricationẽ pręcepti diuini in mortẽ corruit,sic & vos.Qui enim homo est,moritur:Deus enim non est morti obnoxius.Adam itaque quamdiu seruabat præceptum,Deus fuit(inquit Hieron.) & non moriebatur: postquam autem gustauit de arbore illicita, statim mortuus est. ¶ F. Principes hoc loco,nõ alios quàm dæmones accipimus, quos principes vocat vel propter excellentiam dignitatis angelicæ: nam inter angelos iam malos fuerunt ante ruinam principatus & potestates : vel quòd iam sint principes tenebrarum,qui propter superbiam è cælo ceciderunt:Vnde Esa. cap.14.Quomodo inquit cecidisti Lucifer,qui manè oriebaris,qui dicebas in corde tuo,adscendam super altitudinem nubium,& similis ero altissimo.

A *Canticum.Psalm. Asaph.* *Psalmus* LXXXII.

DEus quis similis erit tibi?ne taceas neq; compescaris Deus. Quoniã B ecce inimici tui sonuerũt:& qui oderũt te, extulerunt caput. Super populũ tuũ malignauerũt consiliũ, & cogitauerũt aduersus sanctos tuos.Dixerũt,venite & disperdamus eos de gente,& nõ memoretur nomẽ Israël vltrà.Quoniã cogitauerũt vnanimiter,simul aduersum te testamẽtũ C disposuerũt,tabernacula Idumęorũ et Ismaëlitæ. Moab et Agareni,Gebal et Ammõ,et Amalec,alienigenę cũ habitãtib⁹ Tyrũ. Etenim Assur venit cum illis,facti sunt in adiutoriũ filiis Loth. Fac illis sicut D Madian & Sisare,sicut Iabin in torrẽte Cisson . Disperierunt in Endor,facti sunt vt stercus terræ. Pone principes eorũ sicut E Oreb & Zeb,& Zebeæ & Salmana.Omnes principes eorũ:qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuariũ Dei . Deus meus pone illos F vt rotã, & sicut stipulã ante faciẽ vẽti.Sicut ignis qui cõburit syluã, & sicut flãma cõburens mõtes.Ita persequêris illos in tempestate tua,& in ira tua turbabis eos.Imple facies eorum ignominia,& quærent nomen tuum Domine.Erubescãt & cõturbẽtur in seculũ seculi,& cõfundãtur & pereãt.Et cognoscãt quia nomẽ tibi Dñs,tu sol⁹ altissimus in omni terra.

¶ A. Calamitates ecclesiæ præuidens spiritu prophetico Dauid , quas perpessura est ab hostibus fidei, & Christi inimicis,Deum precibus solicitat , ne permittat se perpetuò contẽni ab hostibus,cùm tãtæ potẽtiæ & virtutis sit, vt nemo illi similis sit: & quoniã cõtẽptus hic nascitur apud impios ex admirabili patiẽtia & mãsuetudine Dei, ne semper sinat illos abuti patientia: videtur autem respicere non solùm prima illa tempora nascentis ecclesiæ, cùm sub Imperatoribus idololatris sæuitum est in pios, & totus orbis coniurauit vnanimiter in christianos : sed etiam vltima illa tempora, cùm sub Antichristo,quãdo omnes gentes insurgent ad delendã fidẽ & nomen christianum tollendum , quas denotat nominibus earum nationum, quæ olim oppugna-

runt & oppresserunt populum Israëliticum. ¶ B. Clariùs hunc versiculum reddidit heb. veritas interprete Hieron. Quoniam nequiter tractauerunt & inierunt consilium: est enim græcè verbum κατασκευάζομαι, quod propriè est callidè & subdolè ago vel tracto: vnde Aug. annotat alios codices latinos habere: Astutè cogitauerunt consilium. ¶ C. Testamentum disponere hoc loco, nihil aliud est quàm fœdus inire aut ferire pactum. Admonuimus enim alibi græcam vocem διαθήκη, vtrumque significare & testamentum & pactum, quod diligenter annotauit in hunc locum D. Aug. Testamentum inquit in sacris scripturis non solùm illud dicitur quod non valet, nisi testatoribus mortuis, hoc est, extrema voluntas hominis morientis, sed etiam omne pactum aut placitum vocabant testamentum. Admonet autem D. Hieronymus hic videnda nominum hebraicorum sacramenta, quibus hostes fidei denotantur. Nisi enim inquit interpretemur, & necessitate compellente diutiùs in verbis hebraicis immoremur, quid proderit ecclesijs Christi hæc legere, Tabernacula Idumæorũ & Ismaëlitæ, & cætera nomina? Idumæus itaque, sonat terrenus aut sanguinarius: Ismaëlita, obediẽs sibi, id est, suis obsequens affectibus. Moab, ex patre nimirum diabolo genitus. Agareni, aduenę siue proselyti, Gebal, vana vallis, id est, fallax humilitas. Ammon, populus turbidus: Amalec, terram lingens. Porrò vbi nos legimus alienigenæ, heb. est Philistijm siue Palestina, quod sonat cadentes ex potione. Tyrus, tribulatio aut angustia. Porrò Assur qui & Assyrius dicitur, semper in sacris literis typũ gerit diaboli. Per filios autem Loth, qui ex patris incesto concubitu nati sunt, perfidos Iudæos intelligimus, qui lege illegitimè vtuntur, qui & hodie inter hostes nominis Christi acerrimi sunt.

¶ D. Iabin, Rex fuit Chananæorum qui oppressit filios Israël. Is autem ducem exercitus habuit nomine Sisaram, habuitque nongentos currus falcatos, omneq; robur exercitus collegit vt pugnaret aduersus Israëlitas: perterruitque dominus Sisaram & exercitum eius, & vertit in fugam, adeò vt Sisara de curru suo desiliens pedibus fugeret, qui fugiens peruenit ad tabernaculum Iahel mulieris fortissimæ, & opertus ab ea pallio obdormiuit, quæ clauum tabernaculi assumens & malleum ingressa, abscondite & cum silentio posuit clauum super tempus capitis eius, percussumque malleo defixit in cerebrum vsque ad terram, qui soporem morti socians defecit & mortuus est, vt scribitur Iudicum 4. cap. ¶ E. Oreb, Zeb, Zebeæ & Salmana, duces fuerunt Madianitarum, qui similiter septem annos oppresserunt valde populum Israëliticum, quos deuicit Gedeon cæsis ducibus supradictis & toto exercitu vsque ad internecionem deleto, vt habet liber Iudicum cap. 7. & 8. Cæsis centum viginti milibus bellatorum & educentium gladium. Porrò Cisson, torrens est Palestinæ apud quem cæsus est exercitus Sisare. Endor autem proprium nomen pagi siue vici vbi cæsus est Madian.

¶ F. Pone illos vt rotam, id est, perpetuò rotentur, & assiduis malis iactentur, nec in eo quod cogitant, stabiles permaneant nec vspiam consistant. Porrò faciem vẽti, appellat violentiam aut præsentiam venti. Nam quæ est facies venti inquit Augustĩ cui nulla lineamenta sunt corporis, cùm sit motus & quasi fluctus aëris.

¶ G. Syluam dixit propter sterilitatem, montes propter elationem, Tales enim sunt inimici populi Dei, inanes iustitiæ, pleni superbia. Quod autem dixit in tempestate tua, hoc idem clariùs dicit, in ira tua. Meminerimus sanè (inquit August.) iram Dei sine vlla affectione turbulenta nos debere intelligere: ira quippe in Deo, dicitur ratio iustę vindictæ, tanquam si lex dicatur irasci cùm ministri eius supplicia exercent, & in malos animaduertunt: vnde Lactantius Firmianus in libro cui titulum fecit de ira Dei, ita definit iram in Deo. Ira, est motus animi ad coërcenda peccata insurgentis.

A *In finem pro torcularibus filijs Core. Psalmus LXXXIII.*

QVàm dilecta B tabernacula tua Domine virtutũ, cõcupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meũ & caro mea exultauerũt in Deũ viuũ. Etenim passer C inuẽnit sibi domũ, & turtur nidũ sibi vbi ponat pullos suos. Altaria D tua Dñe virtutum, Rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua Dñe, in secula seculorum laudabũt te. Beatus vir cuius est auxilium abs te, adscensiones E in corde suo dis-

diſpoſuit in valle lachrymarũ, in loco quẽ poſuit. Etenim F benedi-ctionẽ dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutẽ, videbitur Deus deorum in Sion. Domine Deus virtutũ exaudi orationẽ meã, auribus percipe Deus Iacob. Protector noſter adſpice Deus, & reſpice in faciem G Chriſti tui. Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper milia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quã habitare in tabernaculis peccatorum. Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiã & gloriam dabit Dominus. Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia, Domine virtutum beatus homo qui ſperat in te.

¶ A. De titulo pſalmi iam aliàs ſæpe dictũ eſt, quid videlicet per torcularia, quid per filios Core ſignificetur. Ad eccleſiam enim & Chriſtum totus hic pſalmus referendus eſt. Propheta itaque æſtuans deſiderio cæleſtium manſionum, commendat hoc pſalmo nobis fœlicitatem regni cęleſtis, & beatitudinẽ eorum qui illud inhabitant: deinde gratiam euangelicam nobis commendat, & miſericordiam diuinam erga genus humanum, quam per vnicum ſuum filium Ieſum Chriſtum præſtitit nobis Deus pater.

¶ B. Quod interpres latinus ſuo more vertit, dilecta, gręcè eſt ἀγαπητά, quod propriè ſonat, amabilia. Quare rectiùs Auguſt. legit hunc verſiculũ: Quàm amabilia inquit tabernacula tua Domine virtutum. Idem autem hoc loco interpretibus Aug. & Hier. accipimus per tabernacula & atria, nimirum cæleſtes illas mãſiones & habitacula. Sic Chriſtus apud Lucam: Facite inquit vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et quamuis atriũ propriè ſit anterior pars domus, atriũ tamen & domus hoc loco & alijs pluribus locis ſcripturarũ pro eodem vſurpantur, vt alibi apud Dauid: Qui ſtatis inquit in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri. Quanquam per tabernacula hoc loco, eccleſia catholica diuinis ornata dotibus intelligi poſsit, ex quibus deducimur in atria cæleſtia & æternã illam domum, in cuius typũ vaticinatus eſt Balaam Nu. 24. reſpiciẽs tentoria Iſraëlitici populi. Quàm pulchra inquit tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël, vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas. Eraſ. autem enarrans hunc pſalmum, omnia hæc & tabernacula & atria & domũ, ad præſentẽ ſiue militantem eccleſiam detorquet. ¶ C. Paſſer, amoris ſymbolũ eſt: vnde Lactãtius in carmine ſuo de auibus loquẽs inquit: Has inter nimio paſſer amore canit: eſt autẽ affectus hic amoris in paſſere tam vehemens, vt cauſa illi ſit breuiſsimæ vitæ. Nã Pli. autor eſt lib. 10. cap. 36. Paſſeribus minimum vitæ eſſe: mares enim vltra annum non putãtur viuere, fœminis verò ſpacium longiuſculum eſt. Quare myſticè per paſſerẽ, Chriſtũ intelligit contemptum apud Iudæos, humanitatem aſſumptam, & crucis ignominiam, qui nimio amore noſtri, vitam ſuam nobis impendit: ſic per turturem, ſponſam Chriſti eccleſiam accipimus, quæ Chriſto perpetuam fidẽ ſeruat, nec adulterũ diabolum admittit vnquam. Eſt enim turtur, caſtitatis & fidei coniugalis ſymbolum. Nam idẽ Pli. lib. 10. cap. 37. Turturibus & toti colũbarũ generi primã laudẽ pudicitiæ inter aues tribuit. Nã coniugi fidẽ non violant, nec vnquam niſi vidua aut celebs domum relinquit. Intellectum igitur huis verſiculi paucis explicat Auguſt. ſcribens in pſalmum 101. Caput noſtrum inquit (id eſt, Chriſtus) paſſer eſt: Corpus illius (hoc eſt, eccleſia) turtur. Etenim paſſer inuenit ſibi domũ. Quam domum? Quę in cęlo eſt, vbi interpellat pro nobis. Et turtur nidũ ſibi, Eccleſia Dei, nidũ de ligno crucis vbi ponat paruulos ſuos, pullos ſuos, ſic ferè Aug. ¶ C. Iã altaria appellat, quę ſuprà vocauit tabernacula domũ & atria, quòd in cælo perpetuò offeratur Deo laudis ſacrificium, quare per appoſitionem cohęret accuſatiuus hic altaria, cum præcedentibus accuſatiuis domum vel nidum. ¶ E. Adſcenſiones cordis, appellat gradus quoſdam amoris diuini, virtutũ, & exercitiorũ ſpiritualiũ, per quos ad cęleſtia prouehimur, & Deo proximi efficimur. Quanto enim plus amaueris inquit Aug. tanto plus adſcendes. Quicunque igitur ſanctus (vt verbis D. Hieron. vtar) quotidie in priora extenditur, & præteritorum obliuiſcitur, qui proficit quotidie, nec conſiderat quid heri fecerit, ſed quid hodie illi faciendum ſit, is in corde ſuo adſcenſiones ponit, ſicut contrà peccator deſcenſus ſibi ponit, per quos quotidie in deteriora prolabitur, & à Deo & cæleſtibus

remotior fit. ¶ F. Quia tristia & dura visus erat dixisse appellans mundum hunc vallem lachrymarum,& locum quem Deus nobis constituit,vt in illo semper pugnemus,& cum hoste confligamus,mitigat illa,dicens neminẽ debere animo deijci, quasi non possit ad præmia & cælestis gloriæ palmam pertingere, quia Christus qui est legislator noster & agonotheta, dabit certantibus gratiam & vberem benedictionem vt facilè hostes vincant.Nam ibunt de virtute, id est, potentia siue fortitudine in maiorem virtutem & fortitudinem,quotidie capientes maiora virium animæ incrementa ad vincendum diabolum,vt facilè appareat maxima Dei potentia in Sion, hoc est, in ecclesia.Sic enim virtus hoc loco sumitur: vnde heb.veritas interprete Hiero. legit. Ibunt de fortitudine in fortitudinem. ¶ G. Respice in faciem Christi tui,interprete August.est,Fac innotescere omnibus Christum tuum:per faciem enim innotescimus inquit August. Verùm ista interpretatio durior & coactior videtur: non enim dicit,respiciamus in faciẽ Christi, sed tu respice in faciẽ Christi tui:Quare meliùs hoc loco D. Hieron.hunc locum enarrat hoc modo:Respice in faciem Christi tui,id est, respice nos oculis misericordiæ.In nobis enim respicis filium tuum qui habitat in nobis: In nobis adspicis eandem naturam humanam,quam nostræ salutis causa assumere dignatus est vnicus tuus filius Christus : vel simpliciter sic, O pater,respice filium Christum interpellãtem in cælis pro nobis. ¶ H. Istud nõ ita intelligendũ est,quasi in cęlis temporum spacia & momenta sint,& dierum & noctium vicissitudo: aut quasi quis vna tamen die in regno cælorum esse posset,postea expellendus. Nõ enim dies ibi in vesperam aut nocturnas tenebras finitur, sed diem vnam vocat,æternitatem quæ sanctis perpetuò lucebit.Vnum enim diem inquit Aug.vocat diem sempiternum,cui non cedit hesternus, quem non vrget crastinus, qui non habet ortum & occasum,quẽ diem Esaias cap.60. nobis innuit his verbis : Non erit tibi inquit ampliùs sol ad lucendum per diem,nec splendor lunæ illuminabit te,sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.Non occidet vltrà sol tuus,& luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.

A *In finem,filijs Core. Psalmus* LXXXIIII.

Benedixsti Domine terrã tuã,auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ,operuisti omnia peccata eorũ .Mitigasti omnẽ irã tuã, auertisti ab ira indignationis tuæ. Conuerte B nos Deus salutaris noster,et auerte irã tuã à nobis.Nunquid in æternum irascêris nobis,aut extendes iram tuam à generatione in generationem? Deus tu cõuersus viuificabis nos,& plebs tua lætabitur in te . Ostende nobis Domine misericordiam tuam,& salutare tuum da nobis.Audiã quid loquatur in me Dominus Deus,quoniã loquetur pacẽ in plebẽ suam, Et super sanctos suos,& in C eos qui cõuertũtur ad cor. Verũtamẽ prope D timẽtes eũ salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra. Misericordia E & veritas obuiauerunt sibi , iustitia & pax osculatæ sunt. Veritas F de terra orta est,& iustitia de cælo prospexit . Etenim Dominus dabit benignitatem,et terra nostra dabit fructum suum.Iustitia ante eum ambulabit,et ponet in via gressus suos.

In plebem, græcè est eadẽ præpositio gręca ἐπί,quam primò vertit per in,deinde per super:tertio loco iterũ per in. Quę vbique per de reddi potest cum ablatiuo casu.

¶ A. Prosequitur hoc psalmo Dauid ea quæ præcedenti psalmo dicere cæperat de gratia euangelica & larga illa benedictione cęlesti,qua Deus pater per Iesum Christum benedixit terram nostram,id est,genus humanum,vt iam soluta illa maledictione,quam acceperat in primo parẽte Adam vt spinas & tribulos germinaret,aucta cælesti benedictione non iam spinas & tribulos vitiorum,vt antè,sed suauissimos fructus Spiritus S.producat, quos Apostolus ad Galatas 5.enumerat . De hac benedictione ad Abraham dictũ est:In semine tuo,id est,Christo benedicẽtur omnes gẽtes terræ. Tractat itaq; totus hic psalmus de aduentu saluatoris in carnẽ: suo autẽ more vtitur verbis pręteriti temporis de ijs quæ nondũ facta,sed suo tempore implenda erant ad confirmandã veritatẽ diuinorũ oraculorũ.Omnia enim futura,incerta videri possunt:rebus

autem præteritis & iam factis nihil certius esse potest: Primus autem versiculus huius psalmi heb. sic legitur. Placatus es Domine terræ tuę, reduxisti captiuitatẽ Iacob. Nam græcè verbum est εὐδόκησας, id est, complacitum tibi est in terra tua, videtur interpres legisse εὐλόγησας. ¶ B. Ostendit quàm imbecilla sit vis liberi arbitrij nostri, vt sine diuina gratia nemo se possit cõuertere ad Deum: vnde & Hier. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Verùm ne putemus sublatum omne liberum arbitrium, & per peccatum sic oppressas omnes illius vires in nobis vt nihil efficiat, ideò per eundem prophetã dicit: Si reuerteris ad me Israël, dicit Dominus, ad me conuertere: et per Ezechielem cap. 18. Conuertimini & agite pœnitentiam, proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor nouum. Nolo mortem morientis, dicit Dominus, reuertimini & viuete, quæ profectò sublato libero arbitrio, dicta absurdissima essent.

¶ C. Clariùs legit hunc versiculum D. Aug. in commentarijs suis hoc modo: Et in eos qui conuertunt cor ad ipsum. Sic enim græcè est apud 70. interpretes. Quanquam interpres non satis rectè eandem præpositionem ἐπί, hoc loco diuersis modis trãsfert: nã primo & vltimo loco per in vertit, 2° loco per super, cùm vbiq; per de, vel per ad vertere potuisset, vt heb. veritas quæ sic habet interprete Hieron. Quoniam loquetur pacem ad populum suum, & ad sanctos suos. Intelligit autem æternam illam pacem quàm expectamus in cælis: non autem in terris, vbi vita hominis militia est teste Iob, & vbi caro semper concupiscit & aduersatur spiritui. ¶ D. Cùm vaticinatus esset propheta Deum omnes saluaturum etiam gentes, dicit hãc salutẽ tamẽ propiorẽ futuram Iudæis, qui Deum timebant, cùm gentes adhuc idola colerent, et dæmones venerarentur & timerent. In Iudæa enim natus est Saluator: vnde maximam gloriam consecuta est gens Iudaica, de qua re & Esaias: Ecce inquit tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.

¶ E. Obuiare hoc loco dictũ est, pro beneuolè se mutuò cõplecti, & quasi dextras sibi mutuò dare, quod in amicitia aut fœderibus faciendis fieri solet: vult ergo dicere per Iesum Christum, qui mediator est Dei & hominum & author pacis, duos populos antea diffidentes, gentilem videlicet & Iudaicum populum confœderatos & vnitos in fide mediatoris. Nam per veritatem, id est, fidem in præstandis promissis, Iudaicus populus intelligitur: Illi enim Christus ex promisso debebatur. Per misericordiam autem, Gentilis populus intelligitur, qui ex Dei misericordia adeptus est quicquid habet: vnde Apostolus ad Rom. cap. 15. Dico Iesum Christum, inquit, ministrũ fuisse circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum. Eandem autem rem alijs verbis repetit: nam quod antè appellauit misericordiam, statim pacem appellat: & quod priùs veritatem dixit, mox iustitiã vocat. ¶ F. Per veritatẽ & iustitiã hoc loco, Christum Iesum intelligit verum Deum & hominem, qui homo factus confirmauit & veras reddidit promissiones patribus factas: quia autem ex virgine matre terrenum corpus assumpsit, benè hęc veritas de terra orta dicitur. Et quia verus Deus fuit qui nos iustificauit, bene iustitia hæc, quæ Deo peculiaris est, de cælo prospexisse dicitur. Sic et Esaias vtramque naturam in Christo significans dixit: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorem. ¶ G. Terram hoc loco vocat, virgineam illam carnem Mariæ, quæ ex terra originem suam habet, quæ salutarem illum fructum protulit, de quo Elizabet plena prophetico spiritu dixit Lucæ primo. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ante hunc fructum antecessit iustitia, & omnes illius actus perpetuò direxit, nec passa est gressus illius vspiam declinare aut exorbitare à recto.

Oratio [A] *Dauid. Psalmus LXXXV.*

INclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniã inops [B] & pauper sum ego. Custodi animam quoniam sanctus [C] sum, saluum fac seruũ tuũ Deus meus sperantẽ in te. Miserere mei Domine quoniam ad te clamaui tota die, lætifica animam serui tui quoniã ad te Domine animam meã leuaui. Quoniã tu Domine suauis & mitis, et multæ misericordię omnibus inuocãtibus te. Auribus percipe Domine orationẽ

meā,& intende voci deprecationis meæ. In die tribulationis meæ clamaui ad te,quia exaudisti me. Non est similis tui in diis Domine,& non est secundum opera tua. Omnes gentes quascunque fecisti,venient,& adorabunt coram te Domine,& glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia,tu es Deus solus. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo,& glorificabo nomen tuum in æternum. Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex [D] inferno inferiori. Deus,iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo. Et tu Domine miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ & verax. Respice in me & miserere mei, da imperium puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum signum in bonum,vt videant qui oderunt me & confundantur,quoniam tu Domine adiuuisti me,& consolatus es me.

Iniqui, Aug. legit. prætereūtes legē insurrexerūt in me propiùs reddens vocē græcam.

¶ A. Titulus psalmi huius & apud heb.& apud 70.idem est, nimirum hic,Oratio Dauid:non quidem prophetæ & regis Dauid,sed veri illius Dauid,id est,Christi. Orat itaque Deum patrem suum instante passionis tempore,vt presens auxilium illi ferat in tempore tribulationis suæ.Meminisse autem debemus id quod alibi sæpius admonuimus, Christum hîc loqui,& nonnulla ad suam personam referenda,vt illud: Custodi animam meam quoniam sanctus sum:& iterum,Da imperium puero tuo etc. nōnulla verò ad membra sua,id est,ad ecclesiam referri debere,quale est illud: Deduc me Domine in via tua,ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum vt timeat nomen tuum: quod nullo modo ad Christum referri potest,qui via & veritas ipsa est vt apud Ioannem inquit. ¶ B. Inopem & pauperem se appellat,nō quòd terrenis opibus careat, (quāquam & idipsum in Christum competat,qui propter nos pauper factus est, vt habet apostolus)sed quia humilis est,nulla in re sibi fidens,sed totus à diuina gratia pendens, & semper illius misericordia indigens. ¶ C. Sanctum se dicit,non quomodo nos sancti appellamur, quòd Christi sanguine sumus sanctificati, sed quia pater illum sanctificauit super omnem creaturam: Sic suprà psal.15.Nec dabis sanctum tuum videre corruptionē,idq; iuxta hominem assumptum. Nam iuxta diuinitatem sanctus esse dicitur,quia fons & author est omnis sanctimoniæ. ¶ D. Quia dicit ex inferno inferiori,vel,vt est græcè κατωτάτȣ,id est, infimo,videtur alius locus esse superior apud inferos,quem hodie ob id limbum appellant,quòd sit quasi vestibulum quoddam inferorum, & primus aditus siue ingressus inferni, vbi Lazarus ille mēdicus Abrahæ sinu receptus fuisse videtur ex euāgelicis literis,cùm diues ille epulo in infimo tartari loco cruciaretur,vt intelligamus in infimum infernum non deiici, nisi impios & quotquot sunt deploratæ malitiæ, in quem & nos omnes deturbandi eramus, nisi Christus sua morte nos reduxisset ad vitam: quare & hic versiculus ex membrorum persona potiùs quàm ex capitis siue Christi persona accipiendus.

Psalmus [A] cantici filijs Core. *Psalmus LXXXVI.*

FVndamenta [B] eius in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Memor [C] ero Raab & Babylonis scientium me. Ecce alienigenæ & Tyrus & populus AEthiopum hi fuerunt illic. Nunquid [D] Sion dicet homo,& homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.

tissimus. Dominus E narrabit in scripturis populorũ & principum horum qui fuerunt in ea. Sicut F lætantium omnium habitatio est in te.

Argumentum.

¶ A. Gloriam ecclesiæ Catholicæ breui hoc psalmo euidẽter exprimit,& cum synagoga collatã longè superiorẽ esse docet:vnde benè filijs Core inscribitur, hoc est,vt sæpe iã dixim⁹,filijs ecclesię qui mortẽ & resurrectionẽ eius ęmulãtur.Core enim Caluariũ sonat.Porrò illud psalmus cãtici monet,vt opere & lingua Deũ laudemus in ecclesia:nã psalmus ex psalterio instrumẽto musico promitur,cãticũ voce profertur:vnde cõgruè illud ad opera,hoc ad theoriã vbiq; refertur. ¶ B. Nõ dixit cuius fundamẽta, qui sermo abruptus prophetis diuino spiritu plenis peculiaris est,quod ex sequentibus tamen palam est cùm subdit: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Porrò fundamenta huius ciuitatis,sunt Apostoli, quos Christus architectus huius ciuitatis misit in orbem vniuersum ad fundandam ecclesiam,ijdem & portę Sion appellantur:nam per doctrinam apostolorum aditus nobis apertus est in ecclesiam & regnum cælorum, quas portas Dominus diligit super omnia tabernacula Iacob, id est, super omnes sanctos veteris testamenti:aut portas Sion,virtutes appellat,fidem,spem, charitatem, & cæteras eiusmodi, quas super omnem cultum omnesq; cæremonias veteris legis Mosaicæ Dominus diligit:vnde Apoc.21.Ioannes de hac ciuitate,de fundamẽtis muris & portis eius loquens:Murus inquit ciuitatis habens fundamenta duodecim,& in ipsis duodecim nomina Apostolorum et Agni,& erat structura muri eius ex lapide iaspide:ipsa verò ciuitas aurũ mundum & fundamenta omni lapide precioso ornata: & duodecim portæ,duodecim margaritæ sunt,& singulæ portæ ex singulis margaritis sunt.

¶ C. Quia gentes præcipua & maxima portio sunt populi Dei, ex quibus constat ecclesia,ideò mentionem facit Raab meretricis,& Babylonis,per quas gẽtes denotat, quæ ante cũ lignis & lapidibus,id est,idolis fornicatæ erãt relicto cultu vnius & veri Dei,& apud quas omniũ ordinũ,cõditionũ,sexuũ, & officiorum confusio erat propter maxima et enormia scelera:sonat enim Babylon siue Babel,cõfusionẽ hebręis.Horum itaq; dicit se recordaturũ,quia ad cognitionẽ sui nominis vocatos adaptabit sibi,& ex his cõstituet ecclesiã nõ habentẽ maculã neq; rugam,& inseret hos patriarchis et prophetis,sicut Raab meretrix vrbis Hiericho, receptis hospitio exploratoribus seruata est à Iosue,& habitauit in medio populi Israëlitici,& nupsit Salmõ filio Naason principis filiorũ Israël,& genuit ex eo Obed,auũ Dauid regis.Quę omnia clariùs explicat quartus versiculus,vbi notandũ,loco alienigenæ apud heb.legi Palestina siue Philistijm, vt in psalmũ 82.quoq; annotauimus in illum versiculũ:Alienigenę cum habitãtibus Tyrum. ¶ D. Quanquam exẽplaria gręca quæ vulgò ferũtur,legant μήτηρ,id est,mater, annotat tamẽ D.Hier.corruptã esse lectionem, & 70.interpretes reliquisse μήτι,id est, nunquid Sion etc.Est enim Sion hoc loco datiui casus, non autem nominatiui casus, quod ex hebr.veritate liquet,quam ita reddidit Hier. Ad Sion autem dicetur etc. Est itaq; hic sensus:Nunquid homo aliquis dicet,id est, nunciabit ipsi Sion? Et homo natus est in ea?& supple idem homo,in ea natus altissimus est, qui fundauit eam? Quare interrogatio facit ad excitandam admirationem.Quid enim admirabilius et prodigiosius eundem esse filium & conditorem,ciuem & fundatorem eiusdem? ¶ E. Sensus hic est : Dominus narrabit siue narrauit(vt Aug.legit)videlicet Deus hominẽ factũ,& natũ in ecclesia quã ipse fundauit:id enim sonãt omnes prophetæ,id lex euãgelica, & apostolorũ scripta quos principes appellat. Sacrã autẽ scripturã,appellat scripturã populorũ,quòd omnib⁹populis et gẽtibus proponatur:eãdẽ vocat principũ,quod à principibus,id est,prophetis & apostolis edita sit: notãter autẽ dicit principũ qui fuerũt in ea,vel vt Aug.legit,qui facti sunt in ea,id est,nati sunt:vtrũq; enim participiũ græcum denotat. Quia quicquid scripturarum est editum ab ijs qui extra ecclesiam sunt,nullius authoritatis est aut ponderis : hebr.autem veritas diuersum reddidit sensum, videlicet hunc:Dominus numerauit scribens populos,quod ad numerũ electorũ & pręde stinatorũ ad vitã æternã referri potest. ¶ F. D.Hier.ad heb.verit.ita reddidit vltimum versiculũ:Et cantabunt quasi in choris omnes fortes mei in te.Septuaginta non tam verba quã sensum reddiderũt.Nõ dixit autem lętantiũ omniũ,sed sicut lętãtium, quia in præsenti seculo non est plenum gaudium,aut perfecta lętitia, quę seruatur nobis in futurum,cùm beati interim dicantur à Christo,qui hîc lugent & flent : vnde & infrà psal.

infrà psal.125.In conuertendo Dominus captiuitatem Sion,facti sumus sicut consolati: non autem consolati. Est itaque sensus : O Sion omnium nostrûm habitatio in te futura est,qui hîc quodammodo lætamur;& ex parte gaudemus in hoc incolatu & peregrinatione: cùm habitabimus in te, plena lætitia exultabimus, & perfecto & inesfabili gaudio explebimur.

A *Canticum psalmi filijs Core. In finem, pro Maeleth ad respondendum. Intellectus Hemã Israëlitæ. Psalmus LXXXVII.*

DOmine Deus salutis meæ, in die clamaui,& nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea,inclina aurem tuam ad precem meam. Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. AEstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adiutorio inter B mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris quorum non es memor ampliùs, & ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuerunt C me in lacu inferiori,in tenebrosis & in vmbra mortis. Super me cõfirmat⁹ est furor D tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationẽ sibi. Traditus sum,& nõ egrediebar E, oculi mei languerunt præ inopia. Clamaui ad te Domine,tota die expãdi ad te manus meas. Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam,& veritatèm tuam in perditione? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua,& iustitia tua in terra obliuionis? Et ego ad te Domine clamaui,& manè oratio mea præueniet te. Vt quid Domine repellis orationem meam,auertis faciem tuam à me? Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea,exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus. In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Circundederunt me sicut aqua, tota die circundederunt me simul. Elongasti à me amicum & proximum,& notos meos a miseria.

¶ A. Psalmus hic sacramentum dominicæ passionis continet, ex persona igitur Christi patrem suum orantis canitur: vnde bene in titulo habet pro Maëleth, de qua voce dictum est à nobis in titulo psalmi 52.nam is erat:In finem pro Maeleth. Sonat autem hebræa vox idem quod dolẽs aut parturiens: pro nostris enim peccatis doluit Christus. Quare legendum est pro Maëleth,non autem pro Amalech,aut pro Melech, vt D. Aug.legit,scribitur autem filijs Core,hoc est fidelibus, vt ad Christi exemplum mortificẽt vitia & crucifigãt carnẽ suã. ¶ B. In his verbis inquit Aug. maximè persona Domini apparet: quis enim alius inter mortuos liber? nisi in similitudine carnis peccati,inter peccatores solus sine peccato, qui in potestate habebat ponere animam suam,& iterum sumere eam: à Iudæis autem Dominus habitus est purus homo, & vt cæteri lætali vulnere occisi,sepultus est,sed post triduum resurrexit, cùm cæterorum non sit memor Dominus, quia nondum tempus resurrectionis eorum aduenit. Non quòd in Deum cadat obliuio,sed sicut memor esse dicitur,quotiescũq; facit quippiam: ita obliuisci dicitur,quandiu non facit idipsum,interprete Augustino. ¶ C. Græcè est,in lacu infimo, quo significat maximam miseriam, quam alibi altitudinem maris appellat, vel infimum lacum appellat,profundum impietatis & vitiorum, in quo positus erat Dominus opinione Iudæorum: vnde & inter latrones eum suspenderunt:& quia existimabant eum prophanum esse, & à Deo alienum, arbitrabantur eum versari in ma-

in maximis tenebris ignorantiæ et vmbra mortis. ¶ D. Quod interpres hoc loco & alijs innumeris locis vertit, furor, græcè est θυμὸς, quæ vox propriè significat excandescentiam, & primum illum motum animi qui vehementissimus esse solet, sanguine circa præcordia accenso, cùm animus ferè non est sui compos, quem Horatius intellexit, cùm inquit in epistolis. Ira furor breuis est: Diuus itaque Aug. explicans hunc locum mauult vertere indignationem quàm furorem, quia furor inquit non solet esse sanorum. Si igitur in sapientem & hominem sanæ mentis non cadit furor, multò minùs in Deum. ¶ E. Non egrediebar, id est, diuinitas mea non prodibat, sed in interioribus latebat: vnde dicit, Oculos suos languisse præ inopia: non quidem suos vel exteriores vel interiores, sed mysticos oculos corporis illius, cuius ipse caput erat, id est, Apostolos, quos tanquam eminentiora & præcipua membra mystici sui corporis diligebat impensiùs, quibus nec caro nec sanguis, sed pater cælestis reuelauerat arcanam diuinitatem filij Dei. Videntes itaque eum tradi, & multa indigna perpeti, & nusquam manifestantem diuinam suam virtutem, nec illam per signa aut prodigia egredientem, hoc est, se exerentem, infirmati sunt præ inopia, hoc est, fidei defectu, qua antea alebantur. Iustus enim ex fide viuit.

¶ F. Sensus hic est: Nisi exaudias me, et ad immortalẽ vitã resuscites, & ad exemplum mei viuifices corpus meũ mysticũ, id est, homines qui iam peccatis mortui sunt, & quorũ animæ iacent immersæ corporibus ceu sepulchris quibusdam, & in maximis tenebris vitiorum & densa nocte ignorantiæ versantur, quis fructus mirabilium operum tuorum? quis prædicabit misericordiam & veritatem tuam, & laudabit te cognitis mirabilibus tuis? Sic & psal. 25. orabat. Quę vtilitas inquit in sanguine meo si descẽdero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam? ¶ G. De Christo hæc omnia commodè intelligi possunt, cuius orationem Deus visus est repellere, quòd instante passione non trãstulerit calicem ab eo, qui propter nos pauper natus est, & à iuuentute semper se exercuerit laboribus vigiliarum, ieiuniorum, precum, concionum, & peregrinationum, euangelizando per vrbes & castella. Augus. ad mysticum corpus Christi, id est, ecclesiam, omnia hæc refert, cuius orationem Deus sæpe repellit, quoties non exaudit precantes ea, quę saluti aut gloriæ Dei aduersantur, quæ abiectis diuitijs et oneribus huius seculi, pauperem et nudũ Christum nuda & inops sequitur, quæ à iuuentute laboribus exercetur, cùm assiduè in acie aduersus diabolũ et mũdanas persecutiones illi standũ sit, quod alibi Dauid testatur: Sæpe inquit expugnauerũt me: vel vt gręcè est, oppugnauerũt me à iuuẽtute mea. Eadem sæpe adeò circũdatur afflictionibus & ęrumnis, vt & noti & proximi sibi metuentes, longè se subducant.

A *Intellectus Ethan Esraitæ.* *Psalmus* LXXXVIII.

MIsericordias Domini in æternum cantabo. In generationem & generationẽ annũciabo veritatẽ tuam in ore meo. Quoniã dixisti, in ęternum misericordia B ędificabitur: in cælis præparabitur veritas tua in eis. Disposui testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo, vsq; in æternũ præparabo semen tuũ. Et ędificabo in generationẽ C & generationẽ sedẽ tuam. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatẽ tuã in ecclesia sanctorum. Quoniam D quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei? Deus qui glorificatur in cõsilio sanctorũ: magnus & terribilis super omnesq; in circuitu eius sunt. Domine Deus virtutũ, quis similis tibi? potens es Domine & veritas E tua in circuitu tuo. Tu dominaris potestati maris: motũ autẽ fluctuũ eius tu mitigas. Tu humiliasti sicut vulneratũ, superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Diuisio.

¶ A. Quia in titulo habet psalmus vocẽ Intellectus, à litera ad spiritualem intelligentiam

gentiam nos reuocat, ne more Iudaizantium ad Dauid filium Iesse & posteros illius hæc detorqueamus. Tractat autem de aduẽtu Christi & beneficijs humano generi per Christum collatis à Deo patre, & quanta spes ecclesiæ addita sit ad obtinendam hæreditatem cælestium bonorum, & quanta sit magnificentia diuinorum operum. Miscentur autem hoc psalmo plures personæ. Nunc enim pater filio loquitur, nunc filius patri, continet præterea vocem ecclesiæ & ipsius prophetæ vel apostolorum. Ex prophetæ itaque voce exordium sumit, dicentis se in æternum laudaturum misericordias Domini, illas nimirum quibus dignatus est hominem peccato mortuum visitare, & viuificare per filium. ¶ B. Hebraica veritas paulò aliter legit hunc versiculum, hoc modo: Quia dixisti sempiterna misericordia ædificabitur, cælos fundabis, & veritas tua in eis. Porrò ædificari & præparari, nihil aliud est quàm firmari & solidari. Misericordia itaque diuina, qua Deus misertus est generis humani per peccatum perditi, ædificata est, hoc est, semper firmior & sublimior facta est: in cælis, id est, per cælos, illos nimirum qui enarrant gloriam Dei, hoc est, per apostolos, per quos & veritas Dei exhibita est hominibus: benè autem præmisit, misericordiam, & deinde subiecit veritatem. Non enim exhiberetur veritas inquit Aug. in promissionum impletione, nisi præcederet misericordia in remissione peccatorum. ¶ C. Clariùs ad heb. verit. Hier. Percussi fœd⁹ cum electo meo, iuraui Dauid seruo meo, vsq; in ęternũ stabiliã semẽ tuũ. Loquitur autem de spirituali semine veri Dauid, hoc est, de ijs qui in Christum credunt, quique sectantur vestigia fidei Abrahæ, & iuxta promissionẽ filij sunt Abrahæ, non autem secundum carnem. ¶ D. In nubibus, id est, in prophetis: vt enim cælos vocat apostolos, quòd in ijs Deus habitet: ita nubes vocat prophetas, quòd imbre diuinorum eloquiorum irrigant terrena corda. Christus itaq; Dei filius laudatur ab apostolis, qui mirabilia illius opera prædicant, & multo excellentior esse ostenditur prophetis, & incomparabiliter maior reliquis Dei filijs, cùm hi per adoptionem filij nuncupentur, ipse verò natura sit vnicus Dei filius. ¶ E. Hoc est, sicut misericordia Domini plena est terra, ita & veritas eius vbiq; manifesta est: non enim hãc solam exhibuit vni genti Iudaicæ, sed per mũdi ambitũ omnibus testatã reliquit, cùm ex gentibus quas ex omnibus finibus mũdi congregauit, constituit ecclesiã quã in sponsam sibi elegit: vnde & mare, id est, gẽtilitas sæuijt, & dira minabatur credẽtibus in Christum, & idololatriam respuentibus: hos tamẽ motus sua potẽtia cõpescuit Deus, qui dominatur potestati, siue vt græcè est, superbiæ maris. Sic paulò infrà mare quoque accipit, cùm inquit Aquilonem & mare tu creasti, vbi per aquilonẽ Antichristũ, vel certè diabolum intelligit qui sedem suam in aquilone ponere voluit, quos Deus dicitur fecisse nõ quod mali natura à Deo producatur, sed quod eo permittente fiant, & sua malitia abutantur in gloriam Dei. Tale est & illud Esaiæ 45. Ego Dominus & non est alter, formans lucẽ & creãs tenebras, faciens pacem, & creans malum.

Tui sunt cæli & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti, aquilonem & mare tu creasti. Thabor [F] & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potẽtia. Firmetur manus tua & exaltetur dextera tua, iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Misericordia & veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui scit iubilationem [G]. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur. Quoniam gloria virtutis eorũ tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Quia Domini est [H] assumptio nostra, & sancti Israël regis nostri. Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti: Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Inueni [I] Dauid seruũ meũ, oleo sancto meo vnxi eũ. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam à facie ipsius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam. Et veritas mea & misericor-

misericordia mea cum ipso,& in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponam in mari manum eius,& in fluminibus dexteram eius.

¶ F. Thabor & Hermon montes sunt Palestinæ, per quos figuratè significat Iudæos illustrandos luce euangelica, & gentes credituras in Christum, qui vtrique in Christo exultabunt. Thabor enim interprete Hieronymo, significat lumen veniens: Hermon autem,anathema. Illi enim amplexi sunt Christum lumen verum. Hi verò anathemate detestati sunt idola. Quod autem sequitur, Tuum brachium cum potentia, nominatiuus est, non autem accusatiuus, quod ex græco clarum est, vbi nulla est generis ambiguitas σὸς ὁ βραχίων, vbi articulus masculini generis, nominatiui casus est.Est igitur sensus, Brachiũ cum potentia est tuum,ne videlicet aliquis sibi quicquam arroget:à te enim facti sumus,à te defensi sumus inquit August.

¶ G. Iubilationem Augustinus suo more interpretatur gaudium, quod tam magnum sit, vt verbis explicari non possit. Eius verba hæc sunt, Nullo modo beatus es,nisi intelligas iubilationẽ.Scias vnde gaudeas,quod verbis explicare non possis. Vides ipsam gratiam tantam esse, cui lingua explicandæ non sit idonea. Hæc ille: Verùm diuus Hilarius explicans versiculum illum psalmi 65. Iubilate Deo omnis terra, dicit iubilum esse vocem exercitus præliantis, aut in concursu proterentis hostem aut successum victoriæ exultanti voce testantis:nam & festus Grammaticus, autor est, iubilare idem esse, quod rustica voce altiùs inclamare: vnde Silius, Et lætus scopulis audiuit iubila cyclops. Eodem modo & diuus Hieronymus hunc locum explicat:Beatus inquit populus qui scit iubilationem,spiritualẽ vtiq; per quam mundi nequitiæ collidentur,sicut quondã ad iubilationem Iosue & sacerdotũ Hierico corruit mundi figuram tenens. ¶ H. Non est apud 70.græcè,assumptio,sed ἀντίληψις,quod sonat ad verbum, susceptio, vt alibi vertit in titulo psalmi 21. Psalmus Dauid pro susceptione matutina. Est itaque susceptio idem quod auxilium aut præsidium siue defensio:sic susceptor,auxiliator,aut protector:suscipere,idem quod auxiliari vel prȩsidio esse: quare sensus est,Nostrum auxilium est Domini,id est,à Domino venit, quod clariùs ad hebraicam veritatem reddidit Hieron.Quia à Domino est protectio nostra,& à sancto Israël rege nostro. ¶ I. Non de illo Dauid qui filius fuit Isai, hæc Iudaico more intelligenda sunt, sed de Christo,qui sæpe appellatione Dauid significatur in scripturis, vt annotauimus in psalmum 77. Sic Hieremiæ 30. Non dominabuntur illis ampliùs alieni, sed seruient Domino Deo suo, & Dauid regi suo quem suscitabo eis:& Ezech.34.Et suscitabo super ea pastorẽ vnũ, qui pascat ea,seruum meum Dauid. Ego autem Dominus ero eis in Deũ:& seruus meus Dauid,princeps in medio eorum. Christus enim vnctus est oleo illo sancto,de quo dictũ est psal.44.Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. ¶ K. Inimicus diabolus nihil nocuit Christo,sed illustriorẽ illius fecit gloriã: nec filius iniquitatis,id est,Iudas traditor,vel certè Iudæus Scriba aut Pharisæus qui in necem Christi conspirauẽre.

Ipse inuocabit me,pater meus es tu, Deus meus & susceptor salutis meæ.Et L ego primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi.Et ponam in seculum seculi semen eius,& thronum eius,sicut M dies cæli.

¶ L. Hoc loco satis liquet,in Dauid filium Iesse non posse istud dici, qui nulla ratione primogenitus vspiam appellatur, cùm inter fratres minimus natu fuerit, vt docet primus liber Regũ:nec de illo verè dicitur,quòd omnes reges terrȩ gloria vicerit,cùm filius illius Salomon patrem longè superauerit,& opibus,& potẽtia, & gloria regni multò illustrior fuerit:de filio itaq; Dei vniuersa hæc intelligenda sunt,qui in sacris literis varijs rationibus primogenitus dicitur.Primò iuxta diuinitatẽ,quia primus, & ante omnia à Deo patre,ab ȩterno genitus est:Sic Apostolus cap.1.epistolæ ad Colossenses,Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturȩ.Deinde iuxta carnem assumptam primogenitus dicitur virginis matris: præterea quia primus est suscitatus ex mortuis,& regeneratus ad immortalem vitam: vnde Apocal.1.Qui est inquit

 primogeni-

primogenitus ex mortuis,princeps regum terrę:et Apost.ad Rom.8. Quos pręsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. ¶ M. Dies cæli inquit August.anni illi sunt, qui non deficiunt, nec habent terminum,nec vllus dies ibi angustatur inter hesternum & crastinum, nemo ibi expectat futurum,nemo ibi perdit præteritū,sed dies cæli semper præsentes sunt,dies terræ succedentibus vrgentur,præcedentes excluduntur,nec qui succedunt,manent, sed veniunt vt abeant,& penè priusquam veniant,eunt.

Si autem dereliquerint filii eius legē meam, et in iudiciis meis nō ambulauerint. Si iustitias meas prophanauerint,& mādata mea nō custodierint. Visitabo in virga iniquitates eorū,& in verberibus peccata eorū. Misericordiā autē meā non dispergā ab eo, neq; nocebo in veritate mea. Neq; prophanabo testamētū meū,& quę procedūt de labiis meis nō faciā irrita. Semel iuraui in sancto meo N si Dauid mētiar,semē ei⁹ in ęternū manebit. Et thronus eius sicut sol in cōspectu meo, & sicut luna perfecta in ęternū,& testis in cęlo fidelis. Tu verò repulisti et despexisti, distulisti O Christū tuū. Auertisti testamētū serui tui,prophanasti in terra sanctuariū eius. Destruxisti omnes sepes eius,posuisti firmamentum eius formidinē. Diripuerūt eū omnes trāseūtes viā, fact⁹ est opprobriū vicinis suis. Exaltasti dexterā deprimētiū eū,lætificasti omnes inimicos eius. Auertisti adiutoriū gladii eius,& nō es auxiliat⁹ ei in bello. Destruxisti P eum ab emūdatione,& sedē eius in terra collisisti. Minorasti dies tēporis eius,perfudisti eū confusione. Vsquequo Domine auertis in finem, exardescet sicut ignis ira tua? Memorare Q quæ mea substantia: nūquid enim vanè cōstituisti omnes filios hominū? Quis est homo qui viuet et nō videbit mortē,eruet animā suā de manu inferi? Vbi sunt misericordię tuę antiquę Domine,sicut iurasti Dauid in veritate tua? Memor R esto Domine opprobrii seruorū tuorum,quod cōtinui in sinu meo multarū gentiū. Quod exprobrauerūt inimici tui Domine, quod exprobrauerunt commutationem Christi tui. Benedictus Dominus in æternum,fiat,fiat.

¶ N. Si hoc loco,non est cōditionalis coniunctio,quanuis græcè sit εἰ,id est,si:nam hebraica vox אם Im,quāuis per,si,reddatur à latinis interpretibus,non tamen est conditionalis particula,sed vox abiurantis & abominantis,quare ęquipollet negationi,vt sensus sit:Semel iuraui in sancto meo,absit vt mentiar Dauid,hoc est, nequaquā mentiar ipsi Dauid. Sic psal.94. Quibus iuraui in ira mea,si introibunt in requiem meam, quem locū clariùs vertit ad heb.veritatem Hieronymus. Quibus iuraui in furore meo, vt non introirent in requiem meam. ¶ O. Hic palàm fatetur Dauid, vniuersa hæc in vero Dauid,id est,in Christo implēda,et ob id destruxit et irrita fecit omnia quę promiserat in Dauid filio Isai & Salomone reliquisq; posteris,vt cùm videas hęc non impleta in eo cui promisisse videbatur,quęras alterū in quo impleri ostenditur. Promisit nāq; ex semine Dauid ęternū aliquid. Natus est Salomō,& fact⁹ est tātę sapiētię et prudētiæ,vt promissio Dei de semine Dauid in illo putaretur impleta:sed cecidit Salomō, & dedit locū sperādi Christū. Quare Dauid videns spiritu prophetico lōgè abesse verū Messiā,bene dicit verū Christū dilatū,& regnū Iudaicū multis malis afflictū,& ab hostibus euersum et pessundatū. Oīa tamē hęc ex apostolorū psona interprete Hier.accipi possunt,maximè cùm hebraicè nō sit,distulisti Christū tuū,sed,Iratus es aduersus Christum tuum:& hæc ab eis dici,cùm viderent eū tradi Iudęis, & morte cōdemnari, nec Deum patrē consueto auxilio adesse,vel subuenire illi. Vel de ecclesia intelligi possunt, quę est corp⁹ Christi mysticū,quā à persecutorib⁹ deuastari Deus passus est, adeò vt videri posset oblitus fuisse omnis pacti sui et vniuersarū promissionū. ¶ P. Gręcè apud 70.non

70.non additur accuſatiuus eum, ſed hoc modo legitur, Deſtruxiſti ab emundatione eius, quod clariùs vertit hebraica veritas, Quieſcere feciſti munditiam eius, hoc eſt, inquinaſti & polluiſti eum ſceleribus noſtris. Ipſe enim peccata noſtra tulit: vnde per Eſaiam dicit, Adſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Quod autem ſequitur, Minuiſti dies temporis eius: vel vt hebræi legunt, Abbreuiaſti dies adoleſcentiæ eius, benè Chriſto competit qui 33. annos natus pro nobis mortuus eſt. ¶ Q. Iuxta verſionē 70.interpretum, ex perſona ipſius prophetæ implorantis Dei miſericordiam & celerem Chriſti aduentum, hæc vniuerſa accipi poſſunt, vt hic ſenſus ſit: Memorare quæ mea ſit ſubſtantia, id eſt, memento quòd ſum creatura tua, quam ex viliſſimo terræ puluere condidiſti. Nec quiſquam viuētium ſine tuo adiutorio æternam poteſt mortem euadere, accelera itaque, ſuccurre nobis ſolita miſericordia tua ſicut te facturum iuraſti Dauid, & recordare opprobrij quod fero quoties illudunt nobis gentes, & exprobrant nō verum Meſſiam, ſed Pſeudochriſtum, loco veri Chriſti tui ſuppoſitum indigna quadam commutatione & commercio. Si autem ex Chriſti perſona patrem ſuum orantis hæc dicta intelligimus, ſenſus eſt: Vide quale corpus mortale aſſumpſerim, quod ſi in inferno relinquas, fruſtra videberis condidiſſe humanū genus quod ſaluare renuis. ¶ R. Hebraica veritas interprete Hier. ſic legit verſiculos poſtremos: Recordare Domine opprobrij ſeruorum tuorum, quia portaui in ſinu meo omnes iniquitates populorum: quas exprobrauerunt inimici tui Domine, quibus exprobrauerunt veſtigia Chriſti tui. Quæ ſine dubio non prophetæ, ſed Chriſto verè tribuuntur, qui pertulit peccata noſtra ſuper lignum crucis, & in quo poſuit pater iniquitates omnium noſtrûm: vnde et Aug. de Chriſto interpretatur, commutationem Chriſti appellans mortem qua commutauit vitam hanc mortalem: hanc enim gentiles exprobrāt Chriſtianis: pro quo heb. legūt, veſtigia Chriſti, per veſtigia ſignificantes tranſitum quendam Chriſti per crucifixionem ex hoc mundo ad cælos, quam velut ignominioſam fidelibus exprobrant increduli.

Oratio [A] *Moſi hominis Dei.* *Pſalmus* LXXXIX.

DOmine [B] refugiū factus es nobis à generatione in generationem. Priuſquam montes fierēt aut formaretur terra & [C] orbis, à ſeculo & in ſeculum tu es Deus. Ne [D] auertas hominem in humilitatē, & dixiſti conuertimini filii hominum. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit. Et [E] cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Manè ſicut herba tranſeat, manè floreat, & tranſeat, veſpere decidat induret & areſcat. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione [F] vultus tui. Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni [G] noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum [H] noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & ampliùs eorum labor & dolor. Quoniam [I] ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Dexteram [K] tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia. Cōuertere Domine, vſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos. Repleti ſumus [L] manè miſericordia tua, & exultauimus & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris. Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. Reſpice in ſeruos tuos & in opera tua, & dirige filios eorum. Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, &

opus manuum nostrarum dirige.

¶ A. D.Hier.ad Cyprianũ presbyterum scribens & psalmũ hunc 89.enarrãs,dicit illos errare qui omnes psalmos ipsius Dauid esse, nõ eorum quorũ nominibus inscripti sunt,asserũt:hũc quoq; sub nomine Mosi ab ipso Dauid esse cõpositũ.Cẽset itaq; Hier. nõ modò hũc psalmũ 89. ab ipso Mose esse cõpositũ,sed etiã vndecim sequentes vsq; ad psalmũ centesimũ,& propterea mẽdosos esse codices,qui nomẽ Dauid in titulo habent,cùm apud heb.solus centesimus psalmus nomen Dauid in titulo præferat,& hũc esse morẽ scripturæ sacræ,vt omnes psalmi qui titulo carent, his deputentur,quorum nomina in prioribus continẽtur. Psalmus itaq; hic à nonnullis ad populũ Israëliticum refertur,vt ex illius persona hęc oret Moses,deplorãs quòd in solitudine Deũ offenderit et ibi cõciderit,nec meruerit terrã promissionis ingredi,sed pro patribus ingressi sint filij,& rursum placari Deũ sibi optet,quod in Christi aduẽtu completũ est. Alij ad vniuersum genus humanum referre malunt, cuius offensam & calamitatem hoc psalmo explicat, & redemptionẽ & salutẽ per Christum dandã implorat. ¶ B. Narraturus tristia & genus humanũ deploraturus,à laudibus Dei incipit, vt quicquid aduersorum postea homini accidit,nõ creatoris duritia,sed eius qui creatus est culpa accidisse cognoscamus: homo itaq; à principio cõditionis suæ Deo vtitur adiutore,& cùm illius sit gratiæ quòd creatus est, illiusque misericordiæ quòd subsistit & viuit,nihil boni operis agere potest absq; eo qui ita cõcessit liberũ arbitrium,vt suam per singula bona opera gratiam non negaret,ne libertas arbitrij redũdaret in conditoris iniuriam, & hominis contumaciam, qui ideo liber conditus est, vt absq; Deo nihil esse se nouerit. Quod autem 70.verterunt,refugium, hebr.sonat,habitationem siue habitaculũ. Qui tẽpestatẽ sustinet,vel petrę vel tecti quęrit refugiũ,quẽ hostis persequitur,ad vrbes vel firmiora ædificia se recipit. ¶ C. Ne eãdẽ rem bis dicere videatur,sciẽdũ loco illius quod latinus interpres vertit, orbis, gręcè esse οἰκουμένη,id est,terra habitata,quæ differt à terra, quæ etiam loca deserta & stagnis & paludibus inuia,& vel frigore nimio aut ęstu immodico inhabitabilia denotat:significat itaq; Deũ ab æterno fuisse, nõ solùm antequã conderetur mũdus,sed antequã crearetur celsitudo angelica,quã per mõtes allegoricè Aug.intelligit. ¶ C. Clarius vertit ad heb.veritatem Hier. Conuertes hominem ad contritionẽ & dices:Reuertimini filij Adã. Estq; hic sensus:O Deus,qui hominẽ cõdidisti,& eius es refugiũ in generatione,supple veteris testamenti:& generatione,supple noui testamẽti,qui cõuertes eũ vsq; ad cõtritionẽ,id est,ita cõdidisti eũ vt cõteratur in mortẽ,& ceu vas fictile extremo vitę tẽpore frãgatur, quotidie ei loqueris & olim locutus es per prophetas. Reuertimini filij Adã,qui culpa vestra ex immortalibus mortales facti estis.Iuxta 70.hic erit sensus.Obsecro vt hominẽ quem ad imaginẽ & similitudinem tuam condidisti, non proijcias à facie tua,& in perpetuum sinas per peccatum deprimi in humum, nec obnoxius fiat sentẽtiæ illi:puluis es, & in puluerem reuertẽris. ¶ E. Nox in quatuor custodias aut vigilias diuiditur, quæ singulæ trium horarum spacio supputantur. Sicut igitur vna vigilia noctis cito pertransit, præcipuè illis qui labore & vigilijs fessi se dederunt quieti, sic & mille annorum spacia apud te qui semper es, & fuisti, & futurus es, pro breuissimo tempore computantur. Quæ autem sequuntur,dilucidiùs legũtur apud hebræos hoc modo.Percutiente te eos somnium erunt manè,quasi herba transiens.Manè floruit & abijt,ad vesperam conteretur et siccabitur: vt sensus sit,omnis humana vita somno comparabitur: sicut enim manè virens herba & suis floribus vernans, delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem,& in fœnum vertitur:ita omnis species hominum vernat in paruulis,floret in iuuenibus, viget in viris,arescit & exsiccatur in senibus. Optatiui autem modi in verbis his,transeat, floreat, induret, & arescat, posita sunt pro verbis indicatiui modi præteriti aut futuri temporis, quod ex hebraica veritate liquet. Porrò induret dictum est pro indureat, aut pro induretur. Nam græcè est passiuum σκληρυνθείη.

¶ F. Illuminatio,siue vt Hieronymus vertit, lux vultus, hìc nihil est quàm oculi, siue clarus intuitus, quo Deus omnia etiã abditissima contemplatur,vt sensus sit.Nihil te latuit nostrorum peccatorum: secreta quoq; nostra inspexit oculus tuus sole lucidior:seculum autem vocat tempus humanæ vitæ,pro quo Hier.legit,negligentias,secutus Symmachũ interpretem. ¶ G. Heb.veritas ita legit versiculum hunc: Omnes enim dies nostri transierunt, & in furore tuo consumpsimus annos nostros,quasi in

sermone

ſermone loquẽs:hoc eſt,quomodo ſermo qui in ore verſatur dũ profertur,intercipitur & eſſe deſiſtit:ſic & omnes anni vitæ noſtræ dũ tenere videmur,elabuntur & ipſo vſu intereunt:loco cuius 70.verterunt. Anni ſicut aranea meditati ſunt, ſignificantes nos annos vitæ rebus vanis & inutilibus triuiſſe: nihil enim inutilius tela araneorum, quæ magno artificio texta nulli bonæ rei vſui eſt.

¶ H. Hebraica veritas interprete Hieron. ſic habet: Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni:ſi autem multum,octoginta anni:& quod ampliùs,labor & dolor.Porrò quod 70.verterunt & illos ſecutus Hier.In ipſis, idem eſt quod omnes ſiue vniuerſi:vnde ſignificãtiùs vertit Symmachus vetus interpres ὁλόκληροι, id eſt, integri pleni ſiue vniuerſi. Illud autem, Ampliùs eorum, non ſatis latinè reddidit interpres abuſus genitiuo loco ablatiui:eſt enim comparatio,non partitio,quaſi dicere debuiſſet, quod eſt amplius ipſis, videlicet annis 70.eſt labor & dolor. ¶ I. Et hunc verſiculum obſcurè & longè ſecùs verterunt 70. quàm eſt apud hebræos, apud quos ita legitur Hieronymo interprete, Quoniam tranſiuimus citò & auolauimus: Symmachus ita vertit: Succidimur enim repentè, & auolamus. Quod autem 70. interpretati ſunt, hunc habet ſenſum.Poſt 70.annos aut 80. cùm dies mortis ingruerit, non iudicabimur ſecundum meritum, ſed veniente Domini manſuetudine clementer corripiemur,non daturi pœnas æternas. ¶ K. Aliter hoc loco diſtinguunt 70. interpretes quàm hebræi. Nam verbum,dinumerare quod 70. referunt ad iram, hebraica veritas ad dies retulit. Sic enim legit: Quis nouit fortitudinem iræ tuæ, & ſecundum timorem tuum indignationem tuam? Vt numerentur dies noſtri,ſic oſtende, vt veniamus corde ſapienti. Aquila autem, Symmachus, & quinta editio ſic, Dies noſtros ſic oſtende,& veniemus corde ſapienti, hoc eſt, oſtende nobis quàm breues ſint dies vitæ meæ, & quàm facilè numerari poſſunt anni noſtri, & tunc veniemus ad te, qui fons es immortalitatis, contempta hac breui & mortali vita, quam nimis ſtultè antea amplectebamur. Diuerſitas autem tranſlationum nata eſt ex ſimilitudine vocum hebraicarum, iamen, quod dexteram ſignificat: vnde Beniamin filius dexteræ, & Iamen, id eſt, diem ſiue dies. ¶ L. Quod ſeptuaginta per præteritum reddũt omnibus ferè locis,hoc apud hebræos per futurũ optatur aut ſignificatur: vnde hebraica veritas ſic legit hunc verſum & ſequentes.Imple nos matutina miſericordia tua, & laudabimus & lætabimur in cunctis diebus noſtris. Lætifica nos pro diebus quibus nos afflixiſti,& annis quibus vidimus mala.Si enim hoc iam factum erat,quomodo poſtea deprecantur & dicunt? Reſpice in ſeruos tuos & in opera tua: pro quo hebraica veritas legit, Appareat apud ſeruos tuos opus tuum,& gloria tua ſuper filios eorum.Quia nimirum omnia Deus in ſuis operatur, ne quis ſibi omnia adſcribat Dei gratia excluſa. Porrò matutinam miſericordiam appellat ſpem reſurrectionis, & immortalis vitæ præmia.Manè enim prima ſabbati reſurrexit Dominus.

Laus cantici Dauid, ἀνεπίγραφος apud hebræos. *Pſalmus XC.*

QVi habitat in adiutorio altiſſimi,in protectione Dei cæli cõmorabitur.Dicet Domino ſuſceptor meꝰ es tu,& refugiũ meũ,Deꝰ meus,ſperabo in eũ.Quoniã ipſe liberabit me de laqueo [B] venãtiũ,& à verbo aſpero.Scapulis [C] ſuis obumbrabit tibi,et ſub pẽnis eius ſperabis. Scuto circũdabit te veritas eiꝰ,nõ timebis à timore nocturno.A ſagitta volãte in die,à negocio perambulãte in tenebris [D],ab incurſu et dęmonio meridiano.Cadẽt à latere tuo mille [E] & decẽ milia à dextris tuis,ad te autẽ non appropinquabit.Verũtamẽ oculis tuis cõſiderabis, & retributionẽ peccatorũ videbis.Quoniã tu es Domine ſpes mea, altiſſimũ poſuiſti refugiũ tuũ. Non accedet ad te malũ, & flagellũ nõ appropinquabit tabernaculo tuo.Quoniam angelis ſuis mãdauit de te,vt cuſtodiãt te in omnibus viis tuis.In manibus portabũt te, ne fortè offendas ad lapidẽ [F] pedẽ tuũ.Super [G] aſpidẽ & baſiliſcũ ambulabis,& cõculca-

bis leonē & draconē. Quoniā in me ſperauit liberabo eū, protegā eum quoniā cognouit nomē meū. Clamauit ad me et ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

A. Pſalmus hic quāuis apud 70. interpretes titulū præferat, Laus cātici Dauid, non additur tamen huic nec reliquis ſequētibus, quòd apud heb. ſit anepigraphos, id eſt, inſcriptione ſiue titulo carens: vnde apparet iuxta Hier. ſentētiā, hūc quoq; cum decē ſequentibus à Moſe eſſe conſcriptū, vt annotauimus in titulū pſalmi pręcedentis. Deſcribit propheta quantū pręſidiū ſit homini bono in Deo ſitū: vnde maxima fiducia additur Chriſti fidelibus, ſpē ſuā in Deo collocātibus, quoties aduerſus eos diabolus, mūdus, vel caro inſurgit. Et quamuis diabolus tētans Chriſtū et ad inanē gloriā ſolicitās, verba huius pſalmi ad Chriſtū detorſerit, vt legitur Matth. 4. nō tamē de Chriſto ſolo, ſed de quolibet iuſto dictū eſt: quod ex vltimo verſu clariſſimè conſtat, qui nullo modo de Chriſto intelligi poteſt. ¶ B. Multi inquit Hier. ſunt venatores in hoc mūdo, qui animā noſtrā venari cupiunt, de quibus infrà pſal. 123. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venātiū. Hinc in Gene. legimus Nemrod illū gigantē qui Babylonē cōdidit, robuſtū & magnū fuiſſe venatorē corā Domino, qui ſine cōtrouerſia typū diaboli & mēbrorū illius geſſit: et Eſau venatorē fuiſſe cōſtat, quoniā peccator erat, quibus ſignificantur qui malis artibus ad grādes dignitates & opes enitūtur ad opprimēdos bonos, & qui perituras voluptates & fugiētes mūdi illecebras inſectātur tanto ſtudio, vt interim æterna præmia & hęreditatē regni cęleſtis amittāt vt Eſau, qui venādi labore fatigatus vēdidit primogenita, et venatu occupatus paternā benedictionē amiſit. Et penitus nō inuenimus in ſcripturis ſanctū aliquē venatorē: piſcatores inuenimus ſanctos, ſic ferè Hier. ¶ C. Nō eſt, ſcapulis, ſed inter ſcapulas, vt more auiū alæ Dei te ponāt in medio inquit Aug. Quod autē hìc vertit ſcapulis, alibi vertit dorſum, idq; rectiùs: nā gręca vox μετάφρενον, vt etymologiam ſequamur, ſonat, quaſi dicas, poſt præcordia: ſignificatq; totā partē illam corporis poſteriorē à collo vſq; ad cinctū in homine: in auibus, quæ cinctu carent, idē eſt quod dorſum, quod alis vtrinq; inſtruitur: eſt itaq; ab auibus metaphora ſumpta, quæ vel ſub alis et pennis, vel inter alas in dorſo pullos protegūt: eſt autem hæc metaphora familiaris ſacris literis, vt Exod. 19. Vos ipſi vidiſtis quid fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarū & aſſumpſerim mihi: et Deut. 32. Expandit alas ſuas & aſſumpſit eum atq; portauit in humeris ſuis, quo loco apud 70. eſt eadem vox græca μετάφρενα, quam hìc vertit, ſcapulas. Sciendum autem hoc pſalmo plures miſceri perſonas, videlicet prophetæ, vt ab initio pſalmi vſque ad illum verſum, Quoniam tu es Domine ſpes mea: quæ verba ex perſona hominis pij dicuntur. Quod autem ſequitur, Altiſſimum poſuiſti refugium tuum, iterum ex perſona prophetæ dicitur, vſq; ad illos tres vltimos verſus, qui ex perſona Dei dicuntur.

¶ D. Nō eſt hoc loco, ab incurſu, ſed à ruina vt Aug. legit: nā σύμπτωμα ſi verbum reddas verbo id ſonat, quod multorū ſimul cadentiū ruina. Idē autē hoc loco ſignificat per timorem nocturnum, & per negotiū, aut rem perambulātē in tenebris, quibus opponit ſagittā volātē in die, et dęmoniū meridianū: vel vt heb. veritas legit, morſum inſanientis meridie: duobus enim quæ priùs dicit, redduntur duo quæ poſtea ſubduntur: Duo autem tentationū genera ſignificat his verbis, quibus homines oppugnat diabolus: nam aliquando apertis vitijs nos oppugnat manifeſtè, aliquādo callidè & quaſi ex inſidijs obiecta honeſta ſpecie aut religionis aut ſanctimonię aggreditur nos. Illud itaq; genus tētādi quod vitia aperta & peccati tenebras prę ſe fert, timorē nocturnū & negociū in tenebris ambulās vocat: hoc verò quo falſam virtutis ſpeciē, quę diei ſiue luminis appellatione cenſetur, nobis obijcit, ſagittā volantem in die & meridianum dæmonium appellat. ¶ E. Incertum videtur qui caſuri ſint, dæmones ne an homines: ſed quia ſubiūgit, et retributionē peccatorū videbis, de hominibus ſine dubio loquitur, quorum plurimi cadēt à ſiniſtris, ſed decuplo plures à dextris: vtriq; autē quia nō ſperauerunt, nec confiſi ſunt in Deo ſuo. Porrò per dextra, in ſacris literis aliquando læta & proſpera: per ſiniſtra, aduerſa & triſtia ſignificātur. A ſiniſtris ſiue à latere ſiniſtro cadunt, qui rebus aduerſis ita franguntur & animo deijciuntur, vt amittant omnē ſpē & confidentiam in Deū: à dextris cadunt illi, qui rebus proſperis ita efferuntur et inſoleſcunt vt Dei obliuiſcantur, quorum numerus decuplo maior eſt ijs, qui rebus triſtibus

& aduersis in peccata prolabuntur: nam sæpe mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt. Vt autem vtramque fortunam immobiles perduremus, admonet nos Apostolus scribens Corinthijs, vt instruamus nos per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. ¶ F. Lapidem, appellat quodlibet offendiculum, quod nobis ponitur in via Domini: vnde alibi Dauid. Iuxta iter inquit scandalum posuerunt mihi: vel per lapidem, Christum intelligit, in quem impegerunt Iudæi, & hodie impingunt omnes increduli. Offenderunt enim (inquit Paulus) in lapidem offensionis, quod futurũ Esaias vaticinatus erat: Sic enim habet cap. 8. Dominus erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis & petram scandali duabus domibus Israël, & in laqueum & ruinam habitantibus Hierusalem. ¶ G. Per aspidem, basiliscum, leonem, & draconem, significat omnem potestatem malignorum spirituum, qui serpentum appellatione notantur, quoties occultè venena malarum cupiditatum nobis inspirant. Leones autem & dracones, quoties apertè sæuiunt & palàm nos adoriuntur. Porrò inter dracones & serpentes hoc interest, quòd serpentes humi ferè repunt: vnde & nomen habent, & draconibus minores sint, dracones etiam volucres sint, quos teste Pli. lib. 8. cap. 13. & 12, Æthiopia gignit viginti cubitorum, adeò vt cum elephantis dimicent, & quamuis vastissimo sint corpore, spiris illos ambiant & nexibus illigent, & totum elephantorum sanguinem exsugant: vnde Luca. lib. 9. de draconibus loquens, Rumpunt ingentes amplexi verbere tauros, Nec tutus spacio est elephas. Porrò Basiliscus autore Pli. in Cyrenaica regione nascitur 12. non ampliùs digitorum magnitudine, candida in capite macula velut quodam diademate insigni: sibilo omnes fugat serpentes. Necat fructices non contactas modò, verùm etiam afflatas: exurit herbas, rumpit saxa, de quo sic idem Luca. lib. 9. Sibiláque effundens cunctas terrentia pestes, Ante venena nocens, latè sibi submouet omne Vulgus, & in vacua regnat Basiliscus arena.

Psalmus cantici A *in die Sabbati. Psalmus XCI.*

BOnum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissimè. Ad annunciandũ manè B misericordiã tuã, & veritatẽ tuã per noctẽ. In decachordo psalterio, cum cãtico in cithara. Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuũ tuarũ exultabo. Quàm C magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiẽs non cognoscet, & stultus non intelliget hæc. Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnũ, & apparuerint D omnes qui operãtur iniquitatẽ. Vt intereãt in seculũ seculi, tu autẽ altissim⁹ in æternũ Dñe. Quoniã ecce inimici tui Dñe, quoniã ecce inimici tui peribũt, & dispergẽtur oẽs qui operantur iniquitatẽ. Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meũ, et senectus mea E in misericordia vberi. Et despexit oculus meus inimicos meos, & ab insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. Iustus vt palma F florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in senectute vberi G, & bene patiẽtes erunt vt annũciẽt. Quoniã rectus Dñs Deus noster, & nõ est iniquitas in eo.

¶ A. Titulus psalmi huius tã apud 70. interpretes quàm apud heb. idẽ est, nimirũ hic: psalmus cantici in die sabbati. Tractat enim propheta, vel Dauid, vel (vt D. Hiero. placet) Moses de vero sabbato, quod agimus, quoties sedatis cupiditatibus, & prauis affectibus & pacata conscientia, liberi ab omnibus curis rerum terrenarum totos nos damus contemplationi diuinorum operum, Deo adscribentes quicquid bonorũ operum inuenimus in nobis, & mala nulli nisi nobis imputantes, & æquissimo iudicio res humanas à Deo administrari profitentes. Triplex autem sabbatum esse, ex sacris literis constat: Iudaicum, quod olim cum cæremonijs iudaicis abrogatum est: Alterum est, sabbatum cordis siue animorũ, de quo Aug. scribẽs in hũc psalmũ: Cãtatur (inquit) & commendatur in hoc psalmo sabbatum nostrũ, quomodo sit homo christianus in

ſabbato cordis ſui,id eſt,in vacatione , & tranquillitate,& ſerenitate conſcientiæ imperturbatus intus eſt: in corde eſt ſabbatum noſtrum. Multi enim vacant membris & tumultuantur conſcientia,Omnis homo malus ſabbatum habere non poteſt:nuſquam enim illius conquieſcit conſcientia,hæc ille. Tertium ſabbatum eſt æternitatis,de quo Eſaias cap.vltimo,Et erit(inquit)menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato,de quo et Apoſtolus ad heb.Relinquitur itaq; inquit ſabbatiſmus populo Dei . Quia autē Deum dignè laudare nequimus niſi tranquilla conſcientia, bene titulus habet, In die ſabbati pſalmus cantici. ¶ B. Quia matutino tempori opponit noctē , per manè hoc loco diem intelligimus,à parte accipientes totum . Porrò per diem, allegoricè intelligunt ſacræ literæ res proſperas:per noctem,aduerſas. Homo itaque pius in vtraque fortuna Dei bonitatem & miſericordiam prædicare debet , vt admonuimus pſal. 41. in illum verſiculum, In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam,& nocte canticum eius.

¶ C. Aduerſus calumniatores diuinorum operum & accuſatores iudiciorū Dei hæc canuntur à propheta , quales inter philoſophos fuerunt Leucippus , Democritus & Epicurus:& inter noſtros Marcion & Manichæus hæretici,quorū illi prouidentiam negāt,& fortuitò omnia ferri: Deū nec ira nec gratia moueri,nec curā rerū habere noſtrarū:hi opera Dei calūniātur dicētes, Si omnia Deus fecit ad vtilitatē hominum,quid neceſſe fuerit facere cimicem aut pulicem?vt oſtenderetur inquit Hier . fragilitas tua ô homo,qui per ſuperbiam in cælum os tuum ponis:parua quidem corpora, ſed magna ratio.Ego enim ſic miror Dominum in formica,quomodo in elephantis: ſic illum prędico in culice,quomodo in camelo:vide culicem,ſi conſideraueris membra,corpus non inuenis,& tamen magnificatur Deus,quia ſine corpore membra ſunt omnia,habet ſex pedes, habet oculos,habet os,habet & ventrem & tubam vocis, & alas:vnde veriſsimè à Plinio dictum eſt,naturam non eſſe vſquam mirabiliorem, quàm in minimis.

¶ D Non eſt,apparuerint,ſed διέκυψαν,quod Aug.legit,Proſpexerint, vt ſignificet breue temporis momentum,quo durat impiorum vita & memoria , non aliter quàm ſi quis per oſtium aut feneſtram proſpiciat , & ſtatim ſe ſubducat,poſtea nunquam videndus: ad verbum ſonat διακύπτω per rimas aut cancellos perſpicio.

¶ E. D.Auguſt. legit , Et ſenectus mea in miſericordia pingui.Interpres autem latinus quicunque fuerit,lapſus eſt ſimilitudine vocum ἐλεῶ,quod miſericordiam ſignificat:& ἐλαίω,quod oleum denotat . Eſt itaq; apud 70.ἐλαίῳ,id eſt, oleum:non ἐλεῶ,id eſt miſericordia,cui conſentit & hebr.veritas , Et ſenectus mea in oleo vberi. Munſterus,In vnguento oliuæ viridis:tranſlatio autem Chaldaica,Oleo recēti frondoſę oliuę. Per oleum autem,gratiam Spiritus ſ.intelligi,iam antè ſępius dictum eſt,per quam ſine dubio animæ ſenectus exuitur , & renouatur in vigorem priſtinum.

¶ F. Quam latinè palmam arborem vocamus , græcè appellatur φοῖνιξ,quæ vox etiam vnicam illam auem in Arabia denotat,quæ ſine coitu ex cineribus proprijs renaſcitur,vbi ipſa ſeſe exuſſerit:vnde Tertul. in lib.de reſurrectione carnis , non de arbore,ſed de aue phœnice hūc verſiculū intelligit:eius verba hęc ſunt,Deus etiā in ſcripturis,Et florebis inquit ſicut phœnix,id eſt,de morte,de funere: vti credas , de ignibus quoq; ſubſtantiā corporis exigi poſſe:de hac aue ſic Ouid.Vna eſt quæ reparat ſeq; ipſa reſeminat ales, Aſſyrij phœnica vocant.Porrò de natura palmæ arboris & fœcunditate multa Plinius lib. 13. cap. 4. quo loco inter cætera habet vnde quingenta palmarum genera eſſe:at Iudæam præcipuè inclytam eſſe in hoc arborum genere. ¶ G. Hūc locum Aug.ita legit:Et tranquilli erunt,vt annuncient:tranquillitatem ad conſcientiæ pacem referēs,id eſt,ad myſticum ſabbatum,de quo dictum eſt:verùm græcè apud 70. eſt participium εὐπαθοῦντες,id eſt, bene affecti : nam εὐπάσχειν quod ad verbum ſonare videtur,bene pati, idem eſt quod commodo affici, gaudere,oblectari, optima corporis diſpoſitione eſſe præditum: vnde hebraica veritas interprete Hier. legit , & diſtinguit aliter & multo clariùs quàm 70.hoc modo, Adhuc fructificabunt in ſenectute,pingues & frondentes erunt,annunciantes quia rectus Dominus etc.

Laus cantici A Dauid in die ante ſabbatum quando fundata eſt terra. Pſalmus XCII.

DOminus B regnauit decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem & præcinxit ſe. Etenim firmauit orbem terræ,qui non

nõ commouebitur. Parata est sedes tua ex tunc, à seculo tu es. Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt C flumina vocem suã. Eleuauerunt flumina fluctus suos, à D vocibus aquarũ multarũ. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Testimonia E tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.

¶ A. Psalmus hic apud hebr. est ἀνεπίγραφος, nec autoris nomen, nec præterea quicquam præferens in fronte, quare à 70. interpretibus hæc adiecta sunt: agit autem hoc psalmo propheta, quomodo ecclesia catholica (quæ terræ & orbis appellatione significatur, quia in terris degit & per totũ orbẽ sparsa est) per fidẽ Christi firmata sit, ne ampliùs fluctuet erroribus falsorũ dogmatũ, & adeò constãs permãserit fundata supra firmã petram videlicet Christũ, vt omnes minas fluminũ, id est, populorũ & nationum, & omnes fluctus persecutionum contẽpserit, Deo mirabiliter operãte in excelsis, vt tyranni & principes mundi colla sua submitterent iugo euangelico, & fidem Christi amplecterẽtur quãpriùs impugnauerant. Quare benè habet titulus, terrã fundatã in die ante sabbatum, id est, sexta die: hoc est, vltima mundi ætate, in qua aduenit Christus redempturus orbem, quamuis græcè apud 70. nõ sit, Quando fundata est terra, sed quãdo habitata est terra: nã κατοικῶ verbum propriè est incolo, habito, in nouas sedes trãsfero. Constat autẽ sexta die hominem creatũ, qui terram inhabitaret & dominaretur bestijs terræ, piscibus maris, & volatilibus cæli, vt habet Genes. cap. 1.

¶ B. Regnum spirituale quod exercet Christus inter suos, qui fide & charitate illi coniungũtur in ecclesia, describit hoc loco propheta, de quo Dauid psal. 46. Regnauit Deus super gentes, Deus sedet super sedẽ sanctã suam. Hoc autẽ regni solium paratum est Christo, ex tũc, id est, ab eo tempore quo resurgens à mortuis indutus iam immortale & gloriosum corpus, accinxit se fortitudine, vt debellaret per spiritum suũ principem huius mundi, & subiugaret sibi mẽtes humanas. ¶ C. Per flumina hoc loco & aquas, gentes suis discretæ regionibus & terminis significantur: per mare autem in quod omnia flumina se exonerant & prolabuntur, monarchia huius mundi, quæ nascente ecclesia apud Romanos fuit, rectè intelligitur. Hi autem omnes cõcordibus animis oppugnauerunt ecclesiam Christi dira illis minitantes, si qui Christum profiterentur, quibus tamen minis non est mota ecclesia, ex cuius persona sic vaticinatus est Dauid psal. 45. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris: Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius. ¶ D. Clariùs hoc loco hebræi distinguunt, apud quos penultimus versus sic incipit, A vocibus aquarum multarum grandes fluctus maris: vel vt 70. mirabiles elationes maris .s. factæ sunt, vt sensus sit, omnibus gentibus idololatris impugnantibus fidem Christi, mirabiliter sæuitũ est ab imperatoribus Romanis in christianos, metuentibus ne regnum Romanorum, sublata prisca religione deorum, detrimentum grande acciperet. Sed hos motus Dominus compressit mirabiliter ex alto, etiam tyrannos ipsos subijciens suo imperio, & ex persecutoribus propugnatores suæ fidei & religionis efficiens: vnde Aug. Sęuit mare, & extolluntur fluctus, & rabidi fremunt, pressuras patimur. Nonne fortè deficimus? Absit vt terreamur, quia mirabilis in excelsis Dominus. ¶ E. Illa testimonia dicit, quæ Christus vel in veteri testamento vel nouo testatus est, de pressuris ecclesiæ & eiusdem firmitate & victoria, quæ rebus ipsis iam comprobatæ verissima & fide dignissima facta sunt.

Psalmus A Dauid, quarta sabbati, sine titulo apud Hebræos. Psalmus XCIII.

DEus vltionũ Dñs, Deus vltionum B liberè egit. Exaltare qui iudicas terrã, redde retributionẽ superbis. Vsquequo peccatores Dñe, vsquequo peccatores gloriabũtur? Effabũtur et loquẽtur iniquitatẽ, loquẽtur oẽs qui operãtur iniustitiã. Populũ tuum Dñe humiliauerũt, & hæredita-

hæreditatem tuam vexauerunt. Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt. Et dixerunt non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite inſipientes in populo, et ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat? Qui corripit [C] gentes non arguet, qui docet hominem ſcientiam? Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Vt [D] mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Quia non repellit Dominus plebẽ ſuã, & hæreditatẽ ſuã nõ derelinquet. Quoadusq; iuſtitia cõuertatur in iudiciũ, & qui iuxta illã omnes qui recti ſunt corde. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minùs habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adiuuabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam. Nunquid adhęret [E] tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Et factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium ſpei meæ. Et reddet illis iniquitatem ipſorum: & in malitia eorum diſperdet eos, & diſperdet illos Dominus Deus noſter.

¶ A. Apud heb. titulo quoque caret pſalmus hic: verùm 70. hunc titulum præfixerunt, Pſalmus Dauid, quarta ſabbati, de quo paulò infrà dicemus. Hunc itaque pſalmum canit propheta aduerſus eos qui offenduntur nimia Dei patientia, qua ſuſtinet impios & oppreſſores bonorum, diſsimulans ærumnas, calamitates, & labores iuſtorum. Quæ res multos ineruditos & prophanos pertraxit in ſummam impietatem & blaſphemiam, exiſtimantes Deum non curare mortalia: vnde & Abacuc humana quadam impatientia aduerſus Dei longanimitatem exclamat, & in hæc verba erumpit. Vſquequo Domine clamabo & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe? Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſq; ad finem iudicium, propterea egredietur iudicium peruerſum, quia impius pręualet aduerſus iuſtum: Vt autem in hac impiorum felicitate & piorum afflictione non deflectamus à via mandatorum & iudiciorũ Dei, vult nos ſimiles eſſe ſoli & lunæ, quæ luminaria quarta die ſabbati, id eſt, hebdomade creata ſunt, vt habet Gene. Illa enim conſtanter curſus ſuos ſeruant, & nocte & die lucent, nihil offenſa tumultibus rerum humanarum: vnde & Apoſtolus cap. 2. epiſtolę ad Philipp. ſimili exemplo ſuos hortatur ad patientiam. Omnia inquit facite ſine murmuratione & diſceptatione, vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei in medio nationis prauę atq; peruerſę, inter quos lucete ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ cõtinentes. ¶ B. Ne quis putet ob nimiam patientiam Deum non vlturum ſcelera hominum, vocat Deum Dominum vltionum, quia temporalia peccata æternis ſupplicijs vindicabit: vel quia omnis vltio & vindicta illi ſeruanda eſt, iuxta illud: Mea eſt vltio & ego retribuam: Quod autem interpres hoc loco vertit, liberè egit, alibi vertit, fiducialiter agere: Auguſtinus legit, fidenter egit, verbum græcum eſt, παρρησιάζομαι, quod propriè eſt liberè, audacter, & ingenuè loquor nullius habito reſpectu, hoc loco non ad verba, ſed ad actiones refertur: liberè igitur agere, nihil eſt quàm citra reſpectum perſonarum cuique pro meritis dignas pœnas infligere.

¶ C. Quod latina exemplaria apud nos habent, Qui corripit gentes. D. Auguſt. legit, Qui erudit gentes, idque rectiùs: Nam παιδεύω verbum græcum propriè eſt, pueros doceo, aut erudio: & quoniam id non fit ſine verberibus, aliquando pro caſtigo &

corripio

corripio ponitur. Hoc tamē loco rectiùs per, erudio, quàm per corripio redditur, maximè cùm mox sequatur: Qui docet hominē scientiam: vnde D. Aug. enarrās hunc versum, Ideo misit inquit verbū suū per orbem terrarū, misit per angelos, per patriarchas, per tot pręcones antecedentes iudicem, per totum orbem terrarum prædicatur vbique verbum Dei. Quæ sine controuersia ad doctrinam, non ad punitionem referūtur, quomodo idē verbum paulò antè vertit. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. ¶ D. Græcè est accusatiuus, non datiuus: vnde Aug. legit vt mitiges eū à diebus malis: heb. veritas, vt quiescat à diebus malis. Est itaque sensus, vt miti & patienti animo ferat prosperitatem & felicitatem malorū. Mali enim dies sunt inquit Aug. quibus vidētur florere peccatores & laborare iusti: sed labor iustorum, flagellum est patris: felicitas peccatorum, fouea est ipsorum: vnde alibi dicit propheta, Deiecisti eos dum eleuarentur. ¶ E. Hebraica veritas interprete Hieronymo sic legit hunc versiculum: Nunquid particeps erit tui thronus insidiarum, vt sensus sit: Nemo existimet, quia Deus patienter fert impios & tyrannos, quòd delectetur impietate aut scelere, qui adeò abest ab omni iniquitate, vt & filijs suis chrarissimis laboriosa, & doloribus plena dederit præcepta, quibus iubentur carnem suam crucifigere cum vitijs & concupiscentijs suis.

Laus cantici A *ipsi Dauid. Psalmus* XCIIII.

VEnite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro B. Pręoccupemus faciē eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Quoniā Deus magnus Domin⁹, et Rex magnus super omnes deos. Quoniā nō repellet Dominus plebē suā. Quia in manu eius sunt omnes C fines terræ, & altitudines mōtiū ipsi⁹ sunt. Quoniā ipsi⁹ est mare & ipse fecit illud, et siccā manus eius formauerunt. Venite adoremus et procidamus, & ploremus ante Dominum qui fecit nos, quia ipse est Dn̄s Deus noster. Et nos populus D pascuæ eius, & oues manus eius. Hodie si vocem E eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sicut in irritatione F secundum diem tētationis in deserto. Vbi tentauerūt me patres vestri, probauerunt & viderūt opera mea. Quadraginta annis G offensus fui generationi illi, et dixi, semper hi errāt corde. Et isti nō cognouerunt vias meas: vt iuraui in ira mea, si introibunt in requiē meam.

¶ A. Ex persona prophetæ principium psalmi canitur. Exhortatur autem & inuitat omnes ad laudē & confessionē Deo faciendam. Duplex est enim confessio, altera laudantis, altera peccata sua agnoscentis: vtramq; autem hoc psalmo cōplectitur: vnde apud 70. titulum quoq; habet, Laus cātici ipsi Dauid, cùm tamē apud heb. titulo careat. Postea persona Dei patris inseritur, vt voce filij sui vnigeniti quotidie nos admonentis auscultemus, ne exēplo populi Iudaici excludamur ab æterna requie, quam suis pollicitus est Deus. ¶ B. D. Aug. legit: Præueniamus faciē eius in cōfessione, & est sensus interprete Hier. Priusquam nobis auersa facie irascatur, confiteamur peccata nostra. Aug. sic: Quid est, præueniamus? Venturus est, præueniamus faciem eius in confessione antequam veniat. Nos confitendo dānemus quod fecimus, vt ille quod coronet, non quod damnet, inueniat. Nunquid autem & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Imò verò maximè pertinet: tanto enim maior est laus ignoscētis, quāto maior exaggeratio peccata cognoscētis: quia cū peccata nostra cognoscimus, Dei gloriā cōmendamus, hæc ille. ¶ C. Quāuis iuxta literā hęc quoq; maiestatem & potentiam diuinam testentur, tamen allegoria in his est longè aptior & dulcior: significat itaque his verbis diuinam bonitatem & misericordiam, qui non perpetuò repellet populum suum Israëliticum, quamuis propter peccata nimis grauia ad tempus eos visus est dereliquisse, cùm illius clementia tanta sit, vt & gentes longè habitantes in finibus orbis terræ, ad fidem & cognitionem nominis sui vocaturus sit, & terrenæ potestates, quas per altitudines montiū denotet, in illius sint arbitrio, vt quòuis illas flectat. ¶ D. Ecclesia verbis paulùm immutatis canit hunc versiculum, hoc

hoc modo, Nos populus eius & oues pascuæ eius, quòd pascua ad oues potiùs referenda videantur, quàm ad populum: verùm cùm ijdem denotentur per oues qui per populum significantur, oues ipsius manus, id est, ab ipso conditas & populum pascuæ eius maluit dicere: vnde Aug. scribens in hunc locũ, Vide inquit quàm eleganter verborum ordinem commutauit, & tanquam non propria reddidit, vt ipsas intelligamus oues qui sunt & populi. ¶ E. Ex persona Spiritus s. vel Dei patris hæc dicuntur monentis, vt vocem filij auscultemus, hoc est, illius præceptis obediamus: vnde & in euangelijs legimus patrem dixisse, Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipsum audite: de quo & Moses Deutero. 18. Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis: omnis autem qui non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Per hodie autem, non hodiernum diem, sed vniuersum tempus huius nostræ mortalitatis significat, vt Apostolus interpretatur cap. 3. epistolæ ad hebr. vbi exactè totum hunc locum explicat, vbi inter cætera sic habet: Videte inquit fratres, ne in aliquo vestrûm sit cor malum incredulitatis discedendi à Deo, sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, dũ hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Quod autem sequitur, secundum diem tentationis in deserto, clariùs vertisset interpres per præpositionem in: nam secundum, hîc non significat similitudinem, vt idem sit quod iuxta, sed tempus denotat: vnde hebr. veritas clariùs legit interprete Hier. Nolite inquit indurare corda vestra sicut in cõtradictione, sicut in die tentationis in deserto. ¶ F. D. Aug. legit, Quadraginta annis proximis fui generationi huic, & sic interpretatur. Quid est inquit, proximus fui? præsentaui me in signis & virtutibus: verùm græcè verbum est προσώχθισα, id est, offensus fui, compositum à verbo græco ὀχθίω, quod significat, grauiter fero, doleo, irascor: cui lectioni consentit hebraica veritas, quæ sic habet: Quadraginta annis displicuit mihi generatio illa & dixi: populus errans corde est, & non cognoscens vias meas, quibus iuraui in furore meo, vt non introirent in requiem meam. Quod autem 70. interpretes hoc loco græcè legunt ὡσ ὤμοσα corrupta videri potest lectio esse, & loco ὡσ 70. reliquisse οἷς, id est, quibus, quomodo vertit hunc locum interpres epistolæ ad heb. cap. 3. vel dicendum est ὡσ vsurpari hoc loco pro διό, id est, quapropter: id enim significat aliquando apud græcos ὡσ particula, quæ apud illos plurimarum significationum est.

Laus cantici A *Dauid, quando Domus ædificabatur post captiuitatem. Psalmus XCV.*

CAntate Domino canticum B nouum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini eius, annunciate de die in diem salutare eius. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius. Quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos. Quoniam omnes dii gẽtium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Confessio C & pulchritudo in conspectu eius, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius. Afferte Domino patriæ D gentium, afferte Domino gloriam nomini eius. Tollite hostias & introite in atria eius, adorate Dominum in atrio sancto eius. Cõmoueatur à facie eius vniuersa terra, dicite in gentibus quia Dominus E regnauit. Etenim correxit orbem terræ qui nõ commouebitur, iudicabit populos in æquitate. Lætentur cæli & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius, gaudebũt F campi & omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini quia venit, quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

¶ A. Apud 70. interpretes psalmus hic nonagesimusquintus, qui apud heb. anepigraphus

pigraphus est,hunc titulum habet.Laus cantici Dauid: vel vt alia exemplaria habent, Canticum Dauid,quando domus ædificabatur post captiuitatem,quem titulum Iudæi referunt ad tempora Tyri regis Persarum,quando soluta captiuitate in Babylone rursum ædificatum est templum sub Esdra , Zorobabel, & Iesu filio Iosedec:verùm cùm ad laudem Dei inuitetur non Iudæa, sed omnis terra:& noui cantici mētio fiat,nō dubium quin ad ecclesiā referendus sit psalmus,quæ est domus Dei, & colūna & firmamentum veritatis:hæc domus per totum orbem terrarū ædificatur quotidie post captiuitatem , quoties excusso iugo peccati efficimur templum Spiritus sancti : & ideo & Patriæ,hoc est,familiæ gentium spirituales hostias afferre iubentur in hanc domū Dei, eò quòd Dominus iam nō in vna gente Iudaica, sed in omnibus gentibus regnaturus sit. ¶ B. Nouū canticū appellat, canticū noui testamenti de filio Dei nato, crucifixo,mortuo,sepulto,cælos adscendente,de missione Spiritus sancti & cæteris Dei mirabilibus, cùm olim Iudæi canerēt Pharaonem in mari rubro submersum , populū ab Ægyptiaca seruitute liberatū,Deū cælitus pluisse manna patribus,Salomonem templū exstruxisse toto orbe celeberrimū:vel nouū canimus cāticū, quoties affectibus nō obstrepētibus Deū laudam⁹ religiosa vita & pijs actionib⁹,cùm Iudæi tibijs,sistris,lyris & tympanis Deū demulceri stultè sibi persuaderēt:vnde per prophetā Amos coarguit eos dicēs: Aufer à me tumultū carminū tuorū,& cātica lyræ tuæ nō audiā. ¶ C. Cōfessionē,hoc loco D. Aug. ad peccatorū agnitionē refert:sic enim habet, Pulchritudinē amas? cōfitere:fœdus eras?cōfitere vt scis pulcher:peccator eras? confitere vt scis iustus. Quærebas magnificētiā?priùs dilige sanctitatē:cū sanctificatus fueris, eris magnificatus. Verùm heb.veritas confessionē laudis hoc loco intelligit,& ad maiestatē diuinā & ecclesiæ gloriam hæc omnia refert:Sic enim legit versum hūc,Gloria & decor ante vultum eius,fortitudo & exultatio in sanctuario eius. ¶ D. Græca vox hoc loco est, non latina,quam cap.3.epistolæ ad Ephe. vertit,paternitatem:psal.autē 21.vertit,familiam:Et adorabunt inquit in cōspectu eius omnes familię gentiū,quomodo & hoc loco vertenda erat vox græca, non autē relinquenda ad vitandā ambiguitatem sermonis : nam quam nos patriam latinè appellamus,græci πατριὰ appellant.

¶ E. D.Aug.hunc locum ita legit in commentarijs suis:Dicite in gentibus , quia Dominus regnauit à ligno:porrò illud à ligno græcè nō additur. Est autē sensus: Christum post mortem crucis regnare cœpisse inter gentes.Quam lectionē secutus est autor hymni illius,Vexilla regis prodeunt:Sic enim habet, Impleta sunt quæ cōcinit Dauid fidelis carmine,dicens in nationibus regnauit à ligno Deus. ¶ F. Per campos,quæ sponte sua gramine vestiūtur nullo aratro proscissi:& per ligna syluarum, id est, arbores syluestres quæ spōte enascuntur,nec putantur,aut à quoquam coluntur,gentes allegoricè significantur, quæ cùm priùs incultæ essent & steriles,omnium virtutū frugiferæ factæ sunt: vnde & Apostolos scribens Ro.gentes oleastro comparat,quæ insitæ in oliuā,participes factæ sunt illius pinguedinis.Hi ergo campi & hæc ligna exultauerunt ob pręsentiam Christi,cùm propagata fide euangelica liberauit genus humanum(quod per terram denotat)à tyrannide & violentia diaboli.

Ipsi Dauid,quando terra A *ei restituta est. Psalmus XCVI.*

DOminus regnauit,exultet terra,lętētur insulæ multæ. Nubes B & caligo in circuitu eius,iustitia & iudicium correctio sedis eius. Ignis C ante ipsum præcedet,& inflāmabit in circuitu inimicos eius. Alluxerūt fulgura D eius orbi terræ,vidit & cōmota est terra. Mōtes sicut cæra fluxerūt à facie Domini,à facie Dñi omnis terra. Annūciauerunt cæli iustitiā eius,& viderūt oēs populi gloriā eius.Cōfundantur omnes qui adorant sculptilia,& qui gloriātur in simulacris suis. Adorate eum omnes angeli eius,audiuit & lætata est Sion.Et exultauerūt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine.Quoniam tu Dominus altissimus super omnē terrā,nimis exaltatus es super oēs deos.Qui diligitis Dominum odite malū,custodit Dominus animas sanctorū suorū,de manu peccatoris

toris liberabit eos. Lux [E] orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in Domino, & confitemini memoriæ sanctificationis eius.

¶ A. Huic psalmo, qui apud heb. titulo caret, huiusmodi titulum dederunt 70. interpretes: Ipsi Dauid quando terra ei restituta est: vel alia exemplaria legunt, quando terra eius restituta est ei. Neutro tamen modo legitur titulus hic græcè apud 70. Nam græcè verbum est καθίσατο, hoc est, constituta siue composita aut sedata est: nec est datiuus, ei: sed genitiuus, eius: nam καθίσαμαι apud græcos non est, restituo, sed constituo, id est, quod collapsum est instauro, & in meliorem statum redigo, pace aliquid cōpono. Vtraque tamen lectio satis congruit argumento psalmi, qui canit, quomodo Christo restituta sit terra, id est, ecclesia per orbem sparsa, quam occupauerat princeps tenebrarum ante Christi aduētum: & quomodo hanc terrā optimis legibus & institutis euangelicis in meliorem statum redegerit, & populis antè ob diuersas religiones dissidentibus, in cōcordia & pace eos constituerit. ¶ B. Versiculus iste satis intelligi potest ex ijs quę annotauimus psalmo 17. in illum versiculum: Posuit tenebras latibulū suum, in circuitu eius tabernaculū eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris: hoc ergo dicit, mysteria fidei christianæ esse velata, nec quibusuis peruia & aperta.

¶ C. De primo aduentu, non autem de secūdo hæc intelligenda esse, satis indicat Apostolus cap. 1. epistolæ ad Heb. disserēs de diuinitate filij Dei, & excellentia Christi iuxta hominē assumptū, vbi vsus testimonio hui⁹ psal. ad primū Christi aduētū omnia refert: sic enim habet, Et iterum, cùm introducit primogenitum in orbē terrarū, dicit, Et adorent eum omnes angeli eius: Ignem itaque illum intelligit, de quo Dominus Lucæ 12. Ignem inquit veni mittere in terrā, & quid volo nisi vt ardeat? hoc igne diuini amoris succensi & inflāmati sunt hostes nominis Christi, vt ij qui antè odissent, iam amare inciperent. Aug. ad ignem zeli & inuidiæ refert, quo inflammati sunt Iudæi & gentes hostes euangelij. Quod verò interpres vertit hoc loco, correctio sedis eius, D. Hier. ad heb. veritatem reddidit, firmamentum sedis eius. D. Aug. directio sedis eius, idq; multo aptiùs: vnde Hieron. in commentarijs suis in hunc psalmum, Quid vult dicere, correctio sedis eius? debuit dicere, stabilitas sedis eius. Quando enim dicitur, correctio sedis, ostenditur prauum fuisse quod corrigitur. Græca autem vox apud 70. est κατόρθωσις, quam Cicero interpretatur rectam affectionē à græco verbo κατορθόω, quod significat egregiè & cum virtute aliquid facio, prosperè aliquid gero: significat itaque thronum Christi iustitia & iudicio firmari & dirigi, hoc est, prosperos successus habere.

¶ D Fulgura allegoricè vocat choruscātia apostolorū prodigia & miracula, quæ vt vidit mūdus, salutari pœnitētia & animi dolore cōmotus, in Christum credidit. Sed mōtes, id est dæmones fastu & superbia elati, vt cæra fluxerūt, quoties igni admouetur à præsentia Domini omnis terræ: sic enim est græcè, nō autē omnis terra, cui lectioni suffragatur heb verit. quæ sic legit, A facie dominatoris omnis terræ. ¶ E. Quia dixerat, custodit animas sanctorū suorū, quāuis corpora patiatur occidi, ne quis nimio amore hui⁹ vitę metuat cruciat⁹, aut ꝑsecutiones impiorū timēs ne perdat corruptibilē hāc lucē, infert cōtinuò, lux orta est iusto: vnde Aug. in hūc versum scribēs, Quā lucē times ne perdas? Istā lucem vident tecū iniqui, vident latrones, vident impudici, vident bestiæ, muscę, vermiculi, caue ne dū perdere times hanc lucē, perdas veram lucem. Hāc lucē in fide martyres viderūt, qui dū istā contēpserūt, aliā viderūt quam desiderarunt: de hac luce & hoc sole Esaias: Vobis autem timētibus nomen meū, orietur sol iustitię.

A *Psalmus XCVII.*

CAntate Dño cāticū nouū, quia mirabilia fecit. Saluauit sibi dextera [B] eius, & brachiū sanctū eius. Notū fecit Dñs salutare suum, in cōspectu gētium reuelauit iustitiā suā. Recordatus est misericordię suę, & veritatis suæ domui Israël. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Iubilate Deo omnis terra, cātate & exultate & psallite. Psallite Dño in cithara & voce psalmi, in tubis [C] ductilibus & voce tubæ corneæ. Iubilate in conspectu regis Dñi, moueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarū, & qui habitāt in eo. Flumina [D] plaudēt manu simul

montes

montes exultabunt à conſpectu Domini, quoniam venit E iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate.

¶ A. Aduentum Domini iuxta carnem hoc pſalmo canit propheta, & ad ſpirituale canticum & gratiarum actionem nos inuitat, vt iubilemus & exultemus Deo, qui filium vnigenitum redemptorē & ſaluatorē miſit in mundum, & ineffabili modo diuinitatem humanitati coniunxit, quo nihil eſt mirabilius. Illumq; non vni tantùm genti Iudaicæ notum fecit, ſed omnibus gentibus vſque ad fines orbis terræ, quæ fidei oculis ſalutare Dei, id eſt, Ieſum ſaluatorem viderunt. ¶ B. Per dexteram & brachium, filium Dei intelligimus. Hijs enim partibus corporis præcipuè robur exerimus, & fortitudinem oſtendimus: & omnia opera molimur, quod per filium fecit Deus pater: eundem vocat iuſtitiam, quòd Chriſtus, vt habet Apoſtolus, factus eſt nobis à Deo patre ſapientia, & iuſtitia, ſanctificatio, & redēptio. Eſt itaq; hîc ſenſus: Filius qui dextera & brachiū patris dicitur, ſaluauit hominē: non alijs, ſed ſibi, id eſt, in laudem & gloriam ſuam, ſicut eundem in principio ſibi condiderat. ¶ C. Ductiles tubæ appellantur, quòd ex laminis æreis aut argenteis fiant, quæ tundendo in longum & latum producuntur. Iuxta literam itaque argenteas tubas ſignificat, quas Moſes ex præcepto Domini fabricari iuſsit, vt ijs canerēt in ſacrificijs & epulis ſolennibus vt legimus Nu. 10. cap. Iuxta myſticū verò ſenſum nos canimus tubis ductilibus, quoties tunſionibus & preſſuris exerciti, eloquia Dei, quæ argento repurgato comparantur, ebuccinamus & prædicamus. Corneis autem tubis canimus, quoties exſuperantes carnales affectus, & mortificationem crucis Chriſti in corpore noſtro exprimentes, triumphū crucis Chriſti prædicamus. Cornu enim extra carnem ſolet excreſcere, & in lapidis ſoliditatem & rigorem duratur, & idem in ſacris literis regni & poteſtatis ſymbolum eſt.

¶ D. Ad allegoriam hæc referre neceſsitas ipſa nos compellit. Nam quæ ſint manus fluminū quibus plaudere poterunt? aut quis ſenſus poteſt eſſe montibus vt exultent? Per flumina itaque, populos Chriſto credentes accipimus, qui ex vno fonte, id eſt, Chriſto omnes deriuantur. Montes autem, vocat ſanctos perfectiores propter virtutes ſublimiores. ¶ E. Non de ſecundo aduentu & extremo iudicio quod plenum terroris & metu erit, iſtud accipiendum eſt, ſed de primo aduentu Chriſti. Nam iudicare idiomate hebraico ſæpe eſt idem quod vlciſci, & vindicare vim aut calūniam alteri factam, ſic Chriſtus aduenients in mundum, vltus eſt vicem humani generis, victorem diabolum ſubijciens pedibus credentium, & à calumnia & tyrānide illius ſuos liberans: De hoc iudicio dixit ſuprà pſal. 71. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

Pſalmus A Dauid. Pſalmus XCVIII.

DOminus B regnauit, iraſcātur populi, qui C ſedes ſup Cherubim, moueatur terra. Dn̄s in Siō magnus, & excelſus ſuper omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno quoniā terribile & ſanctū eſt, & honor regis iudiciū diligit. Tu D paraſti directiones, iudiciū & iuſtitiam in Iacob tu feciſti. Exaltate Dominū Deum noſtrum, & adorate ſcabellum E pedum eius, quoniam ſanctum eſt. Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant Dominum & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos. Cuſtodiebant teſtimonia eius, & præceptum quod dedit illis. Domine Deus noſter tu exaudiebas illos, Deꝰ tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones F eorū. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius, quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.

¶ A. Regnum Chriſti qui iam ſuper Cherubim, id eſt, ſupra omnes angelorum choros adſcendit, & perpetuum illius ſacerdotum, hoc pſalmo commendat propheta

exemplo Mosi Aaron & Samuelis, qui Christi typũ gesserunt. Nã vt Moses populũ ex Ægypto per mare traduxit, & legẽ illis tulit, et brachijs manibusq; in altũ expasis vicit Amalechitas, ita & Christus ex tenebris huius seculi per aquas baptismi nos eduxit, & euangelicã legem tulit, & expasis in cruce manibus vicit diabolũ. Porrò sacerdotium ipsius Aaron, Christi figuram expresit per omnia, qui ex virgine sine humano semine natus est, sicut amigdala procreata sunt ex virga succisa, & arida ipsius Aaron. Samuel quoque reiecto Heli & filijs eius, sacerdos Domini factus, vt Christus reprobato legali sacerdotio, factus est sacerdos in æternum iuxta ordinem Melchizedec.

¶ B. Populos, dicit Iudæos & gentes hostes euãgelij, quæ iratę sunt videntes regnum Christi & religionẽ Christianam vbiq; terrarũ propagari, de quibus psal. 2. Quare inquit fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? de his & Christus Lucæ 19. parabolicè hoc regnum suum significans: Homo inquit nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnũ: ciues autem illius oderant eum, & miserunt legationem post eum dicentes, nolumus hunc regnare super nos. ¶ C. D. Aug. legit: Qui sedet super Cherubim, & hoc rectiùs. Interpres autem lapsus est (si modò illius, non autem librarij mẽdũ sit) ambiguitate participij gręcanici ὁ καθήμενος, quod significat, qui sedeo, qui sedes, qui sedet, quod fugere potuisset, si omisisset relatiuum qui, & reliquisset participium quod inuenit, hoc modo: Dominus regnauit, irascãtur populi, sedens super Cherubim. Nunc quia expresit per relatiuum & verbum, debuit esse tertiæ personæ sicut antecedens & præcedens verbum. Similis lapsus est in cantico trium puerorum Danielis 3. Benedicite cete & omnia quæ mouentur in aquis Domino, debuisset dicere, quæ mouemini in aquis: & psalmo 148. Laudate eum cæli cælorũ, & aquæ quæ super cælos sunt: pro, aquæ quæ super cælos estis. ¶ D. Quod interpres vertit hoc loco, directiones, aliud omnino est quàm quod psal. 96. vertit per correctionem, quod Aug. rectiùs legit directio vt ibi notauimus: nam diuersæ sunt voces græcanicæ. Nam hoc loco apud 70. græcè legitur εὐθύτητας, quasi dicas rectitudines si verbũ verbo reddere liceret, latinè æquitates sonat, quomodo Aug. legit, cui suffragatur heb. veritas interprete Hieron. qui sic legit: Tu fundasti æquitates etc. ¶ E. Per scabellum siue suppedaneum, vt Aug. legit, ad verbum reddens græcam vocem ὑποπόδιον, corpus dominicum intelligimus, in quo omnis diuinitas inhabitat, & cui veluti scabello nititur. Caro enim dominica ex terra originem suam habet, vt nostra caro. Terram autẽ esse scabellũ pedũ eius, indicat Esaias cap. vltimo. Cælum mihi sedes est, terra autẽ scabellum pedum meorum. ¶ E. Relatiuum hoc loco non videtur referendum ad Mosen, Aaron & Samuelẽ. Quid enim in ijs vlcisceretur Deus, qui custodiebant testimonia & præceptum quod dedit eis. Quare ad populum Israëliticum quibus præfuerunt, referendum est, vt sit Antipophora, figura qua tacitè interrogationi occurritur, vt interrogante quopiam, Cur Deus passus est populum suũ adeò excęcari & obdurari, & regnum suum ad gentes transtulerit vnà cum lege & sacerdotio? respondeat propheta. Vltus est Deus omnes adinuentiones eorum, id est, peruersa studia, & impia vitæ eorum instituta. Aug. tamen ad Mosen, Aaron & Samuelem torquet: Nec legit, vt græcè est, adinuentiones, sed affectiones, vt Deus in sanctis etiam puniat quæ in animo latent, quamuis in actiones non prodeant, quod de Mose & Aaron verum est, quorũ vterque Deum offenderat, & ideo in terram promisionis ingredi negatum est vtrique. De Samuele autem difficile erit hoc ostendere.

Psalmus in A *confeßione. Psalmus XCIX.*

IVbilate Deo omnis terra, seruite B Dño in lætitia. Introite in conspectu eius in exultatione. Scitote quoniam Dñs ipse est Deus, ipse fecit nos & nõ ipsi nos. Populus eius & oues pascuę eius, introite portas eius in cõfesione, atria eius in hymnis: confitemini C illi. Laudate nomen eius quoniam suauis est Dominus, in ęternum misericordia eius, & vsquè in generationem D & generationem veritas eius.

¶ A. Nullum autoris titulum præfert psalmus hic, sicut nec præcedẽtes, sed tam apud heb. quàm apud 70. eãdẽ inscriptionẽ habet, nimirũ hãc. Psalm' in confesione, vbi confesio

confeſsio laudis ſine dubio intelligenda eſt:nam peccatorum nulla hic fit mentio. Inuitat itaque propheta fideles ad laudandum Chriſtū Dei filium,& ad gratias illi agendas propter immenſa illius erga nos beneficia. Cùm enim tertio verſu dicat: Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, filium Dei propter nos incarnatum denotat. Quis enim neſcit inquit Auguſt.quòd Dominus omnium ipſe ſit Deus, ſed de Domino noſtro Ieſu Chriſto à multis dubitatū eſt,& apud incredulos etiamnum dubitatur. Dicit itaque,quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus ſit: nec vobis vileſcat,quòd crucifixus, ſpinis coronatus, ſputis illitus fuerit:nam per eum Deus pater genus humanum & omnia condidit. ¶ B. Cùm natura omnes libertate gaudeant,omnis ſeruitus amaritudine plena eſt: hęc ſeruitus Domini,ſumma libertas eſt: vnde Apoſtolus ſcribens Galatis,Vos inquit in libertatē vocati eſtis: ſeruus es,quia factus: liber, quia redemptus es: bene itaque dicit,Seruite Domino in lætitia.

¶ C. Latina exemplaria perperam diſtinguunt verſum hunc. Nam apud 70. interpretes vltimus verſus incipit ibi:Confitemini illi,laudate nomen eius. Quare illud in hymnis cohęret cum accuſatiuo,atria,hoc modo:introite atria eius in hymnis.

¶ D. Geminus hoc loco eſt accuſatiuus hoc modo, Et vſque in generationem & generationem, quomodo & Aug. legit: & idem ſic interpretatur, aut omnem generationem accipe,quod dictum eſt in generationem & generationem: aut duas generationes,vnam terrenam, alteram cæleſtem. Hîc eſt generatio quæ parit mortales,quę parit æternos:vel certè generationem vnam dicit gentem Iudaicam, alteram chriſtianam. Vtriſque autem Deus fidem ſeruauit promiſſorum omnium, quam hîc & alijs locis veritatem appellat.

A *Ipſi Dauid. Pſalmus C.*

MIſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine:Pſallam, & intelligam in via immaculata quando B venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei,in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtā,facientes præuaricationes odiui. Non adhæſit mihi cor C prauum,declinantem à me malignum non cognoſcebam. Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar.Superbo oculo & inſatiabili corde cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ,vt ſedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.Non habitabit in medio domus D meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua,non direxit in conſpectu oculorum meorum.In E matutino interficiebam omnes peccatores terræ,vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

¶ A. Centeſimus hic pſalmus,qui iuxta hebræorum ſupputationem apud eos eſt centeſimuſprimus,titulum habet ipſius Dauid. Qui iuxta literam ad regem Dauid filium Ieſſe referri poteſt.Iuxta myſticum ſenſum,ad Chriſtum verum Dauid, iuxta tropologiam ad quemlibet iuſtum. Nos ad Chriſtum commodè referimus omnia,qui ſecundum hominem aſſumptum innocentiam ſuam apud Deum patrem recenſet & commendat,vt eius ſectantes veſtigia,inter membra illius numerari mereamur: benè autem ſtatim in exordio Deum laudat à miſericordia & iudicio. Nemo itaque ſibi ad impunitatem blandiatur,inquit Aug.de miſericordia Dei, quia eſt & iudicium. Et nemo in melius commutatus horreat iudicium Dei,quia præcedit miſericordia.

¶ Si iuxta tropologiam ad iuſtum referamus,de aduentu Chriſti loquitur,quo ad ſingulos venit in mortis hora,redditurus pijs præmia,impijs merita ſupplicia. Quod per vitæ innocentiam & puritatem ſuis Deus reuelat: vnde illud Petri, Scio quia velox eſt depoſitio tabernaculi mei: & illud Pauli, Ego iam delibor,& tempus reſolutionis meæ inſtat:ſi ad Chriſtum referimus,hic ſenſus erit: Intelligam quando venies ad me,id eſt, quando clarificaturus es me per reſurrectionem, & oſtenſurus me eandem tecum habere gloriam & diuinitatis communionem. Non quòd vnquam pater reliquerit filium, ſed quòd in hominum oculis viſus eſt reliquiſſe in morte, & ad eum redijſſe cùm ex mortuis excitauit. ¶ C. Apud heb. aliter diſtinguitur hic locus, hoc ni-

hoc nimirum modo. Facientem præuaricationes odiui, nec adhæsit mihi, & hic est finis versus: deinde sequitur, Cor prauum recedet à me, malum nesciam, 70. iungunt nominatiuum cor, verbo adhæsit: & malum siue malignum, ad personam referunt Heb. etsi ad rem quoque referri posset. ¶ D. Domum, dicit ecclesiam: quod autem dicit eiusmodi est: Iniquus aut peccator non habitabit, id est, non permanebit semper in domo mea, Iuxta illud quod apud Iohannem dicit Christus. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non manet in domo Domini in æternum. Hîc autem, quàm diu in mortali versamur corpore, nõ habitamus, sed peregrinamur: in cælis autẽ habitaturi sumus. Porrò per eum qui superbiam facit, quemlibet peccatorẽ intelligere possumus. Superbia enim fons omnis peccati est iuxta illud Ecclesiastici: Initiũ omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, Quod autem sequitur: Non direxit in conspectu oculorum meorum. D. Hieron vertit ad hebraicam veritatem, Non placebit in conspectu oculorum meorum: est autem heb. verbum passiuum, quod si pũctis careat, vel actiuè vel passiuè accipi potest: hinc factum est, vt actiua sæpe loco passiuorum ponantur, vt hoc loco. ¶ E. Apud Heb. est verbum futuri temporis: vnde ad hebraicam veritatem ita vertit Hieron. Manè perdam omnes impios terræ. Quod de Christo verum est, qui in iudicio nouissimi diei, cùm manè illud æternitatis illuxerit, perdet omnes impios, quos in ignem æternum missurus est. Sic enim Aug. hunc enarrans psalmum: Quãdiu inquit inter tentationes sumus, nox est, in ista nocte parcit Deus peccatoribus, & tolerat in ciuitate sua, hoc est, in ecclesia catholica: modò parcit, tunc iudicabit. Quãdo iudicabit? cùm transierit nox: ideo dixit, In matutinis interficiebam omnes peccatores, hoc est, cùm dies venerit quam in spe habemus, quæ nobis in Christo esse debet.

Commen-

COMMENTARIORVM IN PSALMOS DAVIDICOS

LIBER TERTIVS.

A *Oratio pauperis cùm anxiaretur, & coram Domino effunderet precem suam.* *Psalmus CI.*

DOmine exaudi orationẽ meã, & clamor meus ad te veniat. Nõ auertas faciẽ tuã à me, in quacũq; die tribulor, inclina ad me aurẽ tuã. In quacũq; die inuocauero te, velociter exaudi me. Quia defecerunt sicut fumus B dies mei, et ossa mea sicut cremium C aruerũt. Percussus sum vt fœnũ et aruit cor meũ, quia oblitus sum comedere panem meum. A voce gemitus mei adhæsit os D meum carni meæ. Similis factus sum pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me aduersum me iurabant. Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam. A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans allisisti me. Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnum arui. Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem.

¶ A. Non quemlibet pauperem hoc loco intelligimus, sed illum, de quo dixit Apostolus cap. 8. 2. epistolæ ad Corinthios. Scitis gratiam Christi, qui propter vos pauper factus est, vt illius inopia, vos diuites efficeremini. Sic tamen psalmus hic Christo aptandus est, vt & membrorum siue mystici corporis, cuius ipse caput est, vocem hic sæpe inseri meminerimus. Quare personam agnoscas, inquit Augustinus, necubi erres, quando audieris aliquid quod coaptari capiti non possit. Si quid tale audieris, ex infirmitate corporis intelligas dici, & vocem membrorum agnoscas in capite. Qui enim peccata & infirmitates nostras tulit, pro ijsdem anxiatur, & orat his propitium fieri Deum patrem. ¶ B. Nihil enim humana vita velociùs & instabilius, quæ dum diuturna existimatur, statim abrumpitur non secùs atque globus ingens fumi, qui paulatim in breuissimo momento dispergitur & euanescit, eandem paulò infrà vmbris comparat dicens: Dies mei sicut vmbra declinauerunt. Nihil enim inanius & mobilius vmbra, nec est quod velociùs aboletur nocturnis horis iam transactis & oriente iam sole: hinc grauissimè D. Hieronymus, Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus, hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta notarij, tot meorum sunt damna temporum, hæc ille. ¶ C. Cremium à cremando deducta vox significat, id quod aut in sartagine, aut igni, vsq; ad siccitatem adustum & excoctum est: græca vox apud 70. interpretes est φρύγιον, quod significat frixum, à græco verbo φρυγίω, quod est frigo, hoc est, in sartagine torreo: vnde ad hebr. veritatem diuus Hieronymus: Et ossa mea quasi frixa contabuerunt. Diuus verò Aug. sic legit: Et ossa mea quasi in frixorio confrixa sunt, vult autem dicere peccatori, ex cuius persona hîc loquitur, omnem spẽ salutis perijsse, & omnes animę virtutes per lapsum primi parẽtis in nobis cõtabuisse & perijsse: vnde & fœno, quod æstu verberatur & arescit, se comparat. Hæc autem animæ sterilitas & omnis boni inopia hinc nobis nascitur, quòd negligimus comedere panẽ verbi Dei. ¶ D. Ossa dicit adhæsisse carni, id est, pelli suæ, idque à voce gemitus sui, hoc est, propter nimium gemitum se macruisse, adeò vt consumpta carne, sola pelle ossa tecta fuerint: videtur autem hyperboles speciem habere, quale illud; Vix ossibus hærent. Christus namq; peccata nostra

fleuit,& ob illa perpetuò gemuit & se macerauit. ¶ E. Tribus auium generibus, quæ apud homines contempta aut inuisa & inauspicata habentur,se assimilatum dicit: passeri,quo nihil est contéptius:Pelicano et Nycticoraci, quæ vel inuisa vulgò sunt,aut inauspicata habētur. Porrò Pelicanus (sic enim græcè scribitur per vnicum l) quænam auis sit,non satis liquet:nam huius apud Aristo.& Plinium nulla fit mentio, nisi fortè apud illos aliud nomen habeat.Nam D.Hieron.alio nomine Onacrotalum dici putat, quæ immerso in lutum rostro,rudoré asini imitatur : vnde à voce asini quam edit,nomen habet: putat autem duo esse eius genera, vnum in aquis degens,cuius esca pisces sunt: alterum in solitudinibus,serpentibus vescens : vtraque autem genera Iudæis interdicta erant,vtpote esui immunda, quiddam tamē peculiare eam habere dicit Aug. quòd occisos pullos sanguine suo , quem ex perfosso pectore elicit, viuificare dicitur. Quod autem 70.verterunt græcè Nycticoracem,& eos secutus Aquila & Theodotio, Symmachus vertit,vpupam.D.autem Hieron . ad Suniam & Fretellam scribens,dicit hebraicè sonare noctuam.Ad heb.autem veritatem vertit: Factus sum quasi bubo solitudinum:est autem & bubo ex noctuarum genere,quæ similiter Iudęis,vt immunda interdicta erant. His itaque Christus se assimilatum dicit, quòd à Iudæis contēneretur & abominationi illis esset: vnde alibi dixit, Tanquam prodigium factus sum multis.

¶ D. Is erat habitus lugentium, vt cinere se conspergerent,& in eo se volutarent, & cubarent,& cibaria cinere adspergerent: vnde illud Threnorū 3.Repleuit me amaritudinibus,inebriauit me absynthio, cibauit me cinere.

Tu exurgens misereberis Sion , quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Quoniam [E] placuerunt seruis tuis lapides eius, & terræ eius miserebuntur.Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam. Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua. Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram adspexit.Vt audiret gemitus cōpeditorum, vt solueret filios interemptorum. Vt annuncient in Sion nomen Domini,& laudem eius in Hierusalem. In conueniendo populos in vnum,& reges vt seruiant Domino.Respondit [F] ei in via virtutis suæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generatione & generationem anni tui. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarū sunt cæli. Ipsi peribunt [G], tu autem permanes,& omnes sicut vestimentum veterascent.Et sicut opertoriū mutabis eos & mutabūtur,tu autem idem ipse es: & anni tui non deficient.Filii seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum dirigetur.

¶ E. Non de inanimatis lapidibus, sed de viuis hæc accipienda sunt: Nec de hac terra quam pedibus calcamus,sed de ea,ad quam apud Hieremiā fit verbum Domini. Terra,terra,terra,audi verbum Dei.Quanquā græcè non sit terra,sed puluis,quomodo D.August.legit:sic enim habet, Agnoscamus lapides in Sion, agnoscamus puluerem in Sion.Ait enim:Quoniam beneplacitum habuerunt in lapides eius, & pulueris eius miserebuntur.Intellige itaq; lapides Sion,omnes patriarchas, prophetas, & iustos veteris testamenti:pulueris autem appellatione,peccatores intelliges: sic enim dictum est protoplasto vbi peccasset,Puluis es,& in puluerem reuertēris.Sed hic puluis qui vento raptari solet,accedente pluuia diuinæ gratiæ,in lutum cogitur, vnde lapides admoto igni coqui solent. Vel puluerem appellat propter multitudinem innumerabilem credentium:vnde illud Numeri 23.Quis dinumerare possit puluerem Iacob? aut nosse numerum stirpis Israēl? græca vox apud 70. est χοῦς, quod puluerem significat potiùs quàm

quàm terram. D. Hieron. ad hebraicam veritatem verbum miserebuntur vertit per nomē, hoc modo: Quoniā placitos fecerūt serui tui lapides eius & puluerē eius miserabilē: porrò seruos, angelos intellige. ¶ F. D.Hier.& recētiores interpretes verterunt hunc locum lōgè aliter quàm 70. hoc pacto: Afflixit in via fortitudinem meam, abbreuiauit dies meos, dicam, Deus meus ne rapias me in dimidio dierum meorum etc. quæ vel capiti, id est, Christo: vel membris, id est, nobis aptari possunt. Illius enim fortitudo afflicta est in via huius mortalis vitæ, cùm ex infirmitate carnis crucifixus est. Et martyrū virtus fatigata & afflicta est tormentis & persecutionibus. Quare optant celerem exitum, & finem malorū, ne ex medio veluti cursu, quò tēdunt, ad Brabeū ęternę vitæ reuocentur & remorentur. Septuaginta hunc sensum nobis expresserūt: Ecclesia quam appellatione Sion denotat, ingressa arctam illam viam mandatorum Dei, in hac via virtutis orat Deum, vt breuitatem vitæ sibi indicet, vt hac cognita, spe futuræ immortalitatis exhilaretur. Diuersitas translationum nata est ex ambiguitate verbi hebraici ענה Anah, quod significat, respondit, afflixit, humiliauit. ¶ C. Cælos perituros dicit iuxta qualitatem, non autem iuxta substantiam: vnde & beatus Petrus in posteriori epistola sua dicit, cælos ardentes soluendos, & eosdē magno impetu transituros, hoc est, priores qualitates & speciem abolendam, non secùs atque pallium inuerti solet, & nouam quandam faciem accipere. Quod autem interpres vertit, opertorium, D. Hieron. ad hebraicam veritatē vertit, pallium: græca vox est περιβόλαιον, quæ significat togam, siue pallium, & omne quod suprà nobis inijcimus aut circundamus. Quod autem vertit, mutabis, gręcè est ἑλίξεις, id est, circumrotabis, vertes, inuolues.

Psalmus [A] *ipsi Dauid.* *Psalmus CII.*

BEnedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones [B] eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatib⁹ tuis, q sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitā tuā, q coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desideriū tuum, renouabitur vt [C] aquilę iuuentus tua. Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriā patientibus. Notas fecit vias suas Moysi: filiis Israël volūtates suas. Miserator & misericors Dominus, lōganimis & multū misericors. Nō in perpetuum irascetur, neq; in æternū comminabitur. Nō secūdū peccata nostra fecit nobis, neq; secūdū iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniā secūdū altitudinē cęli à terra, corroborauit misericordiā suā super timētes se. Quātū distat ortus ab occidēte, lōgè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorū, misertus est Dn̄s timētibus se, quoniā ipse cognouit figmētū nostrū. Recordatus est quoniā puluis sum⁹, homo sicut fœnū dies ei⁹, tanq̄ flos agri sic efflorebit. Quoniā spirit⁹ [D] pertrāsibit in illo et nō subsistet, & nō cognoscet ampliùs locū suū. Misericordia autē Dn̄i ab æterno, & vsq; in ęternū super timētes eū. Et iustitia illius in filios filiorū his qui seruāt testamētū eius, & memores sunt mādatorū ipsius ad faciēdū ea. Dominus in cælo parauit sedē suā, & regnū ipsius omnibus dominabitur. Benedicite Dn̄o omnes angeli ei⁹: potētes virtute, faciētes verbū illi⁹, ad [E] audiēdā vocē sermonū ei⁹. Benedicite Dn̄o oēs virtutes [F] ei⁹, ministri ei⁹ qui facitis volūtatē eius. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.

¶ A. Psalmo hoc Dauid ex persona ecclesiæ gratias agit Deo de innumeris beneficijs, quę humano generi per Christū pręstitit: vnde totus psalmus hic eucharisticū cāticū est, hoc est, quo gratias alicui agimus. ¶ B. Nō dixit, dona vel beneficia, sed retributiones

butiones quæ ſine dubio ſunt,quoties res rebus compenſamus.Verùm Apoſtolus ſcribens Romanis,Quid inquit habes,quod non acceperis?Et quis prior dedit Deo, & retribuetur ei? Nihil enim Deo offerre poſſumus,quod non ſit muneris illius. Retributiones tamen dixit,quia peccatis & ſceleribus noſtris ignes,tormenta,& ſupplicia debebantur,pro quibus Deus retribuit bona,vt ibi abũdaret gratia, vbi abũdauerãt delicta:vnde per Eſaiã Dominus,Loquimini inquit ad cor Hieruſalẽ,& aduocate eã,quoniam dimiſſa eſt iniquitas illius,recepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. ¶ C. Aquilarum ſicut vires ſunt,præcipuè ita & earum eſt mira viuacitas, de quibus ita Plinius lib. 10.cap.3.Oppetũt inquit nõ ſenio, non ęgritudine,ſed fame, in tantum ſuperiore accreſcente roſtro,vt aduncitas aperiri non queat.Hactenus Plin. addit Aug.ſcribens in hunc pſalmum, aquilam collidere ad petram ſuperius roſtrum, quod propter aduncitatem edendi claudit aditum, & eo fracto aliud enaſci, & priſtinum redire illi vigorem,nitorem plumarum,et pennarum gubernacula,et ita exuta ſenectùte, iuuentam quandam illi reddi: quod ſine dubio in nobis quoque futurum eſt per reſurrectionem. ¶ D. Per ſpiritum,hoc loco alij humanum ſpiritum, id eſt,animam intelligunt:vt ibi,Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terram ſuam. Alij ventum ſignificare volunt hoc loco:nam πνεῦμα vtrũq; ſignificat gręcis,vt ſit metaphora ſumpta à floribus,quorũ folia et omnis pulchritudo tollitur flãte vehemẽtiori vẽto: tale eſt illud Eſa.40.Omnis caro fœnũ,& omnis gloria eius quaſi flos fœni,exſiccatũ eſt fœnũ, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Præcedens autem verſiculus hoc modo diſtinguendus eſt,vt comma ponatur poſt dies eius,non autem poſt fœnum, vt nominatiuus homo abſolutè ponatur vt relatiuo ſit locus: quam diſtinctionem Aug. & Hieron.quoque ſequuntur: alioqui dicẽdum erat,dies eius ſicut flos agri ſic efflorebunt. ¶ E. Heb.obedientes voci ſermonis eius: Septuaginta hunc dant ſenſum,Ad intelligẽdum ea quæ iuſſerit,vel vt obediatur ſermonibus eius.Nam angeli,id eſt,concionatores annunciant,vt alij obediant ſermonibus diuinis. ¶ F. Ne quis putet hoc loco habitus animæ,vt iuſtitiam,miſericordiam, aut ſapiẽtiam ſignificari,exponit quas vocauit virtutes:Miniſtri(inquit)eius:vnde hebraica veritas interprete Hiero.legit.Bedicite Domino omnes exercitus eius,græcè apud 70.eſt δυνάμεις.

A *Ipſi Dauid.* *Pſalmus CIII.*

BEnedic anima mea Domino, Domine Deus magnificatus es vehementer.Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.Extendens cælum ſicut B pellem,qui tegis aquis ſuperiora eius.Qui ponis nubẽ adſcenſum tuum, qui ambulas ſuper C pennas ventorum.Qui facis angelos tuos ſpiritus,& miniſtros tuos ignem vrentem D. Qui fundaſti terram E ſuper ſtabilitatem ſuam,non inclinabitur in ſeculum ſeculi.Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius,ſuper montes ſtabunt aquæ.Ab increpatione tua fugient,à voce tonitrui tui formidabunt.Adſcendunt montes,& deſcendunt campi in locum quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. Qui emittis fontes in cõuallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ.Potabunt omnes beſtiæ agri,expectabunt onagri in ſiti ſua. Super ea volucres cęli habitabũt,de medio petrarum dabũt vocem. Rigans montes de ſuperioribus F ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.Producens fœnum iumentis,& herbam ſeruituti hominum. Vt educas panem de terra,& vinum lætificet cor hominis. Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.Saturabuntur ligna campi,& cedri Libani quas plantauit:illic paſſeres nidificabunt.Herodii G domus dux eſt eorum, mõtes excelſi

excelsi ceruis, petra refugium herinaciis.

Diuisio.

¶ A. Apud hebræos psalmus hic anepigraphus est, verùm apud Septuaginta interpretes habet hanc inscriptionem. Ipsi Dauid in mundi genitura siue creatione. Iuxta literam enim tractat quanta potentia Deus mundum, id est, cælum & terram condiderit, & quanta prouidentia et sapientia gubernet. Verùm omnia hęc mysticè accipiéda esse, ex eo versu constare potest, Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Nam visibilia hæc olim creata sunt in mundi principio. Quare per Spiritus S. emissionem, optat renouari faciem cordium terrenorum, & ex carnalibus & peccatoribus spirituales & sanctos creari homines, hoc modo & cætera ad spiritualem intelligentiam referenda sunt. Totus itaq; psalmus hic mysticus est, docés quomodo per spiritum sanctum mundus sit regeneratus, & quanta Dei magnificentia sit declarata in cõstituéda ecclesia, quā firmauit aduersus omnes insultus malignorū spirituū, & violétiā terrenarum potestatum. ¶ B. Iuxta literam, Deus cælum extendit velut pellē, quia in modum tabernaculi illud tetendit: olim namq; ex pellibus tentoria fieri solebant: hinc apud latinos pelles aliquando pro tentorijs vsurpantur, sic lib. 2. Academicarum quæstionum Cicero, In ipso bello ita magna rei militaris occupatio esse solet, vt non multum Imperatori sub ipsis pellibus ocij relinquatur. Diuus Augustinus similitudinem pellis, hoc loco adhibitam putat ad significandam facilitatem, quòd nimirum Deus sine negocio cælum condiderit, & in immēsum extenderit tam facilè quàm nos pellem extēdimus. Mysticè autem per cælum, sacram scripturam interprete Aug. accipimus, quā Deus extendit vsq; ad fines orbis terræ, cùm antea angustis finibus Iudeæ clausa esset: vnde & regnum cælorum in euangelijs appellatur sacra scriptura: sic enim Christus apud Matthęum. Auferetur (inquit) à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius: pelli autem comparat, vel quia à Deo per mortales nobis tradita est, vel quia in pellibus & membranis scribimus. Quia autem propagata fide & Dei notitia, mysteria sacrarum literarum fidelibus aperta sunt, bene cælum extensum dicitur velut pellis siue membrana, quod denuo sublata fide complicabitur: vnde Apoc. 6. Ioannes loquens de nouissimis tēporibus, Et cælū inquit recessit sicut liber inuolutus.

¶ C. Vento per prosopopœiā quandā corpus & pennas tribuit, quòd vento nihil sit celerius: sic Ouid. 1 Metamorphos. Humidis Notus euolat alis. Christus itaq; ambulasse dicitur super pennas vētorum, quia fama illius celerior ventis penetrauit ad vltimos fines terræ: sic psal. 17. Volauit super pēnas vētorum, quod factum est adscendēte Christo per nubem ad cælos, quo tempore effudit vbertim dona Spiritus S. quæ per aquas intelligimus: his enim aquis texit superiora cælorum illorum, qui enarrant gloriam Dei. ¶ D. Non est græcè apud 70. ignem vrentem, sed flammam ignis, quomodo Apostolus citat hunc versiculum ad hebr. cap. primo. Et est hic sensus iuxta literam: Deus ex spiritibus facit angelos, id est, nuncios suos: nam angelus officij nomen est, non naturæ, & eosdem facit flammam ignis: nam in Rubo angelus in igne apparuit Mosi, similiter in monte Sina, & alijs locis scripturæ. Verùm iuxta spiritualem intellectum, Deus apostolos & precones verbi Dei, qui angelorum nomine sæpe appellantur, mortificata carne & illius concupiscentijs, facit spiritus, id est, spirituales homines, & eosdem facit ardentes igne amoris sui, vt aliorum corda inflamment & accendant velut flamma ignis. ¶ E. Terram, vocat ecclesiam, quæ fundata super firmissimam petram Christum, nunquam commouebitur, quanuis immensis aquis tribulationum vndiq; circundetur, & velut vestimento cingatur: adeò vt aquæ hæ supergredi videantur montes, hoc est, perfectissimos in ecclesia: nā increpante Deo & intonante per euangelium, minuuntur aquæ & cessant fluctus persecutionum, & denuò se extollunt montium cacumina: et campi, id est, humiles et minoris meriti in ecclesia fideles, suis locis restituuntur. Sicut autē per aquas, vt sæpe ante annotauimus, dona Spiritus sancti intelligimus in sacris literis, ita eadem dona, hoc loco fontes appellat, quos Deus emittit in conuallibus, quoties illis irrigat humilium corda: Hos fontes aperuit Christus, cùm septiformem Spiritus sancti gratiam cælitus misit. De his fontibus ita vaticinatus est Esaias cap. 12. Haurietis inquit aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Has aquas fontium, biberunt bestiæ agri, id est, fera corda gentium: & onagri, id est, potentes huius seculi: expectabunt, vel vt gręcè est προσδέξονται, id est, accipient in siti sua. Super ea autem, id est, super bestias & onagros: vel super eos (vt Augustinus legit,

legit, vt ad montes referatur: nam græcè est ambiguum)habitant animæ sublimioris meriti,quæ longè à terrenis fecibus ad cælestia se sustollunt. ¶ F. Clarius ad hebr. veritatem hunc versiculum transtulit Hiero. hoc modo: Qui irrigas montes de cœnaculis tuis.Nam grȩca vox ὑπερῷα,non significat simpliciter,superiora,sed tabulata,quȩ solaria vulgò appellamus cœnacula,et omnia loca editiora:docet itaq; Dauid de Christi plenitudine omnes accipere gratiam Spiritus sancti, tam montes quàm conualles, hoc est,tam perfectos quàm imperfectos: & illius benignitate omnes ali, tam iustos, quos hominis appellatione denotat,quàm peccatores,quos per iumēta significat,quòd peccatis seruiāt.Verùm hos fœno pascere,hoc est,rebus caducis & terrenis:illos autem pane illo & vino,quæ in carnem & sanguinem suum conuertit Christus,& exhilarare illos oleo,id est,vnctione sancti Spiritus,& his refici gentium ecclesiam, quam per cedros & ligna campi intelligit. ¶ G. Erodius auis ex ijs est, quas Romani Diomedȩas vocant.Theodorus in libris animalium Aristotelis,ardeolam vertit.Augu∫t.Fulicam quæ marina auis est.Suidas ciconiam esse putat, aut ciconiæ similē:& sic dictam, quòd in paludibus versatur,quasi Elodius:nam ἕλος græcè,paludem sonat latinè.Tria autem Erodiorum genera esse aiunt,qui de auium natura scripserunt,vnum albū,aliud stellatum,tertium nigrum quod & sæuissimum & sanguinarium est.D.autem Hieron. ad Suniam & Fretellam magìs probat Symmachi translationem, qui vertit ἰκτῖνον,id est,miluum,quæ similiter auis est rapacissima: per miluum itaq; vel Erodium non absurdè Paulum accipimus,ex persecutore factum apostolum,& ducem, & doctorē gentium, qui in Genesi quoque lupus rapax appellatur. Quod autem nostra exemplaria latina legunt, petra refugium herinacijs apud 70. legitur τοῖς λαγωοῖς, id est, leporibus. Omnes autem reliqui interpretes,vt annotat Diuus Hieronymus, verterunt per χοιρογρύλλιον,quod Echinum terrestrem significat, qui vndique spinis obsitus,in petrarum aut terræ cauernis nidificat: significat autem mysticè eos,qui sibi metuunt ob vitium infirmitatem humi in tutis latebris se continere,cùm cerui, id est,perfectiores cȩlestia contemplentur: de ceruorum autem natura alibi dictum est à nobis, quo pacto serpentes interficiant.

fecit H lunam in tempora,sol cognouit occasum suum. Posuisti tenebras & facta est nox,in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes,vt rapiant & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol,& congregati sunt,& in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Quàm magnificata sunt opera tua Domine,omnia in sapientia fecisti,impleta est terra possessione tua.Hoc mare magnum & spaciosum I manibus, illic reptilia, quorū nō est numerus.Animalia pusilla cum magnis, illic naues pertransibunt.Draco iste quem formasti ad illudendum ei,omnia à te expectant,vt des illis escam in tempore. Dante te illis colligent,aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient,& in puluerem suum reuertentur.Emitte spiritum tuum & creabuntur,& renouabis faciem terræ.Sit gloria Domini in seculum,lætabitur Dominus in operibus suis.Qui respicit terram & facit eam tremere, qui tangit montes K et fumigāt.Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quàm diu sum.Iucundum sit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino.Deficiant peccatores à terra & iniqui vt non sint: benedic anima mea Domino.

¶ H. Iuxta literam,lunam fecit Deus in tempora(sic enim legendum est:nam grȩcè est accusatiuus) quia ad hoc creauit eam, vt incrementis & diminutionibus suis menses nobis faceret,& tempora distingueret:vnde Ecclesiastici 43. de luna sic scribitur:Luna

tur:Luna ostensi temporis & signum æui, à luna signum diei festi,& Genesis 1.Moses de sole & luna loquens,Dixit autem Deus,inquit, Fiant luminaria in firmamento cæli,& diuidāt diem & noctem,& sint in signa & tempora, & dies & annos. Mysticè autem Deus fecit lunam,hoc est,condidit ecclesiā,quæ iam augetur numero, iam minuitur,& mutationibus varijs obnoxia est,sed ad certa tēpora,donec Christo cōiuncta fulgeat tanquam sol in regno patris sui,& impleatur Esaiæ vaticiniū illud, Et erit lux lunę sicut lux solis,et luna tua vltrà nō minuetur.Et verus ille sol iustitiæ Christus,cognouit quādo & quibus modò occidat,modò oriatur.Quoties autē ille nobis occidit, horrēdæ tenebrę & metuēda nox animos nostros occupat,in qua dęmonibus,qui per rugientes leonum catulos intelligūtur,præda sumus:oriente autē denuò nobis interna luce,protinus fugātur,& in suis latebris occulūtur,& homo operatur vsq; ad vesperā, id est,finē vitæ. ¶ I. In emēdatis exēplarib⁹ latinis nō additur hoc loco ablatiu⁹,manibus,quē nec Aug.legit,nec gręcè est apud 70.apud quos est vox gręca εὐρύχωρος,deducta ab εὐρύς,quod est spaciosus aut latus et χῶρα locus,quasi dicas,mare spaciosis locis aut finibus:per mare autē,intelligit turbulentū hūc mūdū,in quo tot animarū naufragia fiūt per dęmones insidiātes nobis,quos per reptilia pusilla et magna intelligit,et in quo dominatur serpens ille antiquus,quē magnū draconē hoc loco vocat,quē Deus in hoc mūdo dominari sinit,vt illudatur à pijs, qui fide illū vincūt,& tutò pertrāseunt periculosum hoc mare,Spiritu S.gubernante eos,non secùs atq; naues, quæ per fluctus tutò in portum se recipiunt prosperis ventis impulsæ. ¶ K. Montes,hoc loco dæmones propter superbiam accipimus,qui tametsi potentissimi sunt, diuino tamen imperio subsunt,& Deo pœnas dant,iam flagrare incipiētes perpetuis illis ignibus,quibus destinati sunt:nam fumo flamma proxima est,quæ nihil aliud est quàm fumus ardens: vnde metuentes sibi in euangelio legimus illos exclamasse: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei,cur venis ante tempus torquere nos?Sic per terrā,terrenos homines intellige,quos solo nutu & adspectu Deus tremore concutit.

Alleluia. Psalmus CIIII.

CONfitemini Domino & inuocate nomen eius,annunciate inter gētes opera ei⁹.Cātate ei & psallite ei, narrate omnia mirabilia ei⁹. Laudamini [B] in nomine sancto eius: lętetur cor quęrētiū Dominum. Quęrite Dominum & cōfirmamini, quęrite faciem eius semper.Mementote mirabilium eius quę fecit,prodigia eius et iudicia oris eius.Semē Abraham serui eius,filii Iacob electi eius.Ipse Dominus Deus noster,in vniuersa terra iudicia eius.Memor fuit in seculū [C] testamēti sui, verbi,quod mandauit in mille generationes.Quod disposuit ad Abraham, & iuramēti sui ad Isaac.Et statuit illud Iacob in pręceptum,et Israël in testamentum ęternum.Dicens tibi dabo terram Chanaam, funiculū hęreditatis vestrę. Cùm essent numero breui, paucissimi, & incolæ [D] eius.Et pertransierunt de gente in gentem,et de regno ad populum alterū.Non reliquit hominem nocere eis,et corripuit pro eis [E] reges. Nolite tāgere christos meos,et in prophetis meis nolite malignari. Et vocauit famem super terram,& omne firmamentum panis contriuit. Misit ante eos virum,in seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius,ferrum pertransiit [F] animā eius,donec veniret verbum eius.Eloquium Domini inflammauit eum, misit rex & soluit eum,princeps populorum & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus suæ,& principem omnis possessionis suæ. Vt erudiret principes sicut seipsum,& senes eius prudentiam doceret.

Quid de hoc psalmo sentiendum sit, dictū est à nobis in argumēto psalmi 77. Nam sicut ille texit historiā veterē, quomodo Deus populū Israëliticum eduxit de Ægypto

per miranda quędã prodigia,& legem illis per Mosen tradidit,& 40.annos in deserto pauit,ita & hic psalmus 104. eadem ferè cōplectitur,altiùs paulò exorsus historiā libri Geneseos:quo pacto Deus Abrahā Isaac & Iacob elegit, & pactum cum illis ferijt de tradēda terra Chanaan in possessionē sempiternam. Sicut igitur eo loco admonuimus omnia mysticè referenda esse ad veros filios Israël & spirituale semen Abraham, ita & hoc loco vniuersa in hoc psalmo dicta,ad ecclesiam referemus, quam Deus per validam manum educit ex tenebris huius seculi in cælestē patriam, quæ verè promissionis terra est melle & lacte fluens.Quoniā itaq; immensa Dei beneficia per Christū nobis prę̄stita recenset, ad gratiarum actiones & diuinas laudes nos inuitat.Septuaginta interpretes huic psalmo & duobus sequentibus, idem ferè argumentum tractantibus, titulum fecerunt Halleluia,quod latinè est, laudate Dominum. ¶ B. Hoc est interprete Aug. ne velit quisq; de opere bono, tanquā in sua virtute laudari.Ideo cùm dixisset laudamini,quod vtiq; benè operantes meritò possunt,addidit,In nomine sancto eius,vt qui gloriatur in Domino, glorietur:vnde suprà dixit, In Domino laudabitur anima mea, quanquam hebraicè sit interprete Hiero.Exultate in nomine sancto eius.

¶ C. Testamentū hoc loco, vt alias sępe dictū est,pro pacto siue fœdere accipitur: vnde heb.veritas interprete Hier.habet,Recordatus est in æternum pacti sui. Idē vocat verbum siue potiùs sermonem:nam λόγοσ est græcè,paulò infrà vocat iuramētum: quia cùm Deus hoc fœdus pepigit cum Abraham,iuramentum addidit: sic enim legimus Genes.22.Per memetipsum iuraui,dicit Dominus,quia fecisti hanc rem & nō pepercisti filio tuo vnigenito,benedicam tibi,& multiplicabo semē tuū sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris, possidebit semen tuū portas inimicorū suorū,& benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ:huius fœderis siue pacti mentio fit Genes. 17. Statuam inquit Deus pactum meum inter me & te, & inter semē tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, daboq; tibi & semini tuo omnē terram Chanaan in possessionē ęternā.Et tu ergo custodies pactū meū,hoc est,pactū meū quod obseruabitis inter me & vos. Circuncidetis carnē præputij vestri etc. Eritq; pactū meū in carne vestra,in fœdus æternū. Quoniā itaq; circūcisio præcepta est filijs Israël:ideò dicit,Et statuit illud Iacob in pręceptum,hoc est,vt vim legis & pręcepti haberet.Ne autem Iudæi ad suam gētem tantùm hoc pactum pertinere putarent,addit: Verbi quod mādauit in mille generationes. ¶ D. D.Aug.legit rectiùs quàm nostra latina exemplaria,hoc modo, paucissimi & incolę in ea, vt ad terram Chanaan referatur, & ita est græcè ἐν αὐτῇ. Similiter hebr. veritas: Cùm essent viri pauci, modici & aduenæ in ea: de gente autem pertransierunt ad gentem, & de regno ad populum alterum. Quia Abraham relicta Chaldæa, peregrinatus est apud Chananæos, & iterū relicta Palestina siue terra Chanaā,peregrinatus est apud Ægyptios: similiter Iacob patriarcha. ¶ E. Pharaonē intelligit regē Ægypti,& Abimelech regē Gerarę,quorum vterq; tulit Sarā vxorē Abrahę sibi in vxorē,credētes eā sororē eius esse, qui plagis & minis territi restituerūt illi vxorē,vt habes Gen.12.& 20.cap.Christos autem,appellat eos,quia donum prophetiæ habuerunt: dona autem Spiritus S. vnctionis & olei appellatione significantur. Qui igitur ea habent,vncti latinè,& Christi gręcè appellantur. Vnicus autem Dei filius,per Exochen,id est,excellentiam Christus dicitur,quia vnctus est oleo hoc lætitiæ præ participibus suis: quo nomine & reges appellabantur, quia corporali oleo inungebantur. Sic Sal.Christus Domini sæpe appellatus est.

¶ F. Per ferrum,D.August.duram tribulationem necessitatis intelligit,vt sit simile illi euangelico:Tuam ipsius animam pertransibit gladius: ferrum enim pro gladio aut pugione vsurpari notissimum est. Sed hebraica veritas paulò aliter legit hunc versiculum hoc modo: Afflixerunt in compede pedes eius, in ferrum venit anima eius, vt sensus sit,illum vitam egisse in vinculis ferreis, cùm in carcerem esset coniectus propter falsum crimen stupri. Quod autem sequitur, Eloquium Domini inflammauit eum, Diuus Hieronymus vertit: Eloquium Domini probauit eum, vt sensus sit,ipsum Ioseph verum vatem probatum fuisse ex coniectura somnij regij, & ob id è carcere reuocatum, & ad regnum euectum. Nam græcè est verbum πυρόω, quod alibi vertit,per ignem probare.

Et intrauit Israël in AEgyptum,& Iacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populum suū vehementer,& firmauit eum super inimicos eius. Conuer-

Conuertit cor eorum vt odirēt populum eius, & dolū facerēt in seruos eius. Misit Mosen seruū suum, Aaron quē elegit [G] ipsum. Posuit in eis verba signorum suorū, & prodigiorū in terra Cham. Misit tenebras et obscurauit: & non exacerbauit sermones eius. Conuertit aquas eorum in sanguinē, & occidit pisces eorum. Edidit terra eorum ranas in penetrabilibus regum ipsorum. Dixit, & venit cynomyia & ciniphes, in omnibus finibus eorum. Posuit pluuias eorū grandinem, ignem comburentē in terra ipsorum. Et percussit vineas eorū & ficulneas eorū, & cōtriuit omne lignū finiū eorū. Dixit & venit locusta & bruchus, cuius non erat numerus. Et comedit omne fœnū in terra eorū, & comedit omnē fructum terrę eorum. Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorū. Et eduxit eos cum argēto et auro & non erat in tribubus eorū infirmus. Lætata est AEgyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorū super eos. Expādit nubem in protectionē eorū, & ignem vt luceret eis per noctē. Petierunt & venit coturnix, et pane cęli saturauit eos. Dirupit petrā et fluxerūt aquę, abierunt in sicco flumina. Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abrahā puerū suum [H]. Et eduxit populū suum in exultatione, & electos suos in lætitia. Et dedit illis regiones gētiū, & labores populorū possederunt. Vt custodiāt iustificationes eius, et legē eius exquirāt.

¶ G. Non est græcè apud 70. Aaron quem elegit ipsum, sed quem elegit sibiipsi, ὃν ἐξελέξατο ἑαυτῷ. Similiter legit ad heb. veritat. D. Hier. Aaron quem elegit sibi. Quod autem sequitur, verba signorū & prodigiorū, D. Aug. vult hoc sensu dictum. Quòd ipsa prodigia et signa, quæ edidit coram Pharaone Moses & Aaron, nō caruerunt significatione altioris mysterij, quia omnia in figuris cōtigerunt patribus veteris testamenti. Vt enim nobis verba sunt notæ rerum significatarum, ita hæc signa & prodigia fuerūt figuræ rerum, quæ hodie in rei veritate geruntur apud illos, qui Deo repugnant & veritati resistūt. Quāquā simpliciter verba hoc loco, vt sæpe aliàs, pro ipsis factis vsurpentur: vel verba signorum, vocat mādata faciendi signa & prodigia. ¶ H. Quia in hoc psalmo nulla fit mentio irę diuinæ aut præuaricationis & exacerbationis populi Israëlitici, vt psalmo sequenti & psalmo 77. constat psalmum hunc mysticè referri ad spiritualie semen Abrahæ, & ad veros filios Israël secundum spiritum, non autem secundum carnalem propagationem, vt bene annotat D. Aug. Cùm enim Paulus scribens Corint. dicat. Non in omnibus fuisse beneplacitum Deo, profectò quosdam esse in quibus beneplacitum sit Deo significat, quales psalmus iste commendat. Sed quia & peccatoribus non sola iustitia Dei apparuit, verùm etiam misericordia & clementia Dei omnipotentis, de illis sequens psalmus loquitur, non sine Dei laudibus.

Alleluia. Psalmus CV.

COnfitemini [A] Domino quoniā bonus, quoniā in seculum misericordia eius. Quis loquetur potētias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? Beati qui custodiunt iudiciū, & faciunt iustitiā in omni tempore. Memento [B] nostri Domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lętādum in lętitia gētis tuę, vt lauderis cum hęreditate tua. Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus. Patres nostri in AEgypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memo-

rēs multitudinis misericordię tuæ. Et irritauerunt adscēdētes in mare, mare rubrū. Et saluauit eos propter nomen suū, vt notā faceret potētiā suā. Et increpuit mare rubrū et exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto. Et saluauit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulātes eos, vn⁹ ex eis nō remāsit. Et crediderūt verbis eius, & laudauerunt laudem eius. Citò fecerūt, obliti sunt operū eius, et nō sustinuerūt consilium eius. Et cōcupierunt cōcupiscētiā in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso. Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum. Et irritauerunt Mosen in castris, Aaron sanctum Domini.

A. Ex persona eorū qui peccauerūt et ingrati fuerūt Dei beneficijs, imitātes peccata & impietatē patrū suorū, psalmus hic canitur. Inuitat itaq; propheta omnes pœnitētes in populo Israëlitico ad gratiarū actionē & diuinas laudes, optās vt participes fiāt gratiæ euāgelicæ, quā cōferedā videbat populo christiano, qui Dei populus factus est, postq̄ Israël hāc salutē repulit: fit igitur crebra mētio iræ diuinę, & exacerbationis & irritationis, quibus irritauit Deū Iudaicus populus, et ob id pulsus suis sedib⁹, in omnes gētes dispersus est, cōgregādus iterū suo tēpore, et ad verā fidē reuocādus: vnde in fine psalmi orat: Saluos nos fac Domine Deus noster, & cōgrega nos de nationibus. ¶ B. Nouū populū ex gētibus cōgregatū, id est, Christianū, hoc loco Dei populū appellat: eūdē, vocat gētē Dei et hęreditatē Dei, iuxta illud, Dabo tibi gētes hęreditatē tuā: orat itaq; Dauid ex persona populi Iudaici iā reiecti propter perfidiā et cęcitatē, vt eodē beneplacito quo gētes vocauit, etiā vocare dignetur Iudęos, et eos visitet eadē salute euāgelica qua gētes visitauit, vt qui etiānū cęcus est, iā videat, qua benignitate cōplectatur electos suos Deus, & lętetur cum Christiano populo de cōmuni salute, vt sic etiā laudetur Deus à Iudęis, sicut nūc in ecclesia laudatur à gētibus quæ illius hęreditas est. Non legimus inquit Aug. vllā, qua increpauit mare, emissam cælitus vocē: sed potētiā diuinā, qua id factū est, increpationē appellauit. Nisi fortè quis dicat latēter increpatū, sic vt aqua possit audire & homines nō possent. Valde enim abstrusa & occulta vis est qua Deus agit, vt etiā illa quæ sensu caret, cōfestim eius obtēperēt volūtati. ¶ C. Nō est græcè, citò fecerūt, sed gręcū verbū ἐτάχυναν, quod significat accelerauerūt: vel vt Aug. legēdū putat, festinauerūt: est enim verbū neutrū, quod idē Aug. ita interpretatur vt sensus sit, Ipsi festinauerūt beati fieri corporalibus rebus, quę ideo nemini cōferūt verā fœlicitatē, quia nō extinguunt insatiabilē cupiditatem, Deus autem vocabat eos ad æterna & cælestia bona, quę per patiētiā expectāda esse sacræ literæ docent: vnde benè subijcitur, Nō sustinuerunt consilium eius. Sciendū tamē hebraicè non esse verbum, sed aduerbiū: vnde D. Hier. vertit ad Sophroniū scribens. Citò obliti sunt operum eius, & non expectauerunt voluntatem eius.

Aperta [D] est terra & deglutiuit Dathā, & operuit super cōgregationem Abiron. Et exarsit ignis in synagoga eorum, flāma cōbussit peccatores. Et fecerunt vitulum in Coreb [E], & adorauerunt sculptile. Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedētis fœnum. Obliti sunt Deum qui saluauit eos, qui fecit magnalia magna in AEgypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Et dixit vt disperderet eos, si nō Moses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Vt auerteret iram eius ne disperderet eos, & pro nihilo habuerunt terrā desiderabilem. Non crediderunt verbo eius, et murmurauerunt in tabernaculis suis, non exaudierunt vocē Domini. Et eleuauit manum suā super ipsos, vt prosterneret eos in deserto. Et vt deiiceret semē eorū in nationib⁹, et disp̄deret eos in regionib⁹. Et initiati sunt [F] Beel-phegor, &

gor,et comederunt sacrificia mortuorum. Et irritauerunt eum in adinuétionib⁹ suis,et multiplicata est in eis ruina. Et stetit Phinees G ,et placauit,& cessauit quassatio. Et reputatum est ei ad iustitiã, in generationem & generationem vsq; in sempiternum. Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis,& vexatus est Moses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius.

¶ D. Chore, Dathan & Abiron fuerunt authores seditionis aduersum Mosen & Aaron,adiunctis sibi ducentis quinquaginta viris principibus synagogæ. Porrò tres illi hiatu terræ absorpti sunt. Dirupta enim terra in vltionem huius seditionis & aperiens os suum,deuorauit illos cum tabernaculis suis,& vniuersa substantia eorum, descéderuntq; viui in infernum operti humo, vt scribitur Num. 16. cap. Ducenti autem illi & quinquaginta proceres synagogæ cælitus igni misso exusti sunt, cùm arreptis thuribulis incensum offerre præsumerent:grassatũ est præterea incendium hoc in reliquam multitudinem murmurantem aduersus Mosen & Aaron, & mortui sunt quatuordecim milia hominũ & septingenti absq; his qui perierunt in seditione Core. Præpositio autem,super,apud latinos:& græca præpositio,ἐπί,apud 70. abundat hoc loco. Quare ad hebraicam verit. Hier. Et operuit synagogã Abiron. ¶ E. Horeb,siue Choreb,vt 70.& hebręi scribunt,montana regio est contermina monti Sinai:nam mons Choreb et mons Sinai in eodem tractu siti sunt. Hic filij Israël fabricarunt vitulũ aureũ,et eum adorauerunt, cùm Moses 40.dies moraretur in monte Sinai, accepturus tabulas legis à Domino. ¶ F. Beel-phegor,idolum erat Moabitarum, cui cõsecratus est populus Israël:sic enim legimus Num.25.Fornicatus est populus cum filiabus Moab,quę vocauerũt eos ad sacrificia sua:at illi comederunt et adorauerunt deos earum,initiatusq; est Israël Beel-phegor, & iratus Dominus ait ad Mosen,Tolle cũctos principes populi, & suspende illos contra solẽ in patibulis,vt auertatur furor meus ab Israël, & dixit Moses, occidat vnusquisq; proximos suos,qui initiati sunt Beel-phegor, et occisa sunt vigintiquatuor milia hominum. ¶ G. Phinees,filius fuit Eleazari filij Aaron, is cùm videret vnum de filijs Israël coram populo vidente Mose & omni turba filiorum Israël,qui flebant ad ostium tabernaculi,ingredi ad meretricem Madianitidem,surrexit, & arrepto pugione ingressus in lupanar post virum Israëlitem, perfodit vtrumque & virum & scortum in locis genitalibus, qua vltione placauit Dominum & meruit hoc zelo ius perpetui sacerdotii vt scribitur Numeri 25. capite. Quod autem 70. verterunt, placauit, D. Hieron. ad hebr. veritatem vertit, dijudicauit, id est, vltus est siue pœnas sumpsit de scortatore illo,qua vindicta placauit Deum.

Et distinxit in labiis suis,nõ disperdiderũt gẽtes quas dixit Dominus illis. Et cõmixti sunt inter gentes,& didicerunt opera eorũ:& seruierunt sculptilibus eorũ,& factũ est illis in scãdalũ. Et immolauerũt filios suos, & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinẽ innocentẽ, sanguinem filiorũ suorũ et filiarũ suarũ,quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan. Et infecta H est terra in sanguinibus,& contaminata est in operibus eorum,& fornicati sunt in adinuentionibus suis. Et iratus est furore Dominus in populum suum,& abominatus est hęreditatem suã. Et tradidit eos in manus gẽtium,& dominati sunt eorum qui oderunt eos. Et tribulauerũt eos inimici eorum,et humiliati sunt sub manibus eorum, sępe liberauit eos. Ipsi autem exacerbauerũt eũ in cõsilio suo,et humiliati sunt in iniquitatibus suis. Et vidit cùm tribularentur, & audiuit orationẽ eorum. Et memor fuit testamẽtum sui,& pœnituit eũ secundum multitudinẽ misericordię suę. Et dedit eos in misericordias,in cõspectu omniũ qui cœperãt eos. Saluos nos fac Domine Deus noster,et cõgre-

ga nos de nationibus. Vt cõfiteamur nomini ſancto tuo, et gloriemur in laude tua. Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſeculo, & vſq; in ſeculum, & dicet omnis populus, fiat, fiat.

¶ H. Interfecta nõ infecta eſt terra, hoc loco legẽdũ eſt. Nam omnia græca exẽplaria conſtãter habẽt ἐφονοκτονήθη, id eſt, occiſa vel interfecta eſt, quomodo D. Aug. legit quã lectionẽ idem his verbis confirmat: Putaremus inquit ſcriptoris errorẽ eſſe, & pro eo quod eſt infecta, feciſſe interfecta, niſi haberem⁹ beneficiũ Dei, qui ſcripturas ſuas in linguis multis eſſe voluit, atq; ita eſſe ſcriptũ. Interfecta eſt terra in ſanguinibus, inſpectis græcis codicibus videremus: hæc Aug. qui terrã, pro habitatorib⁹ figuratè accipi hoc loco vult: quod tamẽ nõ eſt neceſſe. Nã terra propter peccata populi inhabitãtis, maledictionĩ obnoxia facta eſt, vt ſterileſceret, et prorſus effœta et quaſi mortua fieret nullos pariẽs fruct⁹: vnde Eſa. 24. Infirmata eſt altitudo populi terræ, et terra ĩterfecta eſt ab habitatorib⁹ ſuis, qa trãſgreſſi ſunt leges, propter hoc maledictio vocabit terrã: vnde mirũ eſt D. Hier. hoc loco iuxta heb. verit. vertiſſe p infecta eſt, cũ apud Eſa. cap. iã allegato verterit, interfecta: eſt autẽ idẽ verbũ vtrobiq; apud hebr. vatehenaph, niſi mẽdũ librarij ſit.

A *Alleluia* *Pſalmus* CVI.

CONfitemini Domino quoniã bonus, quoniã in ſeculũ miſericordia eius. Dicãt qui redẽpti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici, de regionib⁹ cõgregauit eos. A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Errauerunt in ſolitudine B in inaquoſo: viam ciuitatis habitionis nõ inuenerũt. Eſuriẽtes et ſitiẽtes, anima eorũ in ipſis defecit. Et clamauerunt ad Dominũ, et de neceſſitatibus eorũ eripuit eos. Et deduxit eos in viã rectã, vt irẽt in ciuitatẽ habitationis C. Cõfiteãtur Dño miſericordiæ eius, et mirabilia ei⁹ filiis hominũ. Quia ſatiauit animã inanẽ, et animã eſuriẽtẽ ſatiauit bonis. Sedẽtes in tenebris et vmbra mortis, vinctos in mẽdicitate et ferro. Quia exacerbauerunt eloquia Dei, et cõſiliũ altiſſimi irritauerũt. Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum, et infirmati ſunt, nec fuit q adiuuaret. Et clamauerunt ad Dominũ cùm tribularẽtur, & de neceſſitatibus eorũ liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorũ diſrupit. Confiteãtur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominũ. Quia cõtriuit D portas æreas, et vectes ferreos cõfregit. Suſcepit eos de via iniquitatis eorũ, propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. Omnẽ eſcã abominata eſt aĩa eorũ, et appropinquauerũt vſq; ad portas mortis. Et clamauerũt ad Dominũ cùm tribularẽtur, et de neceſſitatibus eorũ liberauit eos. Miſit verbũ ſuũ et ſanauit eos, & eripuit eos de interitionib⁹ eorũ. Cõfiteãtur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Et ſacrificẽt ſacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione.

A. Sicut in præcedẽti pſalmo Iudæos pœnitẽtes, ad laudandũ & gratias Deo agẽdas inuitauit propheta, ita hoc pſal. Chriſtianũ populũ à Chriſto mirabiliter redẽptũ, ad diuinas laudes adhortatur: vnde et hic titulus eſt, Alleluia. Quod autẽ de nobis, hoc eſt, de gẽtiũ eccleſia ſit intelligẽdus hic pſalmus, nõ autẽ de ſynagoga, ex eo verſiculo liquet: De regionibus congregauit eos à ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone & mari. Nam Iudæi ex vna tãtùm regione Ægypti quæ ad occaſum vergebat, Paleſtinis, cõgregati ſunt. At gẽtiũ eccleſia ex omnib⁹ finib⁹ mũdi cõgregata & vocata eſt ad fidẽ Chriſti. Cùm enim in pphetis tres vel quatuor mũdi climata notãtur, gẽtiũ eccleſia ſine dubio ſignificatur, ſic Eſa. 49. Ecce iſti de lõgè veniẽt, ecce illi ab aqlone et mari, et iſti de terra auſtrali. Et iterũ apud eũdẽ cap. 43. Ab oriẽte adducã ſemẽ tuũ, & ab occidẽte cõgregabo te, dicã aquiloni da, & auſtro noli phibere. Affer filios meos de lõginquo, & filias meas ab extremis

tremis terræ. Quotiescũq; autẽ in topographijs sacrarũ literarũ mare nominatur, vt in Exod. & lib. Nu. & alijs locis plurimis, semper mare occidẽtale & occidẽs significatur. Quare hoc loco per mare & occasum, idem mundi clima videlicet occidens significatur. ¶ B. Solitudinem & inaquosum siue siccitatem vt Aug. legit (nam græcè est ἄνυδρον, id est, aquis carens) appellat mundum hunc propter sterilitatem virtutum & inopiam gratiæ Dei, quæ per aquas sæpe notatur. Ciuitatem autẽ habitationis, vocat ecclesiã quam Dominus apud Matthæum appellat, ciuitatẽ positam in mõte. Cùm enim gẽtes per errorum diuerticula vagarẽtur, per Christi euangeliũ in rectã viam salutis deducti sunt: nam extra ecclesiã nulla salus est. ¶ C. Septuaginta hũc sensum expresserunt nobis huius versiculi: Misericordiæ Domini confiteantur Domino, id est, laudent Dominũ, & mirabilia eius filijs hominũ. s. exhibita, confiteantur Domino. Verùm ad hebraicã veritatẽ Hier. aliter reddidit hũc versiculũ hoc modo: Cõfiteãtur Domino misericordias eius, & mirabilia eius in filios hominũ: vt sensus sit, Cõfitendo laudent misericordias eius, & mirabilia eius erga filios hominũ. Idem sensus ex græca lectione 70. interpretũ accipi potest: nam τὰ ἐλέη, cùm sit plurale neutri generis, significat idem quod misericordiæ vel misericordias: potest enim vel nominatiuus vel accusatiuus esse. Repetitur autem sæpius versiculus hic, quales apud Poetas intercalares vocantur, vt ille apud Virg. Ducite ab vrbe domũ mea carmina, ducite Daphnim: & ille apud Catullum: Hymen ô hymenæe hymen ades ô hymenæe.

Qui D descẽdunt mare in nauibus, facientes operationẽ in aquis multis. Ipsi viderũt opera Dñi, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus eius. Adscendũt vsq; ad cælos, & descendunt vsq; in abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & oĩs sapientia eorũ deuorata est. Et clamauerũt ad Dominũ cùm tribularentur: & de necessitatibus eorum eduxit eos. Et statuit E procellas in aurã, & siluerunt fluctus eius. Et lętati sunt quia siluerũt, & deduxit eos in portũ voluntatis eorum. Confiteãtur Dño misericordiæ eius, et mirabilia eius filiis hominũ. Et exaltent eum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudẽt eum. Posuit flumina F in desertum, & exitus aquarũ in sitim. Terrã fructiferã in salsuginem, à malitia inhabitãtiũ in ea. Posuit desertũ in stagna aquarum, et terrã sine aqua in exitus aquarũ. Et collocauit illic esurientes, & cõstituerunt ciuitatẽ habitationis. Et seminauerunt agros & plantauerunt vineas, et fecerũt fructũ natiuitatis. Et benedixit eis et multiplicati sunt nimis, et iumenta eorum non minorauit. Et pauci facti sunt, et vexati sunt à tribulatione malorum et dolore. Effusa G est contentio super principes, et errare fecit eos in inuio et non in via. Et adiuuit pauperem de inopia et posuit sicut oues familias. Videbunt recti et lætabuntur, et omnis iniquitas eorum oppilabit os suum. Quis sapiẽs & custodiet hæc, et intelliget misericordias Domini

¶ D. Per mare vt sæpe aliàs, turbulentũ hoc & plenũ tempestatũ & naufragiorum, intelligim⁹ seculũ: per naues autẽ, allegoricè ecclesias, quæ licèt plures sint, vnam tamẽ efficiũt catholicã ecclesiam, quam arca illa Noë figurabat. Vt enim naues tutò per fluctus natãt, & vento impelluntur, & à gubernatore clauum regẽte dirigũtur in portum, ita & ecclesia beneficio ligni crucis per vndosum huius seculi mare afflante Spiritu sancto & Christo gubernante, peruenit in portum æternæ salutis, quem quia omnes optamus, infrà vocat portum voluntatis nostræ. Proceres ergo & præfecti ecclesiarum, quibus hoc à Deo officium datum est, vt operentur in hoc mundo, studentes huic vni rei, vt talenta sibi commissa augeant lucro animarum, illi vident quàm mirabiliter Deus suos regat, & defendat inter fluctus persecutionum huius seculi, qui

adęò intumeſcunt ſæpe vt cælos contingere videantur,hoc eſt ſanctiſsimos etiã elidere,iuſſu tamen Dei in abyſſum vſque iterum deprimũtur,vt maxima illa tempeſtas in ſummam vertatur tranquillitatem quam appellat auram , quæ propriè eſt ventus leuior : vnde pro ſerenitate ponitur. ¶ E. Græca exemplaria hoc loco addunt aliqua verba, nimirum hæc καὶ ἐπέταξε τῇ καταιγίδι,hoc eſt, imperauit procellæ , vt ſit ſimile illi euangelico : Ieſus imperauit vẽtis,& facta eſt tranquillitas magna, vt hic verſiculus opponatur ei qui præceſsit,Dixit,& ſtetit ſpiritus procellæ,& exaltati ſunt fluctus eius,vbi græcum verbum ἔστη quod interpres noſter vertit , ſtetit,rectiùs vertiſſet per verbum,ſurrexit,vt heb.veritas,quæ ſic vertit . Dixit,& ſurrexit ventus tempeſtatis, & eleuauit fluctus eius,vt ſignificet propheta,permiſsione diuina excitari perſecutiones in eccleſia,& iuſſu eiuſdem illas comprimi & ſedari.

¶ F. Ab hoc loco vſque ad finem pſalmi,D.Hieron.iuxta heb. veritatem omnia verba,quæ 70.verterunt per tempus præteritum,reddit per futurum hoc modo:Ponet flumina in deſertum,Et ferent agros & plantabunt vineas etc. Benedicet eis & multiplicabuntur nimis , & ita in alijs,vt conſtet allegoricè prophetam vaticinari abiectionem populi Iudaici,& vocationem gentium.Nam Iudaica gens,quæ abundabat aquis diuinorum eloquiorum,& donis Spiritus ſancti , ceu flumen aliquod & fons perpetuò ſcaturiens,ariditate & ſiti extabuit, & quæ priùs erat ſimilis terræ fructiferæ,ob vitiorum ſalſuginem ſterilis & infrugifera facta eſt. Contrà,gentes quæ incultæ erant velut deſertum,& prorſus aridę,aquis ſcripturarum & chariſmatibus Spiritus ſancti irrigatæ ſunt, & collocatæ ſunt in ciuitate cuius fundamenta ſunt in montibus ſanctis , & fructificarunt in eccleſia, & benedictionem conſecutæ ſunt,& auctæ numero,tam perfecti quàm imperfectiores quos iumẽtorum appellatione ſignificat, quòd ſimplices quidem ſint, ſed vtiles in eccleſia:& indocti,ſed fide pleni vt Aug.verbis vtar.

¶ G. Vaticinium hoc nouiſsima tẽpora reſpicit,in quibus ſurgẽt antichriſti multi & ſeducent multos,de quibus & Apoſtolus ſcribens Timotheo:Spiritus inquit manifeſtè dicit, quia in nouiſsimis temporibus diſcedent quidem à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum. In his temporibus decreſcet numerus fidelium, & imminuetur ouile Chriſti: Quod autem ſequitur,Effuſa eſt cõtentio ſuper principes, librarij ſine dubio culpa corruptè legitur in vulgatis codicibus,cùm legẽdum ſit contemptio,id eſt,contemptus.Certè D.Hieron.legit cõtemptio,& ſic interpretatur,vt qui Dominum inquit contempſerant, ipſi contemnerentur:gręcè enim eſt ἐξουδένωσις,quod alibi vertit,deſpectionem,quam lectionem confirmat heb. veritas quæ ſic habet:Et effundet deſpectionem ſuper principes . Similiter legit D. Aug . Effuſus eſt contemptus ſuper principes : Principes appellans,hereſiarchas & autores peruerſorum dogmatum. Reprobati enim ſunt ab eccleſia inquit Aug.& quia principes eſſe voluerũt,contempti ſunt , & facti ſicut ſal infatuatum proiectum foras .His itaque reiectis & contemptis adiuti ſunt humiles , & reddita tranquillitate factum eſt vnum ouile Iudæorũ & gentium,fraudibus & tenebris Antichriſti fugatis.

Canticum pſalmi ipſi Dauid. Pſalmus CVII.

PAratum [A] cor meum Deus,paratum cor meum, cantabo & pſallam in gloria mea. Exſurge [B] gloria mea , exſurge pſalterium & cithara,exſurgam diluculo.Confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in nationibus.Quia magna eſt ſuper cælos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.Exaltare ſuper cęlos Deus,& ſuper omnem terram gloria tua, vt liberentur dilecti tui . Saluum fac dextera tua & exaudi me,Deus locutus eſt in ſancto [C] ſuo. Exultabo & diuidam Sichimam , & cõuallẽ tabernaculorũ dimetiar.Meus eſt Galaad,& meus eſt Manaſſes:& Ephraim ſuſceptio [D] capitis mei. Iuda Rex me⁹,Moab lebes ſpei meæ.In Idumæam extendam calceamentum meum , mihi alienigenæ amici facti ſunt.Quis deducet me in ciuitatẽ munitam?quis deducet

deducet me vſque in Idumæam? Nonne tu Deus qui repuliſti nos, & non E exibis Deus in virtutibus noſtris? Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

¶ A. Pſalmus hic reſurrectionem Chriſti vaticinatur, & victoriã verbi Dei, quo pacto per euangeliũ ſubiugauit ſibi Chriſtus omnes gẽtes, & imperiũ ſuum propagauit vſq; ad fines orbis terræ: vnde titulus habet, Canticum pſalmi ipſi Dauid. Eſt enim velut epinicion quoddã carmen. Eſt pſalmus hic ferè idem cum fine pſalmi 56. & fine pſalmi 59. mutatis ſubindè paucis dictionibus. Nam primi quinque verſus deſumpti videntur ex fine pſalmi 56. niſi quòd quintus verſus huius pſalmi plus quiddam habeat quàm vltimus verſus pſalmi 56. nimirum hæc verba, Vt liberentur dilecti tui: reliqua pars pſalmi eadem eſt cum fine pſalmi 59. Quare quicquid hoc loco non annotamus, ex ſuperioribus pſalmis petendum eſt. ¶ B. Paratum ſe dicit, ad explendas omnes voluntates patris ſui: & geminatio eiuſdẽ rei, ad epitaſin & affectũ exprimendũ facit: vel vt D. Hieron. placet, bis dicit ſe paratũ filius Dei, quòd paratus ſit & hîc ſaluare & in futurũ: nam per crucem ſuã pacificauit, & quæ in cælis, & quæ in terris vt Paulus inquit. ¶ C. In ſancto, id eſt, in vno quoq; ſanctorum prophetarum: nam de vocatione gẽtium & quo pacto tyrannũ humani generis diabolum ſpoliaret Deus, & gentes quas poſſidebat ſuo imperio ſuiſque legibus ſubiiceret Chriſtus, locutus eſt Moſes, locutus eſt Eſaias, & vniuerſus prophetarum chorus: vel locutus eſt in ſancto, id eſt, in filio. Is enim abſolutè dicitur ſanctus: vnde & Gabriel dixit virgini Mariæ, Quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur filius Dei. D. Hieron. quod hoc iuxta heb. veritatem vertit, in ſancto, pſal. 59. vertit, in ſanctuario: verùm in idem redit ſenſus: nam Chriſtus dicitur tẽplum & ſanctuarium, quòd in eo habitet omnis diuinitas corporaliter. Verſus autem ſequens in vno verbo diſcrepat apud 70. à verſu pſalmi 59. Nam hoc loco græcè eſt ὑψωθήσομαι, id eſt, exaltabor: ſuprà autem, primum verbum eſt ἀγαλλιάσομαι, id eſt, lætabor ſiue exultabo. Hebraica tamen veritas vtrobique legit, lætabor ſiue exultabo. ¶ D. Et hic verſus in vna dictione diſcrepat à verſu pſalmi 59. Nã ille habet, Ephraim fortitudo capitis mei, eo ſenſu quẽ ibi explicuim⁹: hic verò habet, Ephraim ſuſceptio capitis mei, ſignificans ſe, qui caput eſt eccleſiæ, ſuſcipere, hoc eſt, opitulari: Ephraim, hoc eſt, Chriſtiano populo. ¶ E. Hebraica veritas clariùs legit hunc verſiculum hoc modo: Nónne tu Deus qui proieceras nos, & non exieras Deus in exercitibus noſtris? vt ſenſus ſit: Nónne tu ô Deus hæc mirãda facturus es, & ſaluaturus gentes quas proieceras, & à diabolo opprimi & conculcari permittebas?

In finem pſalmus Dauid. Pſalmus CVIII.

DEus A laudẽ meã ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertũ eſt. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, et ſermonibus odii circundederunt me, et expugnauerunt me gratis. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea. Cõſtitue B ſuper eũ peccatorẽ, et diabolus ſtet à dextris eius. Cùm iudicatur exeat condemnatus, et oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, et epiſcopatum eius accipiat alter. Fiant filii eius orphani, et vxor eius vidua. Nutantes C transferantur filii eius, et mendicent, et eiiciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, et diripiant alieni labores illius. Non ſit illi adiutor, nec ſit qui miſereatur pupillis eius. Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini, & peccatum D matris eius non deleatur. Fiant contra

contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum, pro eo quòd nō eſt recordatus facere miſericordiam. Et perſecutus eſt hominem inopem, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionē & veniet ei, et noluit benedictionem & elongabitur ab eo. Et induit maledictionē ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſsibus eius. Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud E Dominum, & qui loquuntur mala aduerſus animam meam.

¶ A. Apoſtolus Petrus primo cap. Acto. docet hunc pſalmum de Iuda proditore intelligēdū eſſe, citās teſtimoniū huius pſalmi: ſic enim habet, Viri fratres oportet impleri ſcripturam quam prædixit Spiritus ſ. per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorū qui comprehenderunt Ieſum. Scriptum eſt enim in libro pſalmorum: Fiat cōmoratio eorum deſerta, & in tabernaculis eorū non ſit qui inhabitet in ea, & epiſcopatū eius accipiat alter. Quia igitur Iudas dux fuit Iudæorum conſpirantium in necem Chriſti: Quicquid hîc de Iuda proditore dicitur, de pontificibus, Scribis, Phariſæis, & reliquis Iudæis inimicis Chriſti accipiendum eſt: quod ex ſecundo verſu liquet, vbi mutato numero dicit: Locuti ſunt aduerſum me etc. Is enim mos eſt ſacræ ſcripturæ: ſic & Petrus Apoſtolus proceres eccleſiæ, hoc eſt, Pontifices, Epiſcopos, & Sacerdotes repræſentabat cùm illi diceret Chriſtus, Tibi dabo claues regni cælorum etc. Myſticè autē pſalmus hic etiam referēdus eſt ad omnes impios chriſtianos, qui fidem ſuam in Chriſtum produnt, ſacra vendunt, miniſteria eccleſiaſtica dignis adimunt, et precio inducti largiuntur indignis: aut qui cupiditate quæſtus aut gloriæ ſcripturas peruertentes, autores hereſeon & prauorum dogmatum fiunt, proditores facti ſuæ fidei & religionis.

¶ B. Iudæi Chriſtum regem noluerunt, negantes eum coram præſide Pilato, nec vllum regem ſe habere dicentes præter Cęſarem, & Barrabbam cupientes ſibi dimitti, & Chriſtum tolli & crucifigi. Quare imprecatur illis vt ſubijciantur tyrannidi diaboboli, qui bona illorum opera corrumpat, & debita mercede priuet, aut inani gloria aut peruerſa intentione illa vitians: Hoc enim eſt, diabolum ſtare à dextris, vt ſubſint dominio peccatoris, homicidę, & latronis, qualis fuit Barabbas. Idem cōtingit impijs chriſtianis, & fidei & religionis ſuæ proditoribus, qui condemnandi ſunt ad Chriſti tribunal, & quorum orationes ieiunia & eleemoſynæ offendunt Deum, & in peccatum ijs vertuntur qui breui tempore præſunt, & eorum functio alijs traditur, & filij eorū quos malis exēplis vitæ, aut peruerſis dogmatibus pepererunt, & ſui æmulatores relinquerunt, tunc Orphani redduntur. Vxor illorum, id eſt, ſynagoga (ſi Iudæos intelligis) vel hæreticorum aut impiorum congregatio orbata ſuo patrono, & propugnatore fit vidua, hoc eſt, deſolata. Nam Iudam proditorem vt Hiero. inquit, nec vxorem nec filios habuiſſe legimus. ¶ C. Iuxta literam, de Iudæis perfidis hoc verum eſt, qui hodie etiam vbique terrarum incertis ſedibus vagantur, & nuſquam tutò habitant, ſed ſubinde expulſi, de loco in locum migrare cogūtur. Quod autem interpres vertit, nutantes, græcè eſt σαλευόμενοι, quod ſonat, cōmoti aut agitati: vnde heb. veritas legit. Inſtabiles vagentur filij eius & mendicent. Mendicitatem autem ſpiritualem intellige, hoc eſt; inopiam omnium diuitiarum ſpiritualium. Non enim habent prophetas, nō habent legem, non ſacerdotium, non ſacrificium. Omnia enim hæc vnà cum fide ad gentes tranſlata ſunt: Fœneratorem autem, myſticè: vel vt hebraica veritas legit, exactorē, appellat diabolum, qui temporalia bona hæc & fluxas voluptates peccatoribus indulget, & quaſi fœnori dat, vt æterna ab illis ſumat & exigat ſupplicia.

¶ D. Sicut mater omnium piorum eſt eccleſia & Hieruſalem illa quæ ſurſum eſt, ita omnes impij habent ſuam matrem quæ appellatur in Apocalypſi ſynagoga ſatanę, alibi conuentus malignantium, nunc concilium impiorum, nunc generatio praua & adultera, ſicut illa ediuersò appellatur concilium iuſtorum, & generatio rectorum. Sicut autem inter pios eſt virtutum communio & meritorum, ita & inter malos & impios eſt ſcelerum quædam communicatio: vnde & Chriſtus apud Lucam cap. 11. Sanguis omnium prophetarum qui effuſus eſt à conſtitutione mundi, à ſanguine Abel vſq; ad ſan-

ad sanguinem Zachariæ qui periit inter altare & ædem, requiretur ab hac generatione. ¶ E. Apud Dominum detrahere Christo, est ipsis verbis Domini & prophetarum oraculis Christo detrahere, dicẽdo Christũ non esse illum ipsum, quẽ lex Domini & prophetæ prænunciauerunt. Non dicit autem, hæc merces eorum, sed, hoc opus ipsorum, significans illos suapte voluntate maledictionem sibi conciliari: hoc enim significat cùm ait in superioribus versibus, Induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, sicut oleum in ossibus eius. Manifestum est enim inquit Aug. quòd indumento opertorio & zona describat ipsa opera, quibus æterna maledictio cõparatur. Nam zona vestes cohibemus, & succingimus operaturi: Omnia tamen hæc quæ corpori humano maximè adhærẽt, significare possunt maledictionem perpetuò illis adhęsurã: vt sensus sit, vestiatur maledictione, operiatur maledictione, et cingatur velut zona quadã maledictione, vt perpetuò illum comitetur, illiq; adhæreat.

Et tu Domine Domine fac mecum propter nomẽ tuũ, quia suauis est misericordia tua. Libera me quia egenus ego sum & pauper, & cor meũ conturbatũ est intra me. Sicut vmbra cùm declinat ablatus sum, & excussus F sum sicut locustæ. Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter G oleũ. Et ego factus sum opprobrium illis, viderũt me, & mouerunt capita sua. Adiuua me Dñe Deus meus, saluũ me fac secundũ misericordiã tuã. Et scient H quia manus tua hęc, & tu Domine fecisti eã. Maledicent illi, & tu benedices, qui insurgunt in me confundãtur: seruus autẽ tuus lætabitur. Induãtur qui detrahunt mihi pudore, & operiãtur sicut diploide I confusione sua. Confitebor Dño nimis in ore meo, & in medio multorũ laudabo eũ. Quia adstitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam.

¶ F. Locustæ se comparat, quòd hoc genus insecti saltu se promoueat, & pedibus posterioribus, quos longiores habet multo quàm anteriores pedes, sese excutiat, & de loco in locum prosiliat. Ita & Christus cedens furori & insanię hostium suorum, quòd nondum venisset hora eius è Nazaret, venit Capharnaum, è Capharnaum in Bethsaida, è Galilæa in Iudæam: è Iudea secessit in deserta loca mari proxima vt docent euangelia. Idem de membris illius, id est, apostolis & martyribus verum est, qui persecutionibus vrgentibus, ex mandato Christi de ciuitate vna fugerunt in aliam.

¶ G. Iuxta literam prior pars huius versiculi accipi potest de Christo, qui ieiunijs se macerauit, vt ex inedia genua illi imbecilliora redderentur. Quod autem sequitur, Caro mea immutata est propter oleum, mysticè intelligi debet hoc sensu: Caro Christi, quę propter peccata nostra morti obnoxia fuit, immutata est ad immortalitatem: propter oleum, id est, Spiritum sanctum habitantem in carne Christi. D. verò Aug. scribens in hũc psalmũ illud, Genua mea infirmata sunt à ieiunio, non ad Christũ, sed ad membra etiam, hoc est, ad apostolos refert. Eius verba hæc sunt: Arbitror inquit eos, qui in membris eius fortes videbantur, tanquã præsentia panis quo sustentabantur, abstracta defecisse in eius passione vsque ad negationem, quod in Petro Apostolo apparuit: vnde ad eos confirmandos resurrexit, & carnis infirmitatem vnctione Spiritus sancti firmauit, & in meliorem statum commutauit. ¶ H. Manum pro operibus sumi, peculiare est sacris literis: est itaque sensus, Scient, & mortem quam sponte mea suscipiam & resurrectionẽ secuturã, tuũ opus esse, & quicquid in carne mea fit, tua virtute perfici.

Psalmus Dauid. Psalmus CIX.

DIxit A Domin9 Domino meo, sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos, scabellũ pedũ tuorum. Virgã B virtutis tuæ emittet Dñs ex Siõ, dominare in medio inimicorum tuorum. Tecũ C principium in die virtutis tuæ in splẽdoribus sanctorũ ex vtero ante luciferũ

genui

genui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedec. Dominus D à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Iudicabit in nationibus implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

¶ A. Psalmum hunc de Christo filio Dei intelligendum esse constat ex 22. capite Matthæi, vbi Christus Iudæos interrogās, cuius filius esset Christus, respondētibus illis, Dauid filium esse. Quomodo ergo (inquit) Dauid in spiritu vocat illum Dominū suum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis? etc. Tractat itaque psalmus hic 109. de regno & sacerdotio Christi, & quomodo exaltandus erat super omnes cælos, quia humiliauerat se & obediens fuit patri vsque ad mortem & ignominiam crucis. Primi itaque versus duo ex persona Dei patris canuntur, inuitantis filium suū iuxta hominem assumptum ad regni consortium, & tradentis ei omne iudicium: id enim est sedere ad dexteram patris ipsum Christum, omne ius regni & iudicandi potestatem à patre accipere: vnde & Iohannes, Pater inquit non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium. Quod autem dicit, Donec ponam inimicos scabellum etc. hoc est, donec subijciam pedibus tuis omnes hostes tuos, non est ita intelligendum, quasi subiectis inimicis non ampliùs regnaturus sit filius, cùm tunc longè potentiùs regnaturus sit. Simile huic est illud apostoli in priore ad Corinthios epistola: Oportet autem illum regnare donec ponat inimicos sub pedibus eius: & illud Matthæi primo, Non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum.

¶ B. Per virgam virtutis, sceptrum fortitudinis intellige, hoc est, firmissimū Christi regnum, quod psalmo 2. per virgam ferreā significat, Reges inquit eos in virga ferrea: de hoc regno ita vaticinatus est Daniel cap. 2. In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur: comminuet autem & consumet vniuersa regna, & ipsum stabit in æternum: hoc autem regnum ex Sion ortum est, & in Hierusalem primum cœpit. Quia verò pater in filio operatus est omnia, nec filium vnquam solum reliquit, benè subdit: Tecum principium, hoc est, tecum semper est & erit pater qui principium appellatur, quia est prima causa filij, in quo tamen principio semper fuit filius: vnde Iohannes. In principio inquit erat verbum, Tecum ergo principium in die virtutis tuæ, id est, cùm tempus virtutis, id est fortitudinis tuæ aduenerit, quo vinces hostem humani generis: in splendoribus sanctorum, hoc est, sanctitatum: capitur enim pro re, non autem persona: vnde Sanctes vertit, in pulchritudinibus sanctitatis. Felix autē Pratensis sic, in decoribus sanctitatis: Munsterus, in magnificentijs sanctitatis. ¶ C. Hunc locum longè aliter legūt hebræi quàm 70. interpretes verterunt, quod ambiguitate vocum & affinitate literarum hebraicarum factum est, quorum lectionem breuitatis caussa omittimus sequentes versionē 70. interpretum. Dicit itaq; pater se genuisse filium ex vtero, id est, ex propria substantia: nō quòd Deus pater vterum habeat, vel humano more eum genuerit: sed ex vtero genitus dicitur, vt significetur cum patre esse eiusdem prorsus naturæ & essentiæ, quod ὁμοούσιον vocant græci: non est autem ita genitus filius à patre, quasi patri aliquid decesserit, aut filius patrē reliquerit, cum pater sit in filio, & filius in patre: vnde Iohannes cap. primo volens significare ineffabilem hunc generandi modum, dicit, vnigenitum Dei filium in sinu, id est, in corde Dei patris esse. Quod autem addit, ante luciferum, significat filium ab æterno & antequam sidera, quorum præcipiuus & clarissimus est Lucifer, conderentur à Deo genitum esse. ¶ D. Feroces & rebelles animos regum & imperatorum terræ fregit & mitigauit prædicatione euangelica Deus pater, & per crucem filij sui subiugauit, idq; in die iræ suæ, hoc est, tempore gratiæ cùm irascebatur principi huius mundi diabolo: quāquam per reges, hoc loco intelligi possunt principes tenebrarum, quorum vires fregit Deus per filium suum: & iudicauit in nationibus, id est, vltus est vicem nationum quas oppresserat tyrannide sua diabolus. Notādum autem quòd dicit hîc Dominum, id est, Deum patrem à dextris esse filij, cùm suprà dixerit filium à dextris sedere patri, vt ostendat per omnia æqualitatem honoris & potentiæ esse inter patrem & filium. Quod autē interpres noster vertit, ruinas, græcè est πτώματα, quæ vox etiam significat cadauera, sic appellata à græco verbo πίπτω, quod est ruo, sicut & à cadendo dictum

dictum est cadauer: vnde Sebastianus Munsterus elucidandi causa sic vertit hunc locum, Implebit loca cadaueribus. Cadauera autem siue ruinas appellans, incredulos, nec obedientes fidei euangelicæ, qui cadunt in via huius seculi. Nã positus est Christus in ruinã, & resurrectionem multorum. ¶ E. Torrentis aquæ, metaphoricè appellantur interprete Hieron. afflictiones & incommoda mortalis huius vitæ. Torrens enim non habet aquas naturales, sed semper alienas quas concipit & colligit ex tempestatibus procellis & pluuijs: vnde inamœnas & turbidas aquas semper habet. Has aquas bibit Saluator, cùm calicem de torrente huius seculi impletum tristibus & amarissimis aquis gustauit imminente passione, & orauit dicens: Pater si fieri potest, transeat à me calix iste. Et quia de hoc torrente bibit in via huius seculi, exaltauit illius caput Deus pater, & dedit illi nomen quod est supra omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.

Alleluia. Psalmus CX.

Confitebor A tibi Domine in toto corde meo, in cõsilio B iustorũ & congregatione. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Confessio et magnificentia opus eius, et iustitia eius manet in seculum seculi. Memoriã C fecit mirabiliũ suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Memor erit in seculum testamẽti sui, virtutẽ operũ suorũ annunciabit populo suo. Vt D det illis hæreditatẽ gentium, opera manuũ eius veritas & iudicium. Fidelia omnia mandata E eius cõfirmata in seculũ seculi, facta in veritate & æquitate. Redemptionem misit populo suo, mandauit in æternum testamentum suum. Sanctum & terribile nomen eius, initium sapientiæ F timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in seculum seculi.

¶ A. Ex persona ecclesiæ & fidelis populi canitur psalmus hic à propheta, quo laudantur mirabilia & magnifica opera Domini, & fides veritasq; diuinarum promissionum, & cõmendatur cælestis sapientia cuius initium est & fundamentũ timor Domini: vnde & hic psalmus cum sequentibus vsque ad cantica graduum pro titulo habent, Alleluia. ¶ B. Consilium licet per s literam scribatur in latinis codicibus, pro cœtu tamen consultantium capitur, in quo significatu apud grammaticos per c literam scribitur. Nam græca vox est βουλή, quæ propriè consilium significat: apud 70. tamen interpretes sæpe pro cœtu consultantiũ vsurpatur: id autẽ propriè συνέδριον dicitur, id est ad verbũ, cõsessus aut cõuentus. ¶ C. Olim mirabilia operatus est Dominus liberãs populũ suũ Israëliticũ ab Ægyptiaca seruitute, cùm traduxit eũ per siccũ alueũ maris rubri, & fluctibus inuoluit Pharaonẽ cũ vniuerso exercitu, & colũnam nubis per diem, & columnã ignis per noctẽ præbuit ijs, vt vtroq; tẽpore dux & iudex viæ illis esset, & manna illos pauit quadraginta annos in deserto. Memoriã autẽ priscorũ horũ mirabilium refricuit & renouauit in ecclesia Dominus, per aquas baptismi liberans populũ suum à seruitute diaboli, ducẽ vitæ huius dans Spiritũ suum sanctũ, et loco mannæ cælestẽ alimoniã corporis & sanguinis sui, & verum illũ panẽ cælestẽ largiens timentibus se: nam fame & inedia multorũ sanctorũ martyrum corpora perijsse constat inquit Hieron. ¶ D. Filios Israël constat occupasse duce Iosue regiones septem gentium Chananæarum: verùm iuxta tropologiã hanc gentium hęreditatẽ occupant duce Iesu sancti, quoties per Christi gratiã, expulsis septẽ vitijs capitalibus cum toto peccatorum agmine, terrã cordis nostri recipimus & ipsi possidemus, quam priùs occuparunt dęmones, qui propter 7. peccata capitalia, quibus pręsident, per 7. populos Chananęorum iuxta tropologiã denotantur. ¶ Mandata, hoc loco vocantur ipsę promissiones diuinæ, quę Deus per prophetas, & nouissimè per filium suum annunciari mandauit: vel mandata dicuntur, quia mandatis diuinis eiusmodi promissa cęlestium bonorum semper adiuncta sunt. Hęc autem fidelia sunt, id est, certa, & indubita-

ta,& rata perpetuò futura:vnde dicit,Confirmata in seculum seculi: & quia hæc Deus largitur cum summa veritate neminem fallens, & cum summa æquitate nullum bonum irremuneratum relinquens,benè addit,Facta in veritate & æquitate.

¶ F. Sapientiam cælestem,non autem terrenam hoc loco significat, quam cap.1. suæ epistolæ describit Iacobus,quam de sursum à patre luminum descendere dicit,huius fundamentum est timor Domini.Et quotquot huic sapientiæ student,illorũ mẽs & intellectus illuminantur:vnde dicit,Intellectus bonus facientibus eam.Sic enim legendum est,vt ad sapientiam referatur:nam græcè est,αὐτὴν,id est,ipsam. Quotquot autem hac sapientia carent, pereunt: hinc illud Prouerbiorum 5.de peccatore : Ipse morietur quia non habuit disciplinam,& in multitudine stultitiæ suæ decipietur, quo loco & alijs pluribus disciplina appellatur diua hæc sapientia, quòd per eam appetenda & vitanda discimus.

Alleluia. Psalmus CXI.

BEatus [A] vir qui timet Dominum,in mãdatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius,generatio rectorũ benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius,& iustitia eius manet in seculum seculi.Exortum [B] est in tenebris lumen rectis,misericors & miserator & iustus [C]. Iucundus homo qui miseretur & commodat,disponet sermones suos in iudicio,quia in ęternum non commouebitur. In memoria æterna erit iustus,ab auditione mala non timebit.Paratum cor eius sperare in Domino,confirmatum est cor eius, non commouebitur donec despiciat inimicos suos [D].Dispersit,dedit pauperibus,iustitia eius manet in seculum seculi,cornu eius exaltabitur in gloria. Peccator videbit, & & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit.

¶ A. Idem vir beatus hoc psalmo describitur,quem psalmo primo diximus describi,nimirum Christus, sic tamẽ vt ad membra quoq; eius aptari possint ea,quæ hoc psalmo dicũtur à propheta, quanquã duriùs & coactiùs id fiat.Christus itaq; verè beatus est vir iuxta hominẽ assumptũ,qui maximũ desiderium & propensissimã voluntatem habuit ad explenda omnia mandata Dei patris:vnde apud Iohannẽ,Cibus inquit meus est vt faciã volũtatẽ eius qui misit me patris:huius semen,fideles sunt per baptismũ in Christo geniti,quòd potẽs est propter dona Spiritus S.& cęlestes benedictiones, quas per Christũ consecuti sunt, & hæc est gloria,& hæ spirituales diuitiæ sunt in ecclesia quæ est domus Dei. ¶ B. Hic versiculus non de alio quàm de Christo intelligi potest,qui est lumen illud quo illuminatæ sunt gentes,& lux illa de qua Esaias, Populus qui ambulabat in tenebris,vidit lucẽ magnã,habitantibus in regione vmbræ mortis,lux orta est eis.Est itaq; sensus:Misericors & miserator & iustus Dominus, est lumẽ rectis exortum in tenebris:græcè autẽ cùm verbum sit,ἐξανέτειλεν,vel exortũ est intelligimus,vel exortus est,vt ad virũ beatũ referatur,& is ordo verborum dilucidior erit: vir ille beatus exortus est ceu lumen rectis, misericors miserator & iustus existẽs.

¶ C.Hebraica veritas rectiùs vertit,bonus vir clemens etc. Nã græca vox χρηστὸς propriè significat idem quod benignus & munificus,& expositus omniũ vsibus: nam ἀπὸ τοῦ χράομαι,quod est vtor, deducta vox est. Christus itaque miseretur nostri, & talenta seruis suis distribuit, vt cum fœnore ea recipiat, & per apostolos & pręcones verbi Dei disponit: vel,vt græcè est, dispensat(οἰκονομήσει)sermones diuinorum oraculorum suorum, idq; cum iudicio & discretione.Videndum est enim,ne margaritas verborum diuinorum spargamus ante porcos, aut obijciamus canibus,& apto & opportuno tempore de ijs disseramus. Hanc œconomiam siue dispensationem satìs indicat Christus apud Lucam,Quisputas est fidelis seruus inquit,quem constituit Dominus super familiam suam,vt det illis in tempore tritici mensuram? ¶ D. Christus omnia sua & corpus & sanguinẽ,vitam & ipsam diuinitatẽ suã nobis cõmunicauit,& thesaurum omnium bonorũ suorũ spiritualiũ effudit in pauperes,id est,humiles fideles: vnde exaltatũ est regnũ eius in cælo & in terra, quod inuiderũt Iudæi & gẽtes idololatriæ & fre-

& fremuerunt aduersus Christum & eius cultores, sed omnes suos conatus irritos & vanos esse videntes, inuidia contabuerunt. De Christo autem penultimum hunc versiculum intelligi docet Apostolus Paulus in posteriore ad Corinthios epistola cap. 11. de eleemosyna facienda differens. Nam ostendere volens, Deum cum magno gratiarum fœnore reddere nobis beneficia in egenos collata, probat testimonio huius psalmi dicens: Potens est autem Deus omnem gratiam abũdare facere in nobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiã habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus, quamuis Chrys. enarrans locum illum Pauli, non ad Deum, sed ad facientem eleemosynas refert illud, Dispersit dedit pauperibus.

A *Alleluia. Psalmus CXII.*

LAudate pueri Dominũ, laudate nomẽ Domini. Sit nomẽ Domini benedictũ, ex B hoc nũc & vsq; in seculũ. A solis ortu vsq; ad occasum laudabile nomen Domini. Excelsus super omnes gẽtes Dominus, & super cælos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra. Suscitans C à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Qui habitare facit sterilem in domo D, matrem filiorum lætantem.

¶ Quamuis hoc psalmo pueros tantùm compellare & ad laudandum Deum inuitare videatur, omnes tamẽ Christi fideles hortatur propheta ad laudes diuinas, pueros appellãs humiles, & eos qui malitia paruuli sunt, ad quam pueritiã nos Apostolus hortatur dicens, Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti. Et Apostolus Petrus in priore epistola sua: Sicut modò geniti infantes rationabile & sine dolo lac concupiscite. Ex ore eiusmodi infantium & lactentium puerorum Deus perficit laudem suam: vnde August. scribens in hunc psalmum, Ne arbitremini ad vos istam exhortationem (inquit) non pertinere, quia iam corporis pueritiam egresfi, vel iuuenili decore virescitis, vel senili honore canescitis: omnibus enim vobis dicit Apostolus, Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote. Qua malitia nisi superbia? Ipsa enim de vna grãditate præsumens, non sinit hominem ambulare per arctam viam, & intrare per angustum portum. Et ideo Dominũ nõ nisi pueri laudant, quia superbi eum laudare nõ norunt. Sit senectus vestra puerilis, & sit pueritia senilis, id est, nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapiẽtia, hæc ille: vnde benè Christus Marci decimo, Si quis non receperit regnum Dei sicut paruulus, non intrabit in illud. ¶ B. Ex hoc nunc, id est, ex hoc tẽpore præsenti, quo videlicet credere in Deũ cœpimus: tũc enim apud nos præcipuè laudari & benedici nomen Domini debet, quod alioqui ex se ab æterno benedictum est. Porrò, ex hoc nunc, dixit interpres, pro, amodo, græcam phrasim exprimens ad verbum: apud eos enim est frequens, aduerbium cum articulo vsurpare pro nomine adiectiuo, sic hoc loco, hoc nũc dictum est pro præsenti tempore. Lucæ autem primo in cãtico virginis Matris, interpres omisit aduerbiũ, idque magìs latinè: Ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes. Sic Virg. Ex illo celebratus honos. In quibus præpositio (ex) tempus denotat, nõ causam, pro eo quod est, ab hoc tempore, & ab illo tempore. ¶ C. Per inopem & pauperem intelligimus gentes, quas de puluere terrenarum cogitationum, & fece & stercore peccatorum Deus euexit ad cœlestia, & sedere fecit cum Apostolis, Prophetis, & Patriarchis in cælestibus: vnde Christus in euangelio, Venient inquit ab oriente & occidente, & recumbent cum Abrahã Isaac & Iacob in regno cælorum. Quicquid enim sumus, id sumus per Dei gratiam: vnde Aug. scribens in hunc psalmum, Quamuis enim (inquit) collocetur fidelis pecuniæ dominicæ dispensator cum principibus populi Dei, quamuis sessurus sit in duodecim sedibus, & angelos quoque iudicaturus, à terra tamen inops erigitur, & de stercore pauper exultatur, qui antea seruiebat desiderijs & varijs voluptatibus. ¶ D. Per sterilẽ matrem, intelligit ecclesiam ex gentibus congregatam, quæ sterilis dicitur, quòd ante fidem susceptam nullos filios Deo generaret: hæc per euangelicam fidem innumeros filios quotidie Deo parit, vt longè superet synagogam spiritualium filiorum numero:

vnde bene dicit eam habitare in domo, id eſt, in eccleſia lætantem propter filios. Sic enim vertẽdũ erat, cũ græcè ſit ἐπὶ τέκνοις εὐφραινομένην. Exprimit enim cauſam cur lætetur eccleſia, quia ſe videt vndiq; cinctã numeroſa prole: de hac ſterili Dominus apud Eſaiam cap. 54. Lauda ſterilis quæ non paris, decanta laudem & hinni quæ non pariebas, quia multi filij deſertę magìs quàm eius quæ habebat virum.

Alleluia. Pſalmus CXIII.

IN [A] exitu Iſraël de AEgypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt [B] Iudæa ſanctificatio eius, Iſraël poteſtas eius. Mare [C] vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Montes exultauerũt vt arietes, & colles ſicut agni ouiũ. Quid eſt tibi mare quod fugiſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? Montes [D] exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium? A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob. Qui [E] conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Non nobis Domine nõ nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Super miſericordia [F] tua & veritate tua, nequando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cęlo, omnia quęcunque voluit fecit. Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in iis. Domus Iſraël ſperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum eſt. Domus Aaron ſperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorũ eſt. Qui timẽt Dominum ſperauerũt in Domino, adiutor eorum & protector eorum eſt. Dominus memor fuit noſtri, & benedixit nobis. Benedixit domui [G] Iſraël, benedixit domui Aaron. Benedixit omnibus qui timent Dominum, puſillis cum maioribus. Adiiciat DOMINUS ſuper vos, & ſuper filios veſtros. Benedicti vos à DOMINO, qui fecit cęlum et terram. Cęlum [H] cæli DOMINO, terram autem dedit filiis hominum. Non mortui [I] laudabunt te DOMINE, neq; omnes qui deſcendunt in infernum. Sed nos qui viuimus benedicimus DOMINO, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

¶ A. Nudam texere hiſtoriam videtur pſalmus hic: verùm quia nonnulla hîc referũtur, quę cõtra veritatẽ hiſtoriæ libri Exodi ſunt, cõpellimur neceſſario relicta litera myſticũ & ſpiritualẽ intellectum in omnibus quęrere. Mare enim fugiſſe, hoc eſt, ceſſiſſe legimus filijs Iſraël, ſed Iordanẽ cõuerſum eſſe retrorſum nuſquã legimus: nec mõtes aut colles vſpiã exultaſſe ſcripſit Moſes, quare in his voluit allegoricos aliud ſignificare Spirit' S. Inuitamur ergo hoc pſalmo, quia in frõte pro titulo habet, Alleluia, Benedicere & laudare Dominũ, qui liberauit nos à tyrãnide diaboli & peccati ſeruitute, & tenebris huius mundi: vnde & Petrus Apoſtolus, Vos inquit genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. ¶ B. Nomina hæc Iſraël Iacob & Iudæus, quæ paſsim in veteri teſtamento obuia ſunt, non ſemper poſteros carnales Abrahæ Iſaac & Iacob ſignificare in varijs locis conſtat. Quare Apoſtolus ſcribens Romanis, illos eſſe veros Iudæos dicit, qui in occulto ſunt, & quorum corda circunciſa ſunt non præputia: & idem Galatis ſcribens, Iſraël Dei vocat, ad diſtinctionem ſynagogæ Satanæ. Quicunque igitur Deum vita & moribus confitetur, is verus Iudæus eſt. Iudas enim confeſsionem ſonat. Sic qui Deum purificato corde videt, & vitia carniſque

deſide-

desideria supplantat, is verus Israël & Iacob est: quorum illud sonat, videns Deum: hoc verò, supplantator. Cùm igitur verum semen Israël, & spiritualis familia Iacob per fidem Christi educta est è tenebris huius mundi, & segregata à barbarie vitiorum, tunc Christianus popul⁹ totus in cōfessione Dei factus est sanctificatio Dei, & potestas eius, cui contulit potestatem calcandi super serpentes & scorpiones & omnem virtutē inimici. Barbaros, vocat Ægyptios propter feros mores & barbaros ritus, & prodigiosas superstitiones quas Ægyptij habuere, de quibus multa Iuuenalis Saty. 14.

¶ C. Sensum tribuit rei inanimatæ, non quòd mare videat, sed quia Deus ea quę non sunt, vocat quasi ea quæ sunt: vidisse hîc nihil aliud est quàm sensisse potentiam diuinam, qua iussit fluctus diuidi & alueum maris siccari. Nobis autem mare cessit & incolumes trāsmisit, cùm ex aquis baptismi emersimus viui, cùm ante mortui essemus peccato. Iordanis quoque cessit filijs Israël duce Iosue ingredientibus terrā promissionis, & iubente Deo siccam præbuit viam, aquis superioribus consistentibus & montis instar se tollentibus: inferioribus verò aquis defluentibus in mare mortuum. Id autem, quod iuxta literam in hoc psalmo legimus, Iordanis conuersus est retrorsum, spiritualiter impletum est in primo Christi aduentu. Per Iordanem enim, cuius aquas suo baptismo Christus cōsecrauit, intelligitur populus Christianus ablutus baptismo. Horum aliqui seruiūt carni & illius concupiscentijs, & salutares aquas baptismi perdunt pestilentibus & salsis aquis maris mortui. Aliqui verò sistunt & cohibent vitiosum hunc fluxū, & ad Deū cōuertūtur visis mirabilibus diuinis. ¶ D. Nec istud vsquam legim⁹ factū: quî enim exultare potest, quod sensu prorsus caret vt mōtes & colles? Nam exultare hoc loco, vt mille alijs pro gaudio efferri, positum est: vnde Aug. legit, Mōtes gestierunt vt arietes: quare relicta litera ad allegoriam confugiendum. Montes enim, sancti maioris meriti & perfectionis appellantur, quales fuêre apostoli, & horum vicarij qui præsunt gregi dominico in ecclesia: colles verò, homines inferioris meriti, qui in ecclesia subsunt, & aliorum magisterio reguntur: vnde hos agnis comparat, illos verò arietibus, de quibus plura annotauim⁹ psalmo 64. Omnes autē hij exultāt gaudio, cuius causam dicunt hanc, quòd à facie & præsentia Christi mota sit terra, id est, terrena corda salutari pœnitentia sunt commota, et fidem Christi amplexa. ¶ E. Bibebant inquit Apostolus de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus, quibus verbis allegoriam huius loci satìs aperit Apostolus. Christus itaque nostra petra & rupes, aquas gratiarum spiritualium effundit, & fontibus scripturarum nos reficit: de quibus aquis & fontibus Esaias, Haurietis inquit aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. ¶ F. Interpres latinus suo more præpositionem על ferè semper vertit per præpositionem, super, siue genitiuo iungatur siue datiuo. Hoc itaque loco cùm datiuo iungatur, vertenda erat per, propter, sicut ad hebr. veritatem reddidit Hieronymus: Propter misericordiam & veritatem tuam. Est itaque hic sensus, Quòd ineffabilia hæc beneficia & stupenda miracula exhibuisti, non asscribimus nobis, sed omnem honorem & gloriam tuo nomini reddimus, orantes ne offensus nostris peccatis, consueta præsidia & beneficia nobis adimas, idque propter misericordiam tuam quæ tibi peculiaris est, & promissionum tuarum veritatem & fidem, ne gentes videntes nos tuo auxilio, destitui exprobrent nobis dicentes, Vbi est Deus eorum, quem nec ostendere nec demonstrare possunt? vnde subdit quasi respondens exprobrantibus, Deus autem noster in cælo etc.

¶ G. Per domum Israël, intelligimus familiam Israëlitarum, non carnalium tantùm, sed & spiritualium qui diabolum supplantant, & expiatis cordibus Deum continuò vident, vt suprà diximus. Ita per domum Aaron, non modò tribum leuiticam, sed etiam totum ordinem sacerdotalem noui testamenti. Nam Aaron typus fuit summi sacerdotij quo functus est Christus: vnde precatur, Adijciat Dominus super vos, & super filios vestros, hoc est, augeat Dominus numerum patrum & filiorum vestrorum: Et ita factum est. Accesserunt enim (inquit Augustinus) etiam de lapidibus suscitati filij Abrahæ, accesserunt oues quæ non erant de hoc ouili, vt fieret vnus grex & vnus pastor: accessit fides omnium gentium, & creuit numerus non modò sapientum antistitum, sed etiam obedientium populorum, adijciente Domino non solùm super patres, qui ad Christum cæteros præirent, sed etiam super filios eorum qui patrū pia vestigia sequerentur: hæc ille, ne quis ad carnalem cognationem hæc referenda putet. ¶ H. Sacræ literæ pios & sanctos, vocant filios Dei: peccatores autem humanis affectibus & terrenis vitijs obnoxios appellant filios hominum, siue homi-

nes:sic Genes. 6.vidẽtes filij Dei filias hominũ quòd essent pulchrę,acceperũt sibi vxores ex omnibus quas elegerãt: & Dauid alibi, Ego dixi dij estis & filij excelsi omnes: Vos autem sicut homines moriemini.Et Apostolus scribens ad Corinthios:Cùm inter vos est(inquit)zelus & contentio,nónne homines estis?His ergo filijs hominum terra data est,vtpote ijs qui terrena sapiunt.Cælum autem cæli (siue vt hebraica veritas legit) Cælũ cælorum est peculiare Domino,id est,filio Dei:& mystico illius corpori,hoc est, pijs & sanctis omnibus qui eò quòd adhærẽt Domino, vnus spirit' cũ Domino facti sunt: Tale est & illud Iohan.Nemo adscẽdit in cælum nisi qui descendit de cælo,filius hominis qui est in cælo.Porrò cælum cælorum dictum est, sicut sancta sanctorum, quòd cælum illud excellat omnes alios cælos.Nam plures esse cælos constat:est enim aëreum cælum, vnde volucres cæli: orbes præterea cælestes cæli dicuntur, vt cælum Lunæ,& cælum Solis,ad hæc firmamentum quod nos stellatum cælum dicimus: verùm hoc cælum cælorum suprà omnes est,Deo & diuis peculiare habitaculum,prorsusque immobile. ¶ I. Viuentes,hoc loco appellat non eos qui corporalem hanc vitam agunt, sed eos quorum animæ fide viuunt apud Deum, tametsi ex hac vita migrarunt. Sic Christus apud Matthæum probat,Abraham, Isaac & Iacob viuere, quãuis hac vita defuncti sint:quia Dominus se appellat Deum Abraham, Isaac, & Iacob: cùm non mortuorum, sed viuorum sit Deus. Mortuos autem,apellat eos quorum animæ per peccata apud Deũ mortuę sunt,licèt corpore viuant. A peccatore autẽ Deus laudari non potest,nec vult: quia non est speciosa laus in ore peccatoris, vt inquit Salomon.

Alleluia. Psalmus CXIIII.

DIlexi, quoniam A exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Quia inclinauit aurem suam mihi, & in diebus B meis inuocabo. Circundederunt me dolores C mortis, pericula inferni inuenerunt me. Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. O Domine libera animam meam misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur. Custodiens paruulos Dominus, humiliatus sum & liberauit me D Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Qui eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione viuorum.

¶ A. Ex persona fidelis populi psalmum hunc canit propheta, recensentis beneficia à Deo sibi collata,& spe futurorum bonorum se consolantis. Quam spem causam esse dicit,cur tantopere diligat & dilexerit Deum. Hanc autem spem antecedit fides: quid enim boni sperare potes ab eo,cui nec confidis nec credis? Quia ergo credidisti, (inquit Augustinus)sperasti: quia sperasti,dilexisti.

¶ B. Dies suos,vocat tempus hoc mortalis nostræ vitæ,quod Apostolus scribens Hebræis vocat tempus carnis nostræ, quòd tantisper mortali carne grauamur, quàm diu sumus in hac vita. Qui in diebus inquit carnis suæ supplicationes & preces cum clamore valido & lachrymis offerens,exauditus est pro sua reuerentia. Nostri autem vocantur dies,quòd ad vsus & voluntatem nostram,datum sit nobis tempus vitæ nostræ:cùm autem vita hac functi fuerimus,non erunt ampliùs dies nostri, sed dies Domini. ¶ C. Dolores mortis,interprete D. Hieronymo sunt cogitationes fœdæ, & quæ ad peccata sollicitant nos: cùm ergo his victi peccare desideramus, circundant nos dolores mortis: tunc enim anima quasi parturit letale peccatum, & flagrantibus cupiditatibus & molestissimis æstuat. Nam græca vox ὠδῖνες, propriè sunt dolores parturientium. Pericula autem inferni, ipsa peccata sunt,quæ nos exponunt & conijciunt in periculum æternæ mortis.

¶ D. Spe certissima rerũ futurarũ se consolatur fidelis anima, nõ quòd iam cæleste requiẽ adepta sit libera ab omnibus malis & incommodis, sed quòd nihil hac re certius sit apud pios:Spes enim nõ cõfundit:Sic Paulus scribens Ephes. quæ certissimè

futura

futura erant,quasi iam transacta, scribit. Considére, inquit, nos fecit in cælestibus in Christo. Quamdiu enim labimur per quotidiana peccata,semper habent oculi quod lachrymentur.Tunc autem eximentur oculi nostri à lachrymis, quando liberati fuerint pedes à lapsu. Tunc autem nullus erit lapsus ambulantium pedum, quando infirmæ carnis nullum erit lubricum, vt Augustini verbis vtar, quod futurum est in regione viuorum,vbi per omnia placebimus Deo.

Alleluia. Psalmus CXV.

CRedidi propter quod A locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis.Ego dixi B in excessu meo, omnis homo mendax. Quid retribuam Domino pro C omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiã,& nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam corã omni populo eius, preciosa in conspectu Domini,mors sanctorum eius.O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis,& nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam in cõspectu omnis populi eius,in atriis domus Domini,in medio tui Hierusalem.

¶ A. Psalmus hic 115. apud hebræos & in quinta & sexta editione vnus est cum præcedenti, & hoc sensu copulatur cum fine psalmi 114. Ego credidi, illud nimirum quod iam dixi, quòd placebo Domino in regione viuorum: vel vt ad hebraicam verit. vertit Hieronymus: quia deambulabo coram Domino in terris viuentium.Et quia id credidi & persuasissimum habeo,ideo locutus sum, videlicet de præmijs,quæ pijs seruantur in cælo.Verùm 70. interpretes & Symmachus diuidunt hunc psalmum, sicut & latini codices. Ex persona itaque ecclesiæ & cuiuslibet hominis pij canitur hic psalmus, qui in afflictionibus & persecutionibus se sustinet, & recreat firma fide, & indubitata spe resurrectionis & præmiorum cælestium, paratus etiam vitam suam Christo impendere, vt aliqua parte compenset immensa Dei erga se beneficia. Porrò loqui, hoc loco est prædicare & annunciare omnibus, quanta sint piorum præmia. Sic Apostolus capite 4. posterioris epistolæ ad Corinthios, ostendere volens se non temerè nec immeritò gaudere, & gloriari in maximis malis & afflictionibus, citat testimonium huius psalmi, simul aperiens nobis verum intellectum psalmi. Habentes autem, inquit, eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur, scientes quoniam qui suscitauit Iesum,& nos cum Iesu suscitabit.

¶ B. Quod interpres vertit hoc loco excessum, græcè est ἔκστασις,quam vocem seruauit August. sic enim legit: Ego autem dixi in ecstasi mea: hebraica veritas legit,in stupore meo. Significat itaque Ecstasis hoc loco non alienationem mentis quæ fit diuina inspiratione aut reuelatione, sed mentis emotionem, quæ fit aut stupore aut pauore aliquo. Ad pauorem refert Diuus Augustinus: Ecstasin (inquit) pauorem dicit, quem comminantibus persecutoribus, & imminentibus passionibus & mortis cruciatibus humana infirmitas patitur. Conterritus enim respexit infirmitatem suam, & vidit non in homine aliquo sibi fidendum, eò quòd omnis homo sit mendax, id est, fallax, nec tutum refugium aut fidum præsidium aut veram salutem cuiq; præstare valens:quod clariùs explicat hebraica veritas, quæ legit, Omnis homo mendacium: mendacium appellans, vt Hieronymus inquit, vmbram & falsam imaginem: vmbra enim nihil est fallacius, nec imagine quicquam vanius. Eodem sensu alibi dixit Dauid, Vanitas est omnis homo viuens:&,In imagine pertransit homo. ¶ C. Notanter dixit,pro omnibus quæ retribuit mihi,nõ quasi beneficium aliquod priùs pręstiterimus Deo,sed quia pro sceleribus & offensis nostris,quibus tormeta debebãtur,reddidit bona.Sic et suprà:Benedic inquit anima mea Domino,et noli obliuisci omnes retributiones eius.Porrò nihil dignius Deo reddi potest,quàm par pari referamus:vt quia Christus vitã suã effuso sanguine suo nobis impẽdit, & nos libenter pro Christo vicissim sanguinẽ fundamus & mortem oppetamus:id enim est sumere &

 bibere

bibere calicem Salutaris, hoc est, Iesu calicem, de quo dixit: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Nihil enim dignius, nihil gloriosius apud Deum, quàm eiusmodi mors: vnde subdit: Præciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quod autem vertit hoc loco, pręciosa, heb. veritas legit, gloriosa, gręcè est τίμιος, quod & pręciosum & honorandum significat: nam τιμή, & precium & honorem significat. Quare meliùs vertisset hoc loco, Honorãda in conspectu Domini mors sanctorum eius. Benè autẽ dixit in conspectu Domini, quia apud homines est ignominiosa. ¶ D. Duplicibus vinculis alligamur: nam & peccata nos vinciunt: vnde dictum est à Salomone, funibus peccatorum suorum constringitur impius. Alligamur præterea vinculo carnis quo solui cupiebat Apostolus. Cupio inquit dissolui & esse cum Christo, vtrisq; autem vinculis soluimur per Christum. ¶ E. Sacrificium hoc perpetuæ laudis non potest plenè persolui in hac mortali vita, quare hæc vota redditurum se dicit in atrijs cælestibus & superna illa Hierusalem, quæ est mater omnium nostrûm.

Alleluia. Psalmus CXVI.

LAudate A Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam B confirmata est super nos misericordia eius, & veritas C Domini manet in æternum.

¶ A. Vocationem omnium gentium ad fidem Christi, breui hoc psalmo vaticinatur propheta, inuitans eas vt cum fideli populo Iudaico Deum collaudét, quòd firmauerit suam misericordiam super populum suum, quem ex Iudæis & Gentibus sibi collegit. Suo more autem id quod futurum erat, quasi iam factum commemorat, ad ostendendam certitudinem prophetiæ huius: vnde & Apostolus Paulus scribens Romanis, cùm docere vellet, gentes per specialẽ gratiã ad fidem Christi vocatas, & ob idipsum, debere honorificare & gratias agere Deo, vsus est testimonio huius psalmi. Sic enim habet, Dico Iesum Christum ministrum fuisse Circuncisionis propter veritatem Dei, ad confirmãdas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Laudate Dominum omnes gentes, & magnificate eum omnes populi. ¶ B. Confirmata est Dei misericordia super nos, cùm effudit super nos dona Spiritus S. & in filios nos adoptauit. Quisquis enim nõ habet spiritum Christi, hic non est eius, sed adulterinus & nothus est, à quibus Dei misericordia aufertur, cùm nullum peccandi finem faciant, immemores gratiæ per Christum acceptæ: verùm à genuinis filiis non aufert misericordiam suam. Sic enim psalmo 88. pollicitus est filio suo Christo sub appellatione Dauid: Si dereliquerint filij eius legem meam etc. visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autẽ meam non dispergam ab eo. Cùm autem dicit propheta, super nos, non excludit populum Iudaicum, vnde & 1. versu, cùm gentes nominasset, subiecit, Laudate eum omnes populi, Iudaicum populũ sine dubio comprehendere simul volens. ¶ C. Veritas hoc loco, & infinitis alijs locis, significat fidem diuinarum promissionum, hoc est, constantiam dictorum & factorum Dei. Hęc autẽ veritas in æternum manere dicitur, quia pijs ęterna præmia in cęlis daturus est quæ promisit: impijs autem & peccatoribus æterna supplicia, quæ comminatus est.

Alleluia. Psalmus CXVII.

COnfitemini A Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Dicat nunc Israël quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Dicat nunc domus Aaron, quoniam in seculum misericordia eius. Dicant nunc omnes qui timent Dominum, quoniam in seculum misericordia eius B. De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo C. Dominus mihi adiutor, & ego despiciã inimicos meos. Bonum est confidere in

dere in Domino, quàm confidere in homine. Bonũ eſt ſperare in Domino, quã ſperare in principibus. Omnes [D] gẽtes circuierunt me, & in nomine Domini (quia) vltus ſum in eos. Circũdãtes circũdederũt me, & in nomine Domini (quia) vltus ſum in eos. Circundederũt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini (quia) vltus ſum in eos. Impulſus euerſus ſum vt caderẽ, et Domin⁹ ſuſcepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutẽ. Vox exultationis & ſalutis, in tabernaculis iuſtorum. Dextera Domini fecit virtutẽ, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem. Non [E] moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. Caſtigãs caſtigauit me Dominus, & morti nõ tradidit me. Aperite [F] mihi portas iuſtitię, ingreſſus in eas confitebor Domino, hęc porta Domini, iuſti intrabunt in eam. Cõfitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Lapidem [G] quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factũ eſt [H] iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc [I] eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. O [K] Domine ſaluũ me fac, ò Domine bene proſperare [L], benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus et illuxit nobis. Conſtituite [M] diem ſolennem in condenſis, vſq; ad cornu altaris. Deus meus es tu & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te. Confitebor tibi quoniã exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

¶ A. Ex perſona eccleſiæ ſiue fidelis populi hũc pſalmũ canit propheta. Inuitamur enim ad cõfitendũ & laudandũ Deũ propter ſalutẽ collatã nobis per Chriſtũ, qui lapis fuit, vt Petrus inquit, ab hominibus quidẽ reprobatus, ſed à Deo electus & honorificatus: factus lapis angularis, qui ex Gentibus & Iudæis vnã eccleſiã cõiunxit, & nouum ſibi ex vtriſq; condidit populũ: vnde & voces illæ gratulantiũ Chriſto, Benedictus qui venit in nomine Domini etc. O Domine ſaluũ fac, etiã euãgelicis literis celebratę ſunt: nam illud, Oſana, hebraica vox eſt ex hoc pſalmo deprompta, latinè ſonans, O Domine, ſiue, Obſecro ſaluũ fac. Quę à Iudęis quidem & pueris Iudęorum acclamatę ſunt Chriſto, ſed eccleſiã fidelis populi repræſentantibus, qui ſub puerorum nomine ſuprà quoq; inuitãtur ad laudes Chriſti, cùm inquit, Laudate pueri Dominũ. ¶ B. A quinto verſu vſq; ad illum verſum, Lapidẽ quem reprobauerũt ędificantes, ex eccleſię perſona omnia dici poſſunt, ſic tamẽ vt non excludamus caput, id eſt, Chriſtum à corpore ſuo myſtico, quod eſt eccleſia. Iuxta hominẽ enim aſſumptũ verè dixit, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, eodem modo & cętera ad Chriſtũ referri poſſunt. ¶ C. Abuſi ſunt hoc loco 70. interpretes poſitiuo loco comparatiui, quem ad heb. verit. expreſſit Hieron. hoc modo: Meliùs ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus: vel dicendum eſt, coniunctionem, quàm, quòd græcè eſt, ἢ, non facere hoc loco vllam comparationẽ, ſed eſſe particulam ſublatiuã, vt duobus præpoſitis, alterum tollatur: hoc ſenſu, Bonũ eſt ſperare in Domino, et nõ ſperare in principibus. Sic enim & græci vtuntur aliquando hac particula, ἢ: Vnde illud Homeri, Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι, id eſt, volo ego populum ſaluũ eſſe, quàm perire, hoc eſt, & non perire. Porrò verſiculum hunc quintum hebraica veritas legit hoc modo: Cùm tribularer inuocaui Dominũ, et exaudiuit me in latitudine Dominus. Quod autẽ latinus interpres vertit latitudinẽ, gręcè eſt πλάτυσμος, id eſt, dilatatio potiùs q̃ latitudo: eſt enim verbale nomẽ à gręco verbo πλατύνω, id eſt, dilato, quo vſus eſt pſal. 4. ibi. In tribulatione dilataſti mihi. Eſt itaque ſenſus hoc loco, Dominus exaudiuit me, ita vt cordis latitudinem, vel dilatationem potiùs, id eſt, gaudium et hilaritatem cordis tribueret. Nam cor,

vt mœrore

vt mœrore contrahitur,ita lætitia dilatatur:Vnde illud Esaiæ,Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum. ¶ D. Ad ecclesiam hic versiculus & sequentes rectiùs quàm ad Christum referuntur. Nam ecclesia circundata est ab omnibus gētibus idololatris persequentibus eā,& Christi nomen abolere cupientibus, non secùs atq; apes solent eum qui aluearia commouendo turbat & irritat eas in mellificio suo : & exarserunt indignatione nimia & odijs capitalibus aduersus Christi cultores frementes , & minas & cædes crepantes.Spinarum enim appellatione sæpe peccatores significantur veritatem impugnantes:vnde 2. Regum cap.23.Præuaricatores velut spinæ euellentur: et si quis tangere eas voluerit , armabitur ferro, ignique succensæ comburentur vsque ad nihilum.Si quis ad Christum hæc quoque referre volet,dicet illū non modò ab vna gente Iudaica circundatum , sed etiam ab alijs gentibus quibus traditus est conspuendus, flagellandus,& crucifigendus. Quod autem nos legimus,Et in nomine Domini , quia vltus sum in eos:D.Hieron.ad hebr.veritatem meliùs legit sine coniunctione,quia,& ita est apud 70.in græcis codicibus, quam lectionem & D. Aug. sequitur in suis commentarijs in hūc psalmum : Et in nomine Domini(inquit) vltus sum in eos: siue quia extincta in eis malitia,qua christianum populū persequebantur, christianis sociati sunt: siue quia cęteri qui contempserunt vocantis misericordiam, veritatem iudicantis sensuri sunt. In nomine Domini enim id fieri dicitur,quod fit aut voluntate Domini, aut ad gloriam Domini.Ita legimus 4.Reg. 2.cap.Helizæum pueris irridentibus & caluitium illi exprobrātibus maledixisse in nomine Domini,et ab vrsis deuoratos esse vniuersos. ¶ E. Vox ecclesię siue martyrum est:Persecutores enim inquit August.stragem funerum vbiq; facientes,ecclesiam Christi mori arbitrabantur:at vbique Christus martyrum gloria est,vicit vapulando ferientes,patiendo impatiētes,diligendo sæuientes.Cur autem tam indigna pertulit corpus Christi sancta Ecclesia?Emendans(inquit) emendauit me Dominus,& morti nō tradidit me, hactenus Aug. ¶ F. Quia Christus per fidē nos iustificauit,et à peccatis expiatos reddidit,qui factus est à nobis à Deo sapiētia,iustitia,sanctificatio,et redēptio,ecclesia cum tota fiducia cęli portas sibi aperiri cupit,quas portas iustitiæ appellat,quòd iustitia ad cælos nos euehat:easdē vocat Domini portas,quòd Dominus noster Christus eas nobis primus aperuit.

¶ G. Ædificantes,vocat Scribas,Pharisæos, & Iudæorum pontifices, quòd literæ inhærētes, suam,hoc est,legalem iustitiam ædificarent & stabilirent,relicta Dei iustitia, quæ constat charitate Dei & proximi, sine qua omne ædificium dissoluitur & corruit: vnde benè Ezechiel propheta hos notauit cap.13. Deceperunt populū meum dicentes, pax, pax,& non est pax, & ipse ædificabat parietem: illi autem liniebant eum absque luto & paleis:dic ad eos qui liniunt absque temperatura,quòd casurus est.Ab his ergo reiectus Christus, factus est lapis angularis,connectens duos parietes,id est,circuncisionem & pręputium,vt duos condat in vnum nouum hominem,in viuum Dei tēplum.

¶ H. Apud septuaginta interpretes non hoc loco genus neutrū,sed fœmineum est, ἄυτη,id est,hæc,quod ad lapidē referri nō potest,qui gręcè est masculini generis ὁ λίθος quare vel ad caput vel ad angulū est referēdum , quorū vtrumq; est fœmineum:certè D.Hieron.ad Damasum papam scribens legit : A Domino factus est hic,& est mirabilis in oculis nostris: & D.quoque August.legit,Et est mirabilis in oculis nostris.Quare apud 70.ad vtrunq; referri potest, vt sensus sit,hic angulus, id est, angularis lapis: vel hoc caput , id est , Christus vtriusq; populi princeps factum est à Domino . Quamuis Aug.legat per datiuum hoc modo:A Domino factum est ei,nimirum capiti aut angulari lapidi,id est,hic honor delatus est ei à Deo patre.Nam interpres quem secutus est Aug.videtur legisse ἄυτῇ per datiuū,quod est ei.Aut si quis omnino velit hoc loco neutrum genus retinere,dicimus 80 . abusos fœmineo genere loco neutri, more hebręorum,vt in illo,Vnam petij à Domino,pro , Vnum petij à Domino.

¶ I. Non vnam diem,hoc est, spacium 12.aut 24. horarum significat , sed tempus ipsum:sic enim apud latinos dies in fœminino genere ferè vsurpatur, vt in illo poëtæ, Longa dies homini docuit parēre leones:Longa dies molli saxa peredit aqua. Sic dictum est & illud apud Comicum,Diem adimere homini ęgritudinem,hoc est,tempus. Diem itaque quem fecit Dominus , hoc loco appellat tempus redemptionis humanę, de quo Esaię 49.Tempore(inquit)accepto exaudiui te,& in die salutis adiuui te.

¶ K. Accusatiuus me, hoc loco redundat & superest , qui nec apud 70.gręcè est, nec in emendatis exemplaribus latinis : nam gręcè sic legimus Ω κύριε σῶσον δή. Hebraica veritas ita legit interprete Hieron. Obsecro Domine salua obsecro . Nec enim

vni alicui

vni alicui salutem precatur propheta, sed toti humano generi. Quod autem hebraica veritas legit, Obsecro, 70. verterunt per ὦ aduerbium vocandi: est enim hebraica vox אנא, qua dictione vtuntur hebræi pro interiectione deprecantis ad exprimendum petentis affectum, vt nos dolendo dicimus, heu: admirando, papæ: blandiendo, sodes, amabo: eadē vox est psalmo 114. ibi, O Domine libera animā meā, quo loco Symmachus interpres vertit, Obsecro Domine libera animam meam: altera vox est הושיעה hosiah, quod idem est quod, salua aut saluifica: deinde iterum sequitur vox אנא, id est, obsecro, pro qua 70. posuerunt græcè δὴ expletiuam particulam. Nam particula Anna ter ponitur apud hebræos in hoc versiculo, vt annotat D. Hieron. scribens ad Damasum papam, enarrans significationem huius orationis Osanna, quam dicit nos corruptè pronunciare, cùm sit dicendum, Osianna, vt sit synalephe aut synæresis duarum vocalium in vnam, aut potiùs duarum syllabarum in vnam pro, hosiahanna, vt kyrieleison pro kyrie eleyson. ¶ L. Vel patriarcharum & prophetarum, vel angelorum vox est imprecantium Christo in redimēdo humano genere prosperitarem: sic psalmo 44. Prosperè procede & regna: & iterum alibi, Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Quod autem sequitur, Benediximus vobis de domo Domini, apostolorum vox est, qui cœlestem benedictionem attulerunt gentibus postquā illuxit illis Dominus: vnde hortantur omnes ad agendum festum diem, non Iudaico more, sed spiritualiter, sicut Apostolus Paulus scribens Corinth. Epulemur inquit, vel vt grecè est, festū diē agamus in azimis synceritatis & veritatis. ¶ M. Quod interpres vertit, Constituite diem solēnem in condensis, heb. veritas interprete D. Hier. legit: Frequentate solennitatem in frondosis, explicans nimirū quæ sint condensa, rami, scilicet densarum frondiū, quibus exornare solent Iudæi loca festiuitatem celebrantes: nā πυκάζω verbū grecū, cuius participio vsi sunt 70. significat plura, videlicet denso, orno, corono, compono: vnde Christo ingredienti Hierusalē obuiam processit turba cum ramis palmarū, cæteris viam sternentibus arborum frondosis ramis, quibus virtutum ornamēta mysticè significantur, sine quibus nunquam ritè diem festum Domino celebramus: virtutibus itaq; ornati diem festū Christo iubemur quandiu in hac vita sumus, donec cælestia atria ingressi prouehamur ad diuinitatem eius contemplandam, quam per cornu altaris symbolicè hoc loco significat. Super hoc enim altari quotidie Deo patri preces suas offert ecclesia, finiens eas perpetuò hac clausula, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

א Aleph.

Alleluia. *Psalmus* CXVIII.

BEati[B] immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirūt eum. Non enim qui operantur iniquitaten, in viis eius ambulauerunt. Tu mandata tua custodiri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas. Tunc non confundar[D], cùm perspexero in omnibus mandatis tuis. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici iudicia iustitiæ tuæ. Iustificationes tuas custodiam, non me derelinquas vsquequaque.

¶ A. Totus hic psalmus 118. apud hebræos secundum ordinem literarum scriptus est: sicut autem hebræi 22. elementa habent, quibus omnia sua scribunt, ita & hic psalmus viginti duos octonos versus habet, quorum non modò primus, sed & septem reliqui ordine sequentes ab eadem incipiunt litera, quam præfixam habent: sicut enim apud heb. primus versus cum 7. reliquis incipit ab Aleph, quam præfixā habet in fronte, ita nouus versus hic: In quo corrigit adolescentior etc. cum 7. sequentibus, à beth litera incipit, & ita de reliquis. Iosephus autem in libris ἀρχαιολογίας, hoc est, de antiquitate Iudaica, author est hunc psalmum, & canticum Mosi in Deuteronomio constare metro elegiaco, quòd significat prior versus sex pedibus constet: alter verò vno minùs constāns in pentrametrum finiatur. Totus

itaq; hic psalmus moralis est:vnde & D. Ambrosius cur literarum ordine procedat,hãc esse dicit causam,vt quemadmodum paruulorum inquit ingenia primis literarum elemẽtis assuescũt discendi vsum assumere,ita etiam nos huiusmodi elemẽtis vsum discamus viuẽdi. Nec octonarius numerus,vt Ambr. in hunc psal.annotat, vacat mysterio: nã octaua die solẽnis erat purgatio,vel propter circuncisionẽ,quę octauo die celebrabatur:vel propter Christi resurrectionẽ,qua purgatũ est totius mũdi peccatũ. ¶ B. Quẽadmodum psal.1.gradibus quibusdã descripsit beatitudinẽ viri , ita & hoc loco gradus quosdã beatitudinis ponit. Prim⁹ est,immaculatũ esse et immunẽ à peccatis in via huius mortalitatis. Alter est,ambulare, hoc est,progredi in lege Domini,& semper ad perfectiora virtutum prouehi. Tertius est,scrutari testimonia Domini, quod psalmo primo dixit,Meditari in lege Domini die ac nocte. Quartus et supremus gradus est,purificata mẽte,et semper ad anteriora et perfectiora se extẽdẽte,cum iugi meditatione & contẽplatione diuinorum,Deum ceu fontem omnis boni exquirere,et illum perpetuò sitire.

¶ C. D. Hilarius legit,Tu mandasti mandata tua custodiri valde, idq; meliùs: non est enim græcè ἀγάν,quod sonat nimis,sed σφόδρα,id est, valde, admodum, & summo studio. Nimis enim,ferè vitium sonat. Quoniam autem toto hoc psalmo crebra mentio fit legis,testimoniorum,iustificationum,mandatorum,& iudiciorum, singula interpretanda nobis sunt:nam quòd non eadem sint omnia hæc,satis declarat psalmus 18. qui singula horum distinguit,& suis epithetis ornat:sic enim habet,Lex Domini immaculata conuertens animas,testimonium Domini fidele,sapientiam præstans paruulis. Iustificationes Domini rectè lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Iudicia Domini vera,iustificata in semetipsa. Lex itaq; omnia reliqua complectitur in se,quæ non modò libros 5. Mosi,sed & prophetas, & in summa, quicquid sacrorum voluminum vetus habet testamentum,comprehendit. Testimonia sunt,quæcunque testantur Dei potentiam,bonitatem,sapientiam,iustitiam,veritatem,& misericordiam, quæ bifariàm nobis exhibentur,partim ex sacris historijs , partim ex mundi gubernatione & rebus conditis:vnde Paulus Actorum 14 , In præteritis inquit generationibus dimisit Deus omnes gentes ingredi vias suas, & quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciẽs,de cælo dans pluuias,& tempora fructifera. Porrò iustificationes,sunt crassiora illa pręcepta legis,quæ constãt esu agni pascalis,delectu ciborum,id est,mundorum & immundorum animalium,ritu hostiarum,lotionum,et in summa,quicquid in lege vmbrã habebat rerum futurarum , de quibus Apostolus cap. 11. ad hebr. Habuit inquit & prius testamentum iustificationes culturæ, & sanctum seculare:& paulò infrà , Offeruntur hostiæ & munera quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere,seruientem solummodo in cibis,& in potibus , & in varijs baptismatibus et iustificationibus carnis,vsq; ad tẽpus correctionis impositis. Quanuis D. Hilarius iustificationes ad vitæ communis officia referat. Mandata autem vt Hilarius, inquit,sunt,in quibus nulla est vmbra futurorum,sed præceptorum obseruatio, vt decalogi pręcepta,Non occides,Nõ mœchaberis,Diliges Dominũ Deum tuum etc. vnde bene Lucas euangelista hæc discreuit à iustificationibus cap. 1. sui euangelij de Zacharia & Elizabet loquens : Erant inquit ambo iusti ante Deum,incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Dei. ¶. D. Quoties enim peccamus, & præcepta dominica transgredimur,reprehendit nos cor nostrum & conscientia, & pudore nos afficit , & omnem libertatem castigandi & reprehendendi aliorum errata nobis adimit, nec sine verecundia nos permittit bene viuendi præcepta alijs tradere:vnde alibi Dauid,Peccatori inquit dixit Deus,Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? quod & gentilis poëta vidit, cùm inquit: Vnde tibi frontem libertatẽq; parentis,cum facias peiora senex? benè ergo propheta infrà dicit,quia mandata tua quęsiui,loquebar de testimonijs tuis in cõspectu regum,& non confundebar.

ב *Beth.*

IN quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. In toto corde meo exquisiui te , ne [E] repellas me à mandatis tuis. In corde meo abscondi eloquia [F] tua, vt non peccem tibi . Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas. In labiis meis pronunciaui omnia [G] iudicia oris tui. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, si-

ſum ſicut in omnibus diuitiis. In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos.

¶ E. Orat propheta ne repellatur à mandatis diuinis, hoc eſt, ab obſeruatione diuinorum mandatorum. A quibus tunc repellimur, quoties obſeruantia noſtra Deo diſplicet, quod ideò fit, quia tepidi & negligentes ſumus in ſeruandis præceptis dominicis, partim mundanis negotijs dediti, partim diuinis rebus intenti, quod eſt reuera claudicare, nec rectos curſus in via mandatorum Dei ſeruare. Id autem contingit, quia non exquirimus Deum ex toto corde. Vnde Apocalypſis 3. ſcriptum eſt: Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. Vtinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Quod itaque hic eſt euomere, ſuprà dixit repellere. ¶ F. Quod interpres hoc loco, & ſæpe infrà vertit eloquia, græcè eſt λόγια. Porrò λόγιον græcè propriè ſonat, latinè oraculum, hoc eſt, diuinum reſponſum, aut vaticinium. Hinc Dionyſius Areopagita verba ſacræ ſcripturæ non alia appellatione quàm λογίων, id eſt, oraculorum vocat in libr. de diuinis nominibus et alijs operibus ſuis. Ambroſius, Peccat enim Deo inquit, qui commiſſa ſibi ſecreta myſteria putauerit indignis eſſe vulganda. Periculum itaque eſt non ſolum falſa dicere, ſed etiam vera, ſi quis ea inſinuet, quibus non oportet. Quod vitium quadripartitum eſt, vel adulationis, vel auaritię, vel iactantię, vel loquacitatis incautę. Hęc ille.

¶ G. Vox hæc (iudicia) frequens eſt in hoc pſalmo. Quoties autem pluraliter vſurpatur, bifariam accipi ſolet in ſacris literis. Sunt enim iudicia aliquando occultæ illæ & inperueſtigabiles rationes operandi in Deo, quibus ſua ſingulis decernit, & tribuit hos eleuans, illos deijciens: hos ſaluans, illos interire permittens, quæ tametſi humano ingenio veſtigari nequeant apud iuſtiſſimum Deum plena æquitatis & rationis ſunt. De quibus Dauid alibi, Iudicia Dei abyſſus multa. De his itaque hoc loco non loquitur Dauid, Si enim ineffabilia ſunt, humano ore pronuntiari nequeunt. Alia ſunt iudicia ſcripta, hoc eſt, placita diuina quæ cenſuit Deus & voluit obſeruari in officijs vitæ communis, qualia ſunt quibus præcipitur de ratione contractuum, de conditione ſeruorum apud hebræos, de inſpectione lepræ, de conuictu Proſelytorum ſiue aduenarum, de pœnis præuaricatorum legis Moſaicæ & alia eiuſmodi. Hæc autem ferè iunguntur præceptis quod illis affinia ſunt. Sic Deuteronomij 4. capite. Moſes inquit, Et nunc Iſraël audi præcepta & iudicia quæ ego doceo te, vt faciens ea, viuas, & iterum cap. 12. Hęc ſunt inquit, pręcepta atque iudicia quę facere debetis in terra, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis: vnde Dauid pſalmo 88. Iudicia diſcreuit à mandatis ſiue pręceptis. Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iuſtificationes meas (ſic enim gręcè eſt, non autem iuſtitias) prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint. Viſitabo in virga etc.

ג Gimel.

Retribue [G] ſeruo tuo, viuifica [H] me, & cuſtodiam ſermones tuos. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege [I] tua. Incola ego ſum in terra, non abſcondas [K] à me mandata tua. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes [L] tuas in omni tempore. Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis. Aufer à me opprobrium [M] & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui. Etenim ſederunt principes [N], & aduerſum me loquebantur, ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis. Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium

meum iustificationes tuæ.

¶ G. Constanter sibi retribui precatur, nimirum cælestia bona ob id quòd Deo seruiat. Qui enim seruus est Dei, non seruit peccato, non seruit ventri, non seruit auaritiæ: peccandi enim consuetudo in fœdissimam seruitutem nos deducit. Magnum est itaque, inquit Hilarius, tantam in se Dei misericordiam recognoscere, & scire consuetudinem criminum procul à se abesse, & dignum Dei misericordia se esse cœpisse. ¶ H. Quod in latinis codicibus vulgò legimus, Viuifica me & custodiam sermones tuos, græcè est ζήσομαι, id est, viuam, non autem viuifica: nec additur græcè accusatiuus, me, quomodo Ambrosius legit, & item Hilarius, & hoc modo interpretatur, Viuam (inquit) & obseruabo sermones tuos. Viuam & obseruabo non præsentis temporis res est, sed significatio huius sermonis in futurum se tempus extendit. Scit enim propheta, quando beata illa & vera viuentium vita sit. Hanc ergo retributionem propheta orat, vt viuat in loco altero, de quo alibi, Placebo, inquit, Domino in regione viuorum: hic enim manemus in puluere mortis. ¶ I. Legis appellatione sæpe tota sacra scriptura veteris instrumenti significatur: hoc loco autem pentateuchus legis nomine notatur, de qua Apostolus: Scimus, inquit, quoniam lex spiritualis est. Orat itaque, inquit, Hieronymus abstergi ab oculis cordis velamen literæ, vt spirituali sensu mirabilia diuinæ legis contempletur. Scit namque (inquit Hilarius) ea quæ corporaliter in lege præcepta sunt, vmbram esse & speculum futurorum. Meminit sancta esse sabbata, sed in æternorum sabbatorum requie esse desiderat: immolat agnum Paschæ, sed adsistere ei agno, qui per Ioannem reuelatur, concupiscit. Iubilæi quinquagesimi anni legem explet, sed Pentecostados remissionem ac renouationem obtinere festinat. Induci quoque in terram sanctam, & fluentem lacte & melle, tanquam totius orbis peregrinus optat. ¶ K. Nemo enim, nisi is qui peregrinum se in corpore hoc agnoscit, cognitione mandatorum est dignus. Quærat autem quis, quomodo alibi dixit, præceptum Domini lucidum illuminans oculos, & hîc orat ne abscondantur à se mandata: sciendum primum illud legis mandatum, Diliges Dominum Deum tuum etc. illuminare nos, & per illud mandatum deduci in cognitionem reliquorum mandatorum. Nisi enim quis ex toto corde diligat Deum, non potest scire quomodo diligendus sit proximus, in quo summa reliquorum continetur mandatorum.

¶ L. Apud 70. gręcè non est hoc loco iustificationes, quę gręcè appellantur δικαιώματα, sed iudicia quæ apud illos appellantur κρίματα, consentit his hebraica veritas quę legit hoc modo, Desiderauit anima mea desiderare iudicia tua in omni tempore: suffragantur huic lectioni & Hilarius & Ambrosius, quorum vterque legit iudicia & similiter interpretantur: vnde Ambrosius enarrans hunc versum, Concupiscimus desiderare, inquit, quasi non sit potestatis nostræ desiderare, sed gratię Dei. Qui autem mandata cognouerit & custodierit, non refugit iudicia Dei, sed desiderat. Cùm enim peccamus, non concupiscimus desiderare iudicia Dei. Neque enim ęgrotus vri desiderat, aut incidi: qui autem salutarem habet valetudinem, medico securus occurrit: Hęc ille. ¶ M. Omnia peccata opprobrio digna sunt, quod illa perpetuò sequitur, vt vmbra corpus. Non enim de humano opprobrio loquitur, cùm illud contemnere iubeamur, si illo afficiamur propter iustitiam. Sic enim Dominus apud Esaiam cap. 51. Nolite inquit timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis, sed ęternum illud opprobrium hoc loco intelligit, ob quod contemnetur à Deo & ab omnibus angelis peccator, de quo Salomon in Prouerbijs: Peccator cùm venerit in profundum, contemnit: sed sequitur illum opprobrium & ignominia: & Hieremias cap. 20. Non intellexerunt inquit opprobrium sempiternum, quod non delebitur.

¶ N. Cùm virtus & probitas apud homines seculi semper pateat contemptui, maximè tamen apud magnates & principes, non tamen desijt propheta se exercere in mandatis & iustificationibus Dei, quanquam ob id calumniam pateretur, quod in apostolis & martyribus futurum quoq; videbat, qui multa coram regibus & principibus perpessi sunt propter Christum, qui licèt diuersis pœnis affecti vsque ad sectionem ceruicum, tamen semper se exercuerunt in Dei iustificationibus, vt inquit Hieronymus, Quòd si quis per principes dęmones intelligat, habet Ambrosium quoque quem sequatur.

ד Daleth.

ד *Daleth.*

ADhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundū verbū tuum. Vias meas enunciaui & exaudisti me, doce me iustificationes tuas. Viā iustificationū tuarū instrue me, & exercebor in mirabilibꝰ tuis. Dormitauit [P] anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis amoue à me [Q], & de lege tua miserere mei. Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus. Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere. Viam mandatorum tuorum cucurri [R], cùm dilatasti cor meum.

¶ O. Octonarius hic versuum à ד daleth litera incipit. Apud hebræos autem adeò nihil vacat mysterio in sacris literis, vt & elementorum nomina, quæ apud græcos & latinos nihil præter literas nobis denotant, apud illos certas res significent. Quatuor itaque elementa alphabeti hebraici Aleph, Beth, Gimel, Daleth siue Deleth, hunc reddunt sensum. Doctrina domus, plenitudo tabularum, quo significatur interprete Hieronymo ad Paulam Vrbicam, quòd doctrina ecclesiæ, quæ est domus Dei, in librorum reperiatur plenitudine diuinorum: Quod autem dicit, Adhæsit pauimento anima mea, corpori mortali animam coniunctam intellige, quod idem alibi questus est. Adhæsit in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster: vt enim pauimentum è terra argillacea aut cretacea solidatur, ita & corpus nostrum è terrena materia in vtero materno firmatur & compingitur: ex consortio autem corporis terreni polluitur sæpe anima, quare assiduè cum hoc conflictandum est animæ, vt se ab eius societate diuellens tanquam peregrina eius incolatu vtatur, & carni mortua Deo viuat. ¶ P. Diuus Ambrosius scribens in hunc psalmum, et item Hilarius annotant variare hoc loco codices græcos: nam alios habere ἐνύσταξεν, id est, dormitauit anima mea, vt significet propheta se graui hoc et mortali corpore ad peccata solicitari, & tædio quodam virtutum opprimi. Alios autem codices habere ἔσταξεν, id est stillauit, quam lectionem Origenes sequitur, & eo modo ad hebraicam veritatem transtulit Diuus Hieronymus, vt propheta conqueratur, animam suam necdum satis compactam & solidatā virtutibus perstillare, & ad peccati illecebras inuitam titillari: nam aquarum nomine, sæpe voluptates & carnis illecebræ notantur: vnde illud Salomonis, Tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier: symbolicè per litigiosam mulierem, voluptatem denotans, quæ semper plus aloës quàm mellis habet: et alibi, In infirmitate manuum perstillat domus. ¶ Q. Græcè est, τῷ νόμῳ σου, id est, lege tua, quomodo Hila. & Amb. legunt, vt sensus sit, Miserere mei per legem tuam, legem non factorum intelligēs, sed legem fidei, vt Aug. inquit. Nam in lege factorum, hoc est, Mosaica lege, est iubentis & comminantis iustitia: in lege fidei, est subuenientis misericordia. Si autem Mosaicam legem accipere voles (vt Hilarius interpretatur) orat vt eā misericordiā sibi præstet, quam lex Dei cultoribus pollicetur. ¶ R. Via mandatorum Dei, quæ angusta & arcta est ingredientibus, iā assuetis in ea expāditur, vt per eā currere piis liceat, quod & per Salomonē Dominus pollicetur Prouer. 4. cap. Viam inquit sapientiæ monstrabo tibi, & ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum: sed ne quid insolentiùs dicere videatur, & suis quicquam tribuere viribus, addit, Cùm dilatasti cor meum, hoc est, quando charitate quæ per Spiritum S. diffunditur in corda nostra, expandisti sinus animæ meę, & illam exhilarasti gaudio spirituali, & dilatasti spe cælestiū pręmiorū: vt enim metu & tristitia animus contrahi dicitur, ita spe & gaudio dilatari.

ה He.

LEgem [S] pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. Da mihi intellectum & scrutabor legē tuam, & custodiā illā in toto corde meo. Deduc [T] me in semita mādatorum tuorū, quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in

 auari-

auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem [V], in via tua viuifica me. Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo. Amputa opprobrium meum quod suspicatus [X] sum, quia iudicia tua iucunda. Ecce concupiui mandata tua, in æquitate tua viuifica me.

¶ S. Primum hunc versum durè transtulit interpres latinus cùm vertere debuisset hoc modò: Legem pone mihi Domine viæ iustificationum tuarum. Orat enim doceri, qua lege viam iustificationum Dei adeat, hoc est, quibus institutis & præceptis intelligat abditam illam rationem iustificationum Dei, quare clariùs hebraica veritas interprete Hieronymo legit hunc versiculum, hoc modo, Ostende mihi viam etc.

¶ T. Græca vox est ὁδήγησον, id est, dux mihi esto. Orat enim vt iam ingressus viam mandatorum Dei, Deum perpetuò ducem habeat, necubi aberret, aut ex ea declinet: quomodo enim alioqui iam deduci postulet in semita mandatorum Dei, per quam paulò antè dixit se cucurrisse?

¶ V. Si verè dixit Christus, Ego sum veritas & vita, profectò quicquid sine Christo est, quicquid alienum à Deo est, vanitas & mendacium & mors animæ est, adeò vt & homo ipse ad Dei imaginem & similitudinem factus, si per apostasiam relicto Deo ad peccata declinet, vanitas à propheta dicatur alibi: Vanitas, inquit, est omnis homo viuens: si autem homo vanitas e , quanto magis omnia reliqua fluxa & caduca, quæ propter hominem condita sunt: vnde benè Salomon intelligens omnia esse vanitatem, vt homo, qui vana sectando ipse quoque factus est vanitas vmbra, & mendacium, iterum esse incipiat, & per veritatem subsistat, hoc præcepto claudit Ecclesiasten suum. Deum (inquit) time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo, significans obseruatione diuinorum mandatorum nos verè subsistere, & esse incipere. Quod autem sequitur, Statue seruo tuo eloquium tuum in timore tuo, hunc habet sensum, largire vt per timorem tuum eloquia tua apud me firma, rata, & immobilia permaneant semper: quæ enim violamus aut pro libidine nostra immutamus, ea minimè apud nos sancta stata & firma habentur.

¶ X. Benè dixit, opprobrium quod suspicatus sum, vel vt hebraica veritas clariùs legit, reueritus sum, quia scit neminem sine peccato esse: vnde alibi dixit, Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: quare & alibi, Cogitabo, inquit, vel vt græcè est, anxius siue solicitus ero de peccato meo, vt semper metuendum nobis esse sciamus, & de præteritis peccatis vt vera pœnitentia ea diluamus, et cauendum à præsentibus & futuris, ne in æternum incidamus opprobrium.

ו *Vau.*

ET veniat super me misericordia [Y] tua Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speraui in sermonibus tuis. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudiciis tuis supersperaui. Et custodiam legem tuam semper, in seculum & in seculum seculi. Et ambulabam [A] in latitudine, quia mandata tua exquisiui. Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar. Et meditabar [B] in mandatis tuis quæ dilexi. Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi,

&exer-

& exercebor in iuſtificationibus tuis.

¶ Y. Primùm precatur miſericordiam, deinde ſalutem, vt aptum ſeruet ordinem. Salus enim noſtra ex miſericordia Dei eſt. Nec dicit, fac mecum miſericordiam tuam, ſed veniat ſuper me, ſiue in me (vtrumque enim græce ſignificat) miſericordia tua. Porrò idem ſignificat per miſericordiam & ſalutare Dei, nimirum Chriſtum: vnde Ambroſius, Non eſt dubium quem videre propheta depoſcat. Totus enim hic locus Dominum Ieſum ſonat, quem euidentiùs alibi aduenire optabat, cùm dixit: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Ipſe enim author ſalutis noſtræ eſt, & fons miſericordiæ. Hunc itaque aduenire in ſe orat iuxta oracula prophetarum, quæ eloquia vocat interpres, vt poſſit incredulis exprobrantibus illi falſa eſſe oracula prophetarum, & ſtultam & vanam ſpem in Deo collocatam, reſpondere hunc ſermonem, quòd in Deo ſperat, qui nec fallere, nec falli poteſt. ¶ Z. Tollitur ex ore noſtro verbum veritatis, cùm dicitur nobis peccantibus, Quare tu enarras iuſtitias meas? & ipſa obmuteſcit facundia, ſi ægra ſit conſcientia. Et volucres cæli tollunt verbum de ore noſtro. Sunt & tentationum tempora inquit Amb. quæ tollunt ſemen verbi è ſaxo, ne radicem habentes fructificemus. Quia tamen meminit ſe peccatrici carne circundatum, modeſtè precatur, vſquequaq;, ſiue vt Hila. legit, vſq; nimis, hoc eſt, prorſus & omninò nõ auferas verbum veritatis de ore meo, nec penitus ſemine verbi Dei ſpoliari me permittas. ¶ A. Qui redarguẽte propria conſcientia deſperat, & malè ſibi metuit, is contrahitur: & in quo refrixit Dei charitas, is in arctum coanguſtatur. Per peccatorũ enim noſtrorũ cõſcietiã (vt inquit Hila.) coarctatur nobis omnis animæ amplitudo, ac difficilia omnia et anguſta ſunt, cùm diuini verbi habitatione ſumus indigni: hinc Apoſt. in poſteriore ad Corinth. epiſtola, In omnibus inquit tribulati, ſed non anguſtiati: & iterum, Non anguſtiamini inquit in nobis, ſed anguſtiamini in vobis. Cor noſtrum dilatatum eſt, dilatamini & vos, id eſt, effuſa charitate & amplo amoris ſinu nos viciſſim complectimini. ¶ B. Pulcherrimus rerum ordo hoc loco eſt: primùm enim intenta cogitatione voluẽda ſunt mandata Dei. Deinde eadem opere ſunt complenda, & manus illis admouendæ: id enim eſt leuare manus ad mandata: poſt hæc ne tedio vincamur aut moleſtia, diligẽda ſunt. Demum ne ſegnes reddamur, toti eſſe debemus in illis, vt in ijs ſit omne noſtrum ſtudium, conatus, & exercitium.

ז *Sain.*

MEmor [C] eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me. Superbi iniquè agebant vſquequaque, à lege autem tua non declinaui. Memor fui iudiciorum tuorũ à ſeculo Domine, & conſolatus ſum [D]. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam [E]. Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ [F]. Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam [G]. Hæc facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.

¶ C. Verecundè (inquit Ambroſius) authoritatem ſuæ fidei temperauit, dicendo ſe ſeruum. Seruus tuus ſum, expecto alimentum à Domino: miles ſum, expecto ab imperatore ſtipendium: vocatus ſum, poſtulo ab inuitante promiſſum. Omnis autem Dei ſermo qui ſcripturis diuinis continetur, in ſpem bonorum cæleſtium vocat. Iſtud autem non ita accipiendum eſt, quaſi Deus obliuiſcatur promiſſi ſui: nulla enim eiuſmodi humana infirmitas, in diuinam illam & indefeſſam virtutem, vt Hilarij verbis vtar, cadere poteſt. Cùm igitur propheta orat, vt memor ſit verbi, ſiue potiùs ſermonis ſui ſeruo ſuo, hoc orat, vt dignus habeatur in quo verbi ſui memor eſſe dignetur.

¶ D. Quod noſtra tranſlatio habet, Defectio tenuit me, hebraica veritas legit interprete Hieronymo, Horror obtinuit me. Diuus verò Auguſtinus, Tedium tenuit me. Ambroſius, Puſillanimitas tenuit me, propiùs exprimentes vocem græcam, quæ

apud 70. est ἀθυμία, quæ significat animi tristitiam, deiectionem, & anxietatem, cui opponitur εὐθυμία, id est, animi lætitia & tranquillitas. Quod benè explicans Hilarius, Virtutes propriè inquit, non sufficiunt prophetæ ad spem vitæ æternæ, quin etiam dolore humanæ infirmitatis fatigatur, & ob irreligiosas hominum iniquitates exanimis est. Membro enim vno (vt Apostolus inquit) aliquid patiente, compatiuntur & cætera membra. Nec est hoc commune cum multis inquit Ambrosius: nam plurimorum est contristari, si quam ab aliquo patiantur iniuriam. At verò qui fortior est, non propriam contumeliam dolet, sed aliena peccata, & in sua iniuria alienum lapsum ingemescit. ¶ E. Hebraica veritas ita legit hunc versiculum, Carmina erant mihi præcepta tua. Ostendit itaque Dauid, quàm tenaci memoria retinebat, & quanta cum delectatione animi reuoluebat Dei iustificationes. Quæ enim benè tenemus, cantare consueuimus. Non enim obiter aut perfunctoriè transeunda sunt quæ legimus, sed etiam cùm abest codex manibus, tanquam animantia munda, quæ etiam cùm non pascuntur, ruminare consueuerunt, ita & nos de memoriæ thesauro ruminandum nobis pabulum spirituale promamus, vt Ambrosius inquit. Præterea qui cantat, vacuo animo esse solet, & diuersarum cogitationum curas relegat: nec enim potest nisi mens quieta, & omnium affectuum corporalium libera, meditari legem Dei.

¶ F. Non is memor est nominis Domini, qui neglectis Dei mandatis assiduè labijs perstrepit nomen Domini, de quo dictum est illud, Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui operibus bonis fidelem suum probare potuerit affectum: fides ergo, probitas, innocentia, memorem probant (vt habet Ambrosius). Et ne totam noctem, inquit, sopori existimes deputandam, tunc maximè tibi orandus est Dominus, tunc præsidia postulanda, culpa canenda, quando videtur habere secretum, cùm somno & cibo feruent corpora: tunc enim vigor mentis sopore laxatur, somno resoluitur, tunc irrepit libido concubitus. Scit itaque propheta (vt Hilarij verbis vtar) præcipuè nocturno tempore custodiam diuinæ legis à nobis esse retinendam, cùm subrepunt animo impuræ cogitationes, cùm vitiorum stimuli per cibum recens assumptum corpus exagitant, tum Dei nomen recordandum, tum custodienda lex eius est, pudicitiam, continentiam, & Dei timorem statuens, hæc ille. ¶ G. Diuus Hilarius & item Ambrosius, pronomen, hæc, ad memoriam referunt, quę vox tamen non præcessit, quamuis verbo, memor fui, memoria includatur. Augustinus in suis commentarijs ad noctem referri posse putat, verùm id nimis coactè. Sciendum itaque hebræos neutro genere carere, & loco illius, fœmineo genere vti, & hæc dictum pro hoc, vt alibi, Vnam petij à Domino, pro vnum, quod nec August. tacuit. Certè hebraica veritas interprete Hieron. legit, Hoc factum est mihi, quia pręcepta tua custodiui: significat enim se id consecutum, quòd noctu quoque diuinę legis & nominis Domini recordetur, quia exquisiuit iustificationes Dei. Nec dicit, id feci: sed hoc factum est mihi, nimirum à Domino qui operatur in nobis & velle & perficere, vt inquit Apostolus.

H ח *Heth.*

PORTIO [I] mea Domine, dixi custodire legem tuam. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei secundum eloquium tuum. Cogitaui [K] vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Funes [L] peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam nō sum oblitus. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis tuæ. Particeps [M] ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua. Misericordia tua Domine plena est terra, iustificationes tuas doce me.

¶ H. Quatuor hæc elementa prędicta, He, Vau, Zain, Heth, apud hebręos habent suas quoque peculiares significationes pręter literarum notas. He namque significat, ista, Vau & Zain, eiusdem significationis, idem denotāt quod pronomen hęc: Heth autem si-

autem ſignificat vitam, quæ ſi coniungas, ſignificabunt,iſta, & hæc vita,id eſt, iſta:iſta inquã vita eſt. Quæ enim (inquit D. Hieronymus) alia eſt vita ſiue ſcientia ſcripturarum,per quas & Chriſtus ipſe agnoſcitur qui eſt vita credentiũ? ¶ I. Rarus quiſq; eſt(inquit Hilarius) cui iſta fiducia eſt,vt portionem ſuam Deum audeat dicere, Renunciandum eſt ſeculo omnibuſque rebus eius, vt nobis Deus portio ſit. Cæterùm ſi nos ambitio detineat,ſi cura pecuniæ occupet,ſi illecebræ libidinum capiant, ſi negocia rerum familiariũ demorentur,portio nobis Dominus non erit ſecularium curarum atque vitiorum poſſeſsione detentis: vnde Deuteronomij 18. cùm Moſi præceptum eſſet hæreditates diſtribuere duodecim tribubus Iſraël, ita de tribu Leuitica præceptũ eſt. Filij Leui non erit portio neque ſors in medio fratrum ſuorum, quia Dominus Deus eſt pars eorum. ¶ K. Prudentis officium eſt,nihil præceps aut temerarium aggredi.Ex his ergo quę propheta ſe feciſſe dicit,quid nos quoq; facere oportet,docet, vias enim ſuas cogitat,& cogitatis his pedem in Dei teſtimonia retulit. Vidit igitur ante omnia vitæ ſuæ vias: & cùm placentem Deo & probabilem reperit, tunc in eam pedem contulit.Habet enim humana vita multa diuerticula, multos anfractus, habet voragines,habet præcipitia ad quæ deducimur relicto Chriſto,qui via, veritas, & vita eſt.Quare per Hieremiam prophetam Dominus nos hortatur,State (inquit) ſuper vias & videte,& interrogate de ſemitis antiquis,quæ ſit via bona & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris. ¶ L. In ſpecie hæc videntur pugnare,funibus peccatorum conſtringi,& nihilominus mandata Dei meminiſſe & ſeruare. Sciendum itaque, peccatorum hoc loco non eſſe genitiuum à peccatum, ſed à nominatiuo peccator,quæ ambiguitas ex græco codice facilè tollitur. Eſt enim genitiuus græcè ἁμαρτωλῶν,non autem ἁμαρτιῶν.Dicit itaque peccatores conatos eum pertrahere ad illorum mores & prauę vitæ conſuetudinem, idque illecebris voluptatum & improbæ vitæ exemplo, & pernicioſis adhortationibus,quod alibi queritur his verbis: Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, et funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt.Si itaque huiuſmodi funibus & laqueis implicamur & irretimur, dicamus cum propheta: Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum, vt læti canamus,Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

¶ M. Priuſquam participes fiamus omnium timentium Deum,neceſſe eſt, vt primùm Chriſti conſortes & participes ſimus. Is autẽ Chriſti particeps eſt, qui in veritate permanet. Ipſe enim eſt veritas,& qui in nouitate vitæ ambulat,& peccato mortuꝰ eſt iam viuit Deo,quia ipſe eſt reſurrectio & vita.Cùm ergo ſciat Dauid ſe Dei quoq; participem eſſe(Scriptum eſt enim de Chriſto pſal.44.Vnxit te Deus Deus tuus oleo lętitiæ præ participibus tuis) verecundè & modeſtè dicit ſe nõ Dei participem,ſed timentium Deum.Eſt autem is timentium Deum particeps,qui cum patientibus patitur, flet cum flentibus: &,vt eiuſdem corporis membrum,in dolore alterius membri dolet.

ט Teth.

BOnitatem N feciſti cum ſeruo tuo Domine, ſecundũ verbũ tuũ. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. Priuſquam humiliarer O ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodiui.Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.Multiplicata P eſt ſuper me iniquitas ſuperborum, ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua. Coagulatum Q eſt ſicut lac cor eorum,ego verò legem tuam meditatus ſum. Bonũ mihi quia humiliaſti me,vt diſcam iuſtificationes tuas.Bonum mihi lex oris tui,ſuper milia auri & argenti.

¶ N. Bonitas in primo verſu,& item in ſecundo,non eſt propriè hoc loco ea quæ opponitur malicię, ſed benignitas quam Apoſtolus capite quinto epiſtolę ad Galatas, enumerans fructus ipſius ſpiritus, diſtinguit à bonitate, cùm dicit,Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas. Nam hęc græcè dicitur χρηστότης: illa autem ἀγαθότης ſiue ἀγαθωσύνη: vnde infrà quarto verſu non eſt gręca

vox ἀγαθὸς,sed χρηστὸς:verùm 7.& 8.versu est ἀγαθὸν,non autem χρηστὸν.Definiunt itaq; Stoici benignitatem hoc modo , virtus ad benefaciendum sponte exposita.Bonitatem verò hoc modo,virtus quæ prodest omnibus , siue affectus fons vtilitatum . Differunt itaq; hoc modo inter se benignitas & bonitas,quòd benignitas suauitate morũ omnes ad se inuitet,cũ bonitas tristior & seuerior esse possit in benefaciẽdo.Hác itaq; bonitatẽ doceri cupit,cui perpetuo comes sit disciplina,quæ nusquã abesse debet morib⁹ religiosis: & scientiam præterea rerum diuinarũ, sine qua omnis vita mortaliũ cæca est, & in maximis versatur errorum tenebris. ¶ O. Humiliari hoc loco & infrà, bonũ quia humiliasti me,non est animo submisso fieri & superbia carere, sed affligi: vnde afflictio sæpe humilitas in sacris appellatur literis. Humiliari itaque est tentationibus & incommodis exerceri,malis affligi, quod ex hebraica veritate constat, quæ in penultimo versu sic habet, Bonum mihi quia afflictus sum, quam secutus Symmachus interpres.Profuit(inquit)mihi quòd afflictus sum : benè ergo dicit se propterea afflictum & attritum incommodis & aduersis,quia deliquerat:propter peccata enim tentationes & afflictiones nascuntur. ¶ P. Superbos appellat,vel dęmones autores omnis superbiæ,aut huius satellites & membra,qualis fuit Saul,& Doëg ille Idumæus , in quẽ dictum est illud,Quid gloriaris in malitia,qui potẽs es iniquitate? ¶ Q. Elegans similitudo: Nam lac natura candidum & suaue est, vitio tamen suo coagulatur & in aquæ naturam immutatur & coacescit , ita & superbi virtutis & pietatis hostes, cùm antea synceri & candidi essent , odio vel inuidentia mutantur,& acerrimi fiunt hostes.

י Ioth.

MAnus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me,da mihi intellectum vt discam mandata tua . Qui T timent te, videbunt me & lætabuntur,quia in verba tua supersperaui . Cognoui Domine quia ęquitas iudicia tua,& in veritate tua humiliasti me.Fiat misericordia tua vt consoletur me,secundum eloquium tuum seruo tuo . Veniant mihi miserationes tuæ & viuã, quia lex tua meditatio mea est .Cõfundantur V superbi quia iniustè iniquitatem fecerunt in me,ego autem exercebor in mandatis tuis.Conuertantur mihi timentes te,et qui nouerũt testimonia tua. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.

¶ R. Tertia connexio literarum hebraicarum est hæc,Teth,Iod, quarum illa significat bonum: Iod autem principium , quo significatur,scientiam scripturarum bonum esse principium ad plenè cognoscendum Deum , absolutam tamen rerum diuinarum scientiam in hac mortali vita nemini contingere . Quia tametsi sciamus nunc vniuersa quæ scripta sunt, tamen ex parte cognoscimus (vt inquit Paulus) et ex parte prophetamus,& nunc per speculum in ænigmate videmus:cùm autẽ meruerimus esse cum Christo,& similes angelis fuerimus, tunc librorum doctrina cessabit, & tunc videbimus Deum facie ad faciem,& cognoscemus eum sicut & cogniti sumus.

¶ S. Nihil æquius aut rationi magìs consonum,quàm vt voluntatem creatoris sui cognoscat creatura:vt ergo sciat quę sit Dei voluntas,intellectum sibi dari cupit,vt discat mandata Dei.At quomodo nunc mandata discere cupit qui dixit antea, viam mandatorũ tuorũ cucurri,cum dilatasti cor meũ:et,Memor fui nocte nominis tui Domine , & custodiui legem tuam?Mandata nouerat, sed qua ratione iuxta Dei beneplacitum hæc custodiri & perfici debent,hoc doceri cupit.Nam bona est lex si quis ea legitimè vtatur:vbi autem vitæ innocentia abest & puritas cordis , nemo legitimè obseruat mandata legis:vnde Apostolus,Hæc est inquit voluntas Dei,sanctificatio vestra. Quare & Dominus per Michęam populum suum docet hoc pacto interrogantẽ, Quid dignum offeram Domino?Curuabo genu Deo excelso ? Nunquid offeram ei holocaustomata & vitulos anniculos? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ ? Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te . Vtique facere iudicium & diligere misericordiam,& solicitum

solicitum ambulare cum Deo tuo. ¶ T. Lętabuntur inquit timentes te, vbi viderint me tot animæ dotibus & gratijs locupletatum, nec peccata mea prohibuisse tuam misericordiam, nec clausisse consuetam tuam benignitatem erga pœnitentes: vnde & nos hodie lętamur oculis fidei adspiciẽtes Dauid, qui adulterio & homicidio se inquinarat, singulari spiritu prophetiæ donatũ: Paulũ persecutorem raptum ad tertium cęlum: Matthæũ publicanũ, apostolum & euangelistam factum: Petrũ Christũ negantem, apostolorum & ecclesiæ coriphæum & principem factum: alioqui & præsens corporalisq; adspectus hominis iusti & pij delectat iustum. Est enim insitum bonis (inquit Ambrosius) vt castũ pudicus, prudentem sapiẽs, misericors liberalem affectu pio diligat, & virtutes suas in alijs amet. Sicut ediuerso necesse est inquit Hilari⁹, vt ebriosus oderit sobrium, continentem impudicus, iustum iniquus, & tanquam conscientiæ onus præsentiã sancti cuiusque non sustineat. ¶ V. Non est hæc maledicentis oratio, neque retributionem sibi illatæ iniuriæ precatur. Absit enim (inquit Hilarius) vt propheta euangelij prædicator rationem euangelicæ charitatis excesserit: sed salutari pudore illos affici petit, vt scelerum suorum illos pudeat, & ad Deum se conuertant: sic enim alibi, Imple facies eorum inquit ignominia, & quærent nomen tuum Domine.

כ *Caph.*

DEfecit X in salutari tuo anima mea, & in verbum tuum superspe-raui. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando consolaberis me? Quia factus sum sicut vter Y in pruina, iustificationes tuas non sum oblitus. Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium? Narrauerunt mihi iniqui fabulationes Z, sed non vt lex tua. Omnia mandata tua veritas, iniqui persecuti sunt me, adiuua me. Paulominus consummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua. Secundum misericordiam tuam viuifica me, & custodiam sermones tuos.

¶ X. Deficere hoc loco, non significat animi remissionem, nec vitium sonat, sed defectio ista, vt Ambrosius inquit, assumptionẽ virtutis operatur. Est ergo deficere, toto animi affectu & studio, in illud quod diligebat migrare & transferri, illud cogitare, illi adhęrere, illud vnum desiderare, & prę amoris magnitudine, animæ quoddam deliquium pati. Si enim quid vehementer expetimus, nisi id maturiùs assequamur, longa expectatione & vehemẽtiori intentione animũ lassat & suis viribus destituit. Quod secundo quoque versu similitudine quadam ab oculis istis corporeis ducta exprimit, vt si pater filium absentem, & iam iam peregre reuersurum, in dies singulos anxius expectet: aut coniunx maritum, qui per maria in exteras regiones profectus ad diem præscriptum non adsit, solicita operiatur in horas singulas: vtrique horum oculos semper in vias eas intendunt per quas sperant eos redituros, & adeò crebrò illas intuentur, vt continua spectatione delassentur. Verùm quia oculi prophetæ loquuntur, quod ad corporeos oculos referri non potest, de spiritualibus oculis, hoc est, de mentis oculis hæc intelligi debet, quibus expectabat & desiderabat aduentũ Christi saluatoris. His oculis vidit diem Christi ipse Abraham, his ipse Dauid, sed quæ fidei his oculis contemplabatur, longè post futura coram iam posita cernere cupit: vnde apud Matthæum Christus, Multi reges & prophetę voluerunt videre quę vos videtis, & audire quę auditis, & non viderunt. ¶ Y. Si rem solis auribus metiamur inquit Hilarius, ridiculus sermo propheticus existimabitur. Verùm eleganti metaphora, vtrem pro mortali hoc corpore, quo circundata & illigata est anima, vsurpauit. Vtres namq; de exuuijs & pellibus fiunt mortuorum animantium: eadem metaphora vsus est Christus apud Matthęum 9. cap. Non mittũt inquit vinũ nouũ in vtres vetres, alioqui rũpuntur vtres, & vinum effunditur, & pereunt vtres: sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur, significare volens gratiam euangelicã & charismate

Spiritus

Spiritus ſancti non eſſe infundenda, niſi in animos expiatos & ſpiritu renouatos, quorum corpora iam mortificata ſunt: ſi enim veteris vitæ impedimenta nōdum abiecerint, ſed terrenis deſiderijs & voluptatibus diffluunt, effunditur gratia,& exitium homini affert. Bene autem addidit, ſicut vter in pruina, ſignificans naturaliter corpora noſtra cupiditatibus accendi & vitijs calere. Per continentię itaque ſtudium conari debemus, vt corpora noſtra, calore interioris naturæ extincto, frigeant ad vitia, & veluti pruinæ frigore, carnis incendium extinguatur. ¶ Z. D. Hilarius & item Ambroſius legunt hunc verſum hoc modo, Narrauerunt mihi iniqui exercitationes: nam gręca vox eſt ἀδολεσχία quæ ferè vitium ſonat, & ſignificat apud græcos garrulitatem, futilem loquacitatē & nugas ſiue nænias, quare rectiùs nos legimus, fabulas ſiue fabulationes: quod benè explicat Ambroſius his ferè verbis, Iniqui non ſolùm inquit conati ſunt opera iuſti impedire, ſed etiam fidē euertere ſuperflua narratione conati ſunt. Etenim quaſi fabulæ cuiuſdam nænias narratas ſibi, appellat ἀδολεσχίας, hoc eſt, ſuperfluas loquacitates, quibus verbis perſtringit hæreticos, qui linguæ volubilitate & imperita loquacitate vera dogmata peruertunt. Qui autem non loquitur veritatē, nō loquitur vt lex nobis loquitur, quæ tota veritas eſt. ¶ A. Paulò minus dictum eſt pro ferè: vnde Hilarius legit, Penè conſummauerunt me in terra: conſummare autem dictum eſt, pro funditus prodere & abſumere: vnde hebraica veritas interprete Hieronymo legit, Paulominus conſumpſerunt me in terra.

ל Lamed.

IN B æternum Domine verbum tuum permanet in cælo. In generatione C & generationem veritas tua, fundaſti terram & permanet. Ordinatione D tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Niſi E quòd lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periſſem in humilitate mea. In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me. Tuus F ſum ego, ſaluum me fac: quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui. Me expectauerunt peccatores vt perderēt me, teſtimonia tua intellexi. Omnis conſummationis G vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

¶ B. Quarta connexio alphabeti hebraici eſt Caph, Lamed. Caph autem ſonat idem quod manus, Lamed autem diſciplinam ſiue cor: ſignificant itaque duo hæc elementorum nomina idem quaſi dicas, Manus diſciplinæ ſiue cordis. In manibus autem opera denotantur aliquando, nonnunquam per manus inſtrumenta ſignificantur. Eſt itaq; ſenſus: Plenitudinē tabularum, id eſt, ſacra volumina organa ſiue inſtrumenta eſſe quibus conſequamur religioſam diſciplinam. Qui enim ſine adminiculo ſacrarum literarum ſperat ſe ſanctimoniam & veram pietatem obtinere poſſe, is tota errat via. Sic & Ariſtoteles dialecticā ſuam græcè inſcripſit χεὶρ τῆσ φιλοσοφίασ, id eſt, manus philoſophiæ, quòd adminiculo dialecticæ penetremus ad philoſophiæ cognitionem. In æternum Domine etc. Iuxta literam quoque id verum eſt. Contueamur inquit Hilarius ſolis annuum curſum, & menſtruum lunæ recurſum, aſtrorum quoque aut ſtationes aut conuerſiones aut demutationes, nunquid non finibus ſuis, & conſtitutis terminis, ac decretis viciſſitudinibus continentur? non eſt illic tranſgreſſio, non infirmitas, non ocium: omnia in conſtitutionis ſuæ lege manent, & in indefeſſis obedientiæ miniſterijs perſeuerant. Sed quoniam & angeli & ſancti, qui exuerūt veterem hominem, & nouū induerunt, qui commortui Chriſto & conſepulti, in nouitatē vitæ reſurrexerūt, & collocati in cæleſtibus ſæpe appellantur cæli. In his cælis profectò ſemper manet verbum Dei, in quibus non offenditur, ira, ebrietate, odio, infidelitate, laſciuia. ¶ C. Apud 70. interpretes græcè eſt vtrobiq; accuſatiuus γενεὰν γενεὰν, In generationem & generationem: ſignificat namque Dei veritatem & fidem in ſeruandis promiſsis non modò extendi ad generationem Iudæorum, ſed etiā ad generationem chriſtiani populi: iuxta illud, Miſericordia eius à progenie in progenies, quo loco eſt græcè eadem vox γενεὰ, id eſt, generatio. Sicut autem cælum myſticè ſuprà interpretati ſumus, ſic & terram hoc loco ſimiliter accipere poſſumus pro eccleſia quæ fundata

eſt ſuper

est super Christum, & eius præsidio tuta, permanet immota aduersus procellas & fluctus persecutionum, vt annotauimus psalmo 103. in illum versum, Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. ¶ D. Quod interpres vertit, ordinatione tua, potuisset vertere, imperio tuo. Non enim quamlibet ordinationem significat, sed eam quę fit cum edicto & imperio: græca vox est διάταξις, quæ significat edictum imperium constitutionem aut statutum. Sic enim legimus Genesis 8. Deum locutum ad Noë. Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent. Verùm quoniã solius diei hoc loco mentionem facit, liquet & hic allegoriam subesse. Nam quomodo dici potest dies perseuerare, cui perpetuò succedit nox, & cuius lumen nocturnis tenebris interpellatur? Quia igitur dies luce constat, & sanctis dictũ est, Vos estis lux mundi, &: omnes vos filij lucis, & diei, hic mysticus dies quem in cordibus piorum efficit verus ille sol iustitiæ, perseuerat semper, nec vllis peccati tenebris fugatur. ¶ E. Coniunctio quòd, hoc loco relicta est ex idiomate hebraico, quæ apud grecos & latinos superest, sic alibi: Nisi quia Dominus erat in nobis, pro, Nisi Dominus etc. & verbũ indicatiui modi latinus reddidisset per subiunctiuum. Est igitur sensus: Nisi lex tua esset siue fuisset meditatio mea, fortè perijssem obrutus & victus magnitudine tribulationum: nam humilitatem, vt sæpe aliàs, pro afflictionibus & pressuris ponit. ¶ F. Non omnibus (inquit Hilarius) vox professionis istius competit, sed rarus quisque est, qui se Dei audeat dicere. Audebit sanè ille qui dicere verè potest, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: Et, Viuo iam non ego, viuit autem in me Christus. Vox est ista animæ semper Deo intentæ: Quomodo enim se Dei esse profitebitur in libidinem calẽs, in iram mobilis, in auaritiam solicitus, in ebrietatem sitiens? horum potiùs erit iste quibus seruit, non autem Dei. ¶ G. Quod interpres vertit, Consummationem, græcè est συντέλεια, quæ vox significat absolutam rerum peractionem, quoties summę rerum perficiendarum nihil deest. Quare diuersis modis hic versiculus enarratur: Aug. in suis commentarijs, Consummationem esse dicit, certare pro veritate vsque ad mortem, & pro vero ac summo bono omnia mala & aduersa tolerare: huius autem consummationis finis est, in cęlis accipere immarcescibilis glorię coronam. Sic Christus apud Lucam cap. 13. Ecce eijcio dęmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Ambrosius verò ad varia refert consummationem: nam & seculi est consummatio, cuius finis est regnum Dei: est & legis Mosaicę consummatio, cuius finis est Christus. Est & malicię impietatis consummatio, quam Christus ceu finis omnium aboleuit: eodem ferè modo Hilarius quoque enarrat. Latum autem dicit Dei mandatum, propter geminę charitatis pręceptum, quę non modò ad amicos, sed ad omnes homines etiam hostes nostros se extendit. Vel latum mandatum dicit, quia mandata legis ad futura etiam se extendunt, & nõ modò terrena & carnalia complectũtur, sed & spiritualia & cælestia.

ט Mem.

QVomodo [H] dilexi legẽ tuã Domine? tota die meditatio mea est. Super inimicos [I] meos prudentẽ me fecisti mãdato tuo, quia in æternũ mihi est. Super omnes docẽtes [K] me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua. A iudicijs tuis nõ declinaui, quia tu legem posuisti mihi. Quàm dulcia faucibus [L] meis eloquia tua, super mel ori meo. A mandatis tuis [M] intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.

¶ H. Non dicit: Quomodo perfeci legem tuam etc. Quia maius meritum est amantem potiùs aliquid agere quàm timentem, idcirco ait, Quomodo dilexi legem tuam. Differt enim longè obsequium amoris à timoris obsequio, nec habet gratiam voluntatis necessitatis operatio. In amorem enim non cadit necessitas obsequij, quia nemo id quod diligit, nõ vult. In facto autem potest & non subesse dilectio, dum id efficitur quod non effecisse aut terror aut pudor est.

¶ I. Hebraica veritas clariùs legit hũc versiculum interprete Hieron. hoc modo: Super inimicos meos instruis me mandato tuo: nam quod interpres noster vertit, prudentẽ me fecisti, græcè est ἐσόφισάς με, id est, docuisti me, aut sapientẽ me fecisti: nec est,

man-

mandato tuo, sed ἐντολήν σου, id est, mandatum tuum. Nam græcum verbum σοφίζω, est doceo, instruo, intelligere facio, aut sapientem efficio. Quare Ambrosius propius accedens ad lectionem græcam 70. interpretum ita habet: Super inimicos meos intelligere me fecisti mandata tua. Nec quoslibet inimicos hic accipimus, non enim mirum esset si intelligeret magis Dei mandata quàm gẽtes idololatræ. Sed Scribarũ & Pharisæorum supercilium & hæreticorum fastum & arrogantiam iam in spiritu contemplabatur. Scribæ enim & perfidi Iudæi mandatũ legis tanquã propriũ & hæreditarium sibi vẽdicãt, sed spiritualis circũcisionis autorẽ nõ habẽtibus, quid carnalis & manu facta circũcisio proderit? quid sabbati religio Deũ sabbati nesciẽtibus? Quid paschę agnus, et liminũ sanguis (inquit Hilarius) agnũ Dei & sanguinẽ salutis ignorãtibus auxilij pręstabit? mãdata exercẽt, sed vim mãdatorũ & tempus ignorãt, legẽ legũt, sed legente & nesciẽte Iudæo, Christianus intelligit. Quod autẽ addit quia in ęterñũ est mihi, hũc sensum habet: Quia in perpetuum hoc mihi vendicabo tanquam peculiare & proprium, nam gręcè est ἐμή ἐστιν, id est, meum est, vt sit simile illi quod infrà dicit: Hęreditate acquisiui testimonia tua in æternum, Aug. sic accipit: Sunt in æternum mihi, id est, non temporalia ex his spero, sed sempiterna. ¶ K. Quos ante vocauit inimicos, iam vocat docentes eo quod autoritatem docendi & legis scientiam sibi arrogant: vnde & Apostolus cap. 2. epistolæ ad Rom. Arrogantiam Iudæorum coarguens & nimiam fiduciam legis Mosaicæ qua repugnabant euangelicæ veritati. Si tu inquit Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium. Qui ergo alium doces teipsum non doces, huiusmodi itaq; doctores hoc loco intelligit Dauid, eosdem vocat sequenti versu. Senes quod vel ad ætatem vel ad dignitatem & docendi munus referri potest, græcè est πρεσβυτέρους: vnde Ambrosius in suis commentarijs legit super seniores intellexi. Est enim græcè comparatiuus à positiuo πρέσβυς, id est senex. Et quia aliquando contingere solet vt ex naturę tardioris & ingenij acrioris differẽtia vt discipulus prudentior & doctior sit magistro, hoc ipsum diligentiæ suæ & studij infatigabilis esse demonstrat, dicens: Quoniam testimonia tua meditatio mea est, & mãdata tua quæsiui. ¶ L. Non corporeas fauces aut os quo alimenta accipiuntur hoc loco intelligimus, sed animæ illam vim quæ diuina percipit de quo alibi dixit: Aperi os tuum & ego implebo illud, benè autem dulciora melle dicit. Mellis enim natura hæc est vt exulcerata mordeat & expurget, & tamen palato gratissimum sit adeò, vt & in febribus amarulentiã oris corrigat. Ita & diuina eloquia animam estuantẽ febribus malarum cupiditatum cælesti dulcedine perfundũt, & vitijs animæq; vulneribus medentur. ¶ M. Ne quis intelligentiam hanc diuinorum mandatorum sic ad Deum referendam putet, vt nostrum liberum arbitrium cesset, & omnis animæ nostræ conatus segnis iaceat dicit: A mandatis Dei, hoc est, ex obseruatione diuinorũ pręceptorum intelligentiã hanc percepisse. Non laborantibus enim, non petentibus, non quęrentibus, non pulsantibus omnia apud Deum clausa sunt.

נ *Nun.*

LVcerna [N] pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Iuraui [O] & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Humiliatus sum vsquequaque Domine, viuifica me secundum verbum tuũ. Voluntaria [P] oris mei beneplacita fac Domine, & iudicia tua doce me. Anima mea [Q] in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus. Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui. Hæreditate acquisiui testimonia tua in æteruũ, quia exultatio cordis mei sunt. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.

¶ N. Scit propheta has corporum tenebras & seculi noctem quam peccata nostra, & rerum ignorantia pariunt se effugere non posse, nisi illuminetur per verbũ Dei, scit

ſcit vbique adeſſe lapides offenſionum,funes & laqueos peccatorum,ſcrobes & foueas inſidioſas dæmonum.Omnis autem doctrina cæleſtis dux nobis ad iter vitæ eſt, quæ lucernæ modo in hac nocte ſeculi præferenda eſt cùm aliquid aut agimus aut cogitamus aut loquimur:vnde bene Apoſtolus Petrus cap.1.poſterioris epiſtolæ ſuæ: Habemus (inquit)firmiorē propheticū ſermonem, cui benè facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in loco caliginoſo,donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.

¶ O. Quod latinus interpres vertit, Iuraui & ſtatui, hebraica veritas interprete Hieron.legit,Iuraui & perſeuerabo,explicans nimirū quid ſtatuit,hoc videlicet,vt perſeueret & immotus permaneat in meditatione diuinæ legis. Iuſiurandū autem ex veritatis cognitione ſuſcipitur.Nemo enim benè iurat,niſi nouerit quid iuret. Iurare igitur,indicium ſcientiæ,& teſtimonium conſcientiæ eſt.Vox itaq; hæc eſt ambulantis in lumine,nec metuentis offendere aut errare. Si enim metueret (inquit Ambr.)non iuraret:ſi trepidaret verùm diuina poſſet cuſtodire iudicia,non ſtatueret cum iurandi ſacramento. ¶ P. Beneplacita,hoc loco adiectiuum eſt reſpondens ſubſtantiuo voluntaria: eſtque ſenſus: O Domine fac tibi beneplacita, id eſt, effice, vt grata tibi ſint voluntaria oris mei.Clariùs itaque D.Ambr.legit hunc verſiculum hoc modo, Voluntaria oris mei comproba Domine, cui ſuffragatur heb. veritas quæ habet: Voluntaria oris mei complaceant tibi Domine.Porrò voluntaria oris,vocat omnia illa quæ libera voluntate & arbitrio promiſerat Deo,& ſe facturum profeſſus erat. Scimus enim & in euāgelio alia eſſe pręcepta: alia eſſe cōſilia,qualia ſunt volūtaria paupertas,virginitas,cōtinentia,& alia eiuſmodi.Habuit & Moſaica lex ſpōtanea quędā & volūtaria, vnde legimus alibi,Volūtariè ſacrificabo tibi:erāt enim hoſtię quędā & ſacrificia ſpontanea,ad quę lex neminē cōſtringebat.Hęc itaq; volūtaria inquit Hilarius,vt Deo ſint placita,propheta orat, quia illa quę ex pręſcripto legis geruntur, ipſa ſeruitij ſui neceſſitate peraguntur. ¶ Q. Gręca exemplaria quę hc die habemus,legunt,In manibus tuis,ἐν χερσί σου,quomodo & diuus Auguſt.legit,& Hilarius:Ambroſius autē vtramq; lectionem amplectitur: Eſt itaque ſenſus, Anima mea ſemper eſt in manibus tuis, hoc eſt, in tutela & protectione tua:vnde illud Sapientię, Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, quaſi dicat, Tametſi vndique premar ab hoſtibus,& in maximis verſer periculis,ſcio tamen me vbiq; tutum tuo pręſidio:vnde & Chriſtus non tam ſuū, quàm membrorum ſuorum, id eſt,noſtrum ſpiritum commendauit moriens in manus paternas:Si legimus in manibus meis,ſenſus erit,Animam meā omni ſolicitudine & anxietate cuſtodio,non ſecùs atque rem precioſiſsimam,quam nuſquam tutò deponere, nec vlli credere audemus,ſed ſemper in manibus circumferimus.

ס Samech.

INiquos R odio habui,& legem tuā dilexi.Adiutor & ſuſceptor meus es tu, & in verbum tuū ſuperſperaui. Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & viuam,& non confundas me ab expectatione mea.Adiuua me & ſaluus ero,& meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.Spreuiſti omnes diſcedentes à iudiciis tuis, quia iniuſta cogitatio eorum. Præuaricantes S reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi teſtimonia tua. Confige T timore tuo carnes meas,à iudiciis enim tuis timui.

¶ R. Nemo enim virtutes amare poteſt,niſi vitia oderit:vnde benè inquit ille, Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima Sultitia caruiſſe. Verùm quomodo ſalua lege poteſt quis odiſſe iniquos,cùm iubeamur & hoſtes diligere, quique fratrem odit, homicida ſit, vt inquit Iohannes Apoſtolus? Sciendum itaque ſine peccato nos poſſe odiſſe vitia & peccata, non ipſos homines, idque odium ex nullo corrupto aut vitioſo affectu naſcitur,quare alibi perfectum odium appellat,dicens:Perfecto odio oderam illos:vel odimus iniquos,cùm eorum praua commercia & pernicioſa conſilia execramur, & eorum impijs conatibus obſiſtimus: Sic Chriſtus iubet nos odiſſe patrem & matrem vxorem & animam quoque noſtram.

¶ S. Græca vox est παραβαίνοντες, id est, ad verbum transgredientes siue transgressores, quæ vox conuenire illis tantùm videtur qui legem acceptam violant. Quia vt Apost. inquit scribēs Romanis, vbi non est lex, nec præuaricatio. Verùm cùm idem Apost. scribens Romanis dicat, Quum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: manifestum est omnes peccatores esse præuaricatores aut transgressores legis diuinæ, aut naturalis quæ omnium cordibus naturaliter insita est: de qua Apost. loquitur, Naturalis autem lex iubet vt Deum amemus & colamus, & ne alteri faciamus quod nobis fieri nolimus. D. verò Hilarius discrimen ponit inter peccatores terræ, & peccatores cæli siue in cælum peccantes, vt peccatores terræ sint, qui nulla fide aut veri Dei cognitione illuminati, peccant in legem naturæ. Cæli autem peccatores illi dicuntur, qui cælestis doctrinæ & spiritalis gratiæ participes facti, & à Christo excitati, & in cælestibus cum Christo collocati, ex ijs per peccata decidunt: hi vt cæli peccatores arguuntur. Vnde filius ille prodigus, qui patre relicto, in longinquam regionem profectus omnia sua prodegit: regrediens pater inquit peccaui in cælum & coram te. ¶ T. D. Ambrosius vltimum hunc versum sic legit: Confige clauis à timore tuo carnes meas, expressiùs reddens verbum græcum καθήλωσον, quod propriè est, clauis configere. Nouit enim propheta spiritu sancto plenus, moriendum esse nobis cum Christo, & omnia carnis nostræ vitia affigenda cruci Domini, si Christo cohæredes esse volumus. Qui enim Christi sunt (inquit Paulus) carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis. Porrò quod Christo claui fuerūt, hoc nobis timor Domini est, sine quo nemo potest iustificari, vt Salomon inquit. Porrò quinta connexio alphabeti hebraici est, Mem, Nun, Samech, quæ significant: ex ipsis sempiternum adiutorium. Nam Mem sonat, ex ipsis. Nun, sempiternum. Samech verò, adiutorium: luce enim clarius est, ex ipsis sacris scripturis æterna nobis præsidia ad vitam æternam obtinendam subministrari.

ע Ain.

FEci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus V me. Suscipe X seruū tuum in bonum, nō calumnientur me superbi. Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me. Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum vt sciā testimonia tua. Tempus Z faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion A. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.

¶ V. Quod interpres noster vertit, Calumniantibus me. D. August. Ambrosius, Hilarius legunt, Nocentibus me, siue potiùs mihi: nam græcè est ἀδικοῦσί με, id est, iniuriam facientibus. Hebr. tamē veritas interprete Hieronymo legit: Ne derelinquas me, his calumniantur me. Porrò calumniantes appellat, dæmones qui à calumnia quam intendunt, assiduè nobis appellantur diaboli: nam quod latinis est calumnia, græcè appellatur διαβολή. Quam calumniam & sequenti versu deprecatur cùm inquit: Non calumnientur me superbi. Bene autem calumniari nos dicuntur dæmones, quia cùm ipsi peccati incentiua suppeditent (vt Hilarius inquit) calumniam nobis ante Deum peccati, quod per eos gesserimus, intendunt. ¶ X. Non est hoc loco ἀντιλαβοῦ verbum quod suprà positum erat ibi: Suscipe seruum tuum in me secundum eloquium tuū: sed ἔκδεξαι, id est excipe, quomodo Hilarius & August. legunt: et ita interpretatur idem August. Ipsi impellunt me vt cadam in malum, tu excipe me in bonum, quod fit quoties obuijs manibus nutantem & iam casurum suscipimus aliquem ne lædatur, significatio tamen vtriusque verbi ferè est eadem.

¶ Z. Græca exemplaria constanter legunt per datiuum τῷ κυρίῳ, id est Domino, non autem per vocatiuum, licèt ad heb. veritatem verterit Hieron. per vocatiuum dicens, Tempus est vt facias Domine. Est itaque sensus, Quia populus Iudaicus acceptam legem dissipauit & abiecit, iam tempus est Domino faciendi, scilicet, ea quę per prophetas pollicitus est, nimirum vt filium suum vnigenitum mittat, qui abrogata & antiquata

antiquata lege Mosaica, nouam legem euangelicam sanciat. Et quia legis mandata, vt præceptum de esu agni pascalis & cætera eiusmodi, vaticinia erant de Christo venturo in mundũ, propterea subijcit: Ideo dilexi mandata tua super aurum etc. Lex enim Mosaica, Domini aduentum testata est: vnde apud Iohannem Christus, Si crederetis Mosi, & mihi crederetis: de me etenim scripsit ille. ¶ A. Topasium siue topazius (quod & Topazus per tres syllabas extulit Orpheus poëta in libello suo de lapidibus siue gemmis) apud Troglodytas nascitur, vt autor est Plinius lib. 37. cap. 8. in Arabię insula quæ Chitis vocatur. Alij, inter quos Iuba autor est, volunt eam nasci in Topazio insula rubri maris, & à loco in qua nascitur sic appellatam. Insulam verò dictam Topazion, quod à nauigantibus sæpe quæsita sit, eò quòd nebulosa admodum sit, τοπάζιν autem Troglodytarum lingua idem sonat quod quæro. Recentissimi autores quos & Hilarius sequitur, hanc gemmam in Ægypto nasci dicunt circa oppidũ Thebaidis cui nomen est Alabastrum. Est autem gemma quæ & eximio colore & magnitudine facilè omnibus præfertur. Fulget enim aureo virore, cuius tota similitudo ad porri succum accedit: vnde & Prasoides à porri viriditate appellatur. Est autem amplissima gemmarum, & quæ sola inter nobiles gemmas limam sentit, cùm cæteræ saxo & cote poliuntur, tantæ proceritatis vt ex hac (vt Plinius inquit) statua quatuor cubitorum facta sit Arsinoę reginę vxori Ptolomæi Philadelphi.

פ Phe.

Mirabilia B testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea. Declaratio C sermonũ tuorũ illuminat, & intellectũ dat paruulis. Os D meum aperui & attraxi spiritũ, quia mãdata tua desiderabã. Adspice in me & miserere mei, secundum iudicium diligentiũ nomen tuũ. Gressus meos dirige secundũ eloquiũ tuũ, & nõ dominetur mei omnis iniustitia. Redime me à E calũniis hominũ, vt custodiã mandata tua. Faciem tuã illumina super seruum tuum, & doce me iustificationes tuas. Exitus F aquarũ deduxerũt oculi mei, quia non custodierũt legẽ tuam.

¶ B. De testimonijs antè dictũ est, ea nimirũ esse quæcũq; testãtur Dei potẽtiam, bonitatem, sapientiã, iustitiã, veritatẽ, & misericordiã, quæ suprà diximus bifariã nobis exhiberi: verùm hîc de ijs testimonijs loquitur quæ nobis exhibent sacræ literę, vt lex Mosaica vmbris & figuris variarũ rerũ, & prophetarũ oracula diuersis ænigmatibus & parabolis. Hæc enim reuera omni admiratione digna sunt, & digna quę scrutemur totis animi viribus. Quid enim mirabilius aut Dei sapiẽtia & magnificẽtia dignius, quàm quòd legis præcepta & prophetarũ oracula, castitatẽ, pietatẽ, innocentiã, frugalitatẽ & religionẽ doceant, & tamẽ ipe cælestium bonorũ, abstrusa illorũ sensa nos pascant, vt dignis diuina mysteria pateãt, indigni autẽ vmbris & ænigmatibus ab intelligẽtia diuinarũ rerũ arceãtur, & in illis euangelicũ illud verum agnoscatur. Vobis datũ est nosse mysteriũ regni cælorũ, cæteris autẽ in parabolis, vt audientes audiãt, & nõ intelligant.

¶ C. Tametsi per spiritũ prophetiæ, hæc sacramẽta diuinarũ scripturarũ cognoscerẽt prophetæ: declaratio tamẽ diuinorũ sermonum, quos lex & prophetię loquuntur, propriè est huius temporis & ętatis in qua fulget lux euãgelica: nunc enim intelligẽtia eorũ, qua sapiẽtes hui⁹ seculi caruere, paruulis pręstita est, cùm legis vmbrę et prophetarũ oracula per Christũ pãdũtur: vnde & Christ⁹ apud Matthęũ ob id patri gratias agens, Cõfiteor inquit tibi pater cęli & terræ, quia abscondisti hęc à sapiẽtibus & intelligẽtibus, & reuelasti ea paruulis. Cęteris autẽ hęc abscondita fuisse testatur Daniel cap. 12. cui dictum est: Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones. & Esaias cap. 29. Dabitur inquit liber iste in manus hominis scientis literas, & dicetur ei, Lege: & dicet, Non possum legere: signatum est enim, id est, clausum: vnde in Apocalyp. legimus, agnum occisum dignũ fuisse inuentũ, vt aperiret librum hunc, & solueret signacula eius.

¶ D. Animę Deũ sitiẽtis desideriũ, per os apertũ hoc loco intelligimus, nec aëreũ spiritũ hoc loco denotat quo spiramus & respiramus, cùm is potiùs naribus quàm ore trahatur, sed Spiritũ sanctũ, quẽ Deus desiderãtibus & petẽtibus vbertim infundit, quem alibi implorabat dicens, Emitte spiritum tuũ & creabuntur. ¶ E. Humana tentatio grauis non est, dicente Apostolo: Tentatio vos non apprehendit nisi humana.

Calumnia autem grauis eſt, quæ tunc eſt,cùm vel bono operi facinoris mali nomen imponitur,vel cùm ſub ſpecie amicitiæ,internæ maliciæ virus occulitur, & difficile eſt cauere à talibus,qui ſub nomine fratrũ,hoſtilẽ animũ gerunt.Cùm itaque ſciret Dominus(inquit Hilarius)domeſticæ calũniæ ſcandala grauiſsimum ſolere fidei excidiũ afferre,dixit:Si oculus tuus ſcandalizet te, aut pes aut manus, erue & abſcide & proijce abs te, præcipiẽs ſymbolicè ne domeſticis calũnijs & ſcandalis penes nos manentibus, aliqua vitiorũ labes adhæreat nobis. ¶ F. Variãt hîc miris modis græca exẽplaria, quod ex Amb.& Aug.colligere licet. Nã Ambroſius dicit ſe legiſſe in quibuſdam codicibus κατεβίβασαν,id eſt,deduxerunt,quod cum noſtris codicibus latinis conſentit: ſuum autem codicem habere κατέβησαν,id eſt,deſcenderũt, ſed mendosè vt ſuſpicatur. Auguſtinus ſecutus vt videtur codicem Ambroſij,legit:Exitus aquarum deſcenderunt oculi mei:& præpoſitionẽ,per,deeſſe hoc loco vult,hoc ſenſu: Per exitus aquarũ deſcẽderũt oculi mei,ſignificãs illos immodico fletu deiectos & humiliatos.Idẽ dicit nonnullos libros habere, Exitus aquarũ trãſierũt oculi mei. Græca autem exemplaria quibus hodie vtimur, habent κατέδυσαν,id eſt, demerſerunt, vt ſubaudias ſeſe,idque per exitus aquarum vt ſimiliter ſubaudiamus præpoſitionem, per: omnia autem huc tendunt, vt ſignificentur vberrimæ lachrymæ & immodicus fletus: quare hebraica veritas manifeſtiùs hũc ſenſum explicat his verbis,Riui aquarum fluebant de oculis meis, quia non cuſtodierunt legem tuam.

צ Zade.

IVſtus [G] es Domine,& rectum iudicium tuum. Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis. Tabeſcere me fecit zelus [H] meus,quia obliti ſunt verba tua inimici mei.Ignitũ [I] eloquium tuum vehemẽter,& ſeruus tuus dilexit illud.Adoleſcẽtulus [K] ſum ego & cõtẽptus,iuſtificationes tuas nõ ſum oblîtus. Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum,& lex tua veritas. Tribulatio & anguſtia inuenerunt me, mandata tua meditatio mea eſt.AEquitas teſtimonia tua in æternum, intellectum da mihi & viuam.

¶ G. Quia in hac vita ex ęquo bonis & malis omnia contingunt,& pij ferè grauioribus premuntur ærumnis,multi in hanc proruperunt blaſphemiam, vt negarent prouidentiam,nec curare Deum crederent mortalia. Nonnulli autem hac re moti eò inſaniæ deuenerunt,vt auderent dicere non eſſe Deum, de quibus Dauid alibi: Dixit inſipiens in corde ſuo,non eſt Deus: hominis itaque pij eſt,ſi vexabunt morbi, ſi cruciatus deſęuient,damna fatigabunt,luctus & orbitas affligent,vt ſemper hunc prophetæ verſiculum & corde volutet, & labijs perſonet, Iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum. Cur enim in ſuos iniquus ſit Deus? cur in eos quos ipſe genuit,iniuſtus ſit?Si quid eſt quod patimur,ex iudicio bonitatis ſuæ accidit. Vinci diabolum patientiæ noſtræ virtutibus delectatur, & probari nos per damna per luctus & dolores deſiderat,vt nihil in ſeruos ſuos ſeculi poteſtas ſibi eſſe iuris & dominationis intelligat.

¶ H. Codices græci conſtanter legunt hoc loco: Tabeſcere me fecit zelus tuus, quomodo Hilarius legit:Ambroſius verò,zelus domus tuæ: ſenſus tamen eòdem tendit. Nam meus zelus eſt,quem ego habui in me: zelus autem tuus,qui tua cauſa me cæpit.Sic enim natura comparatum eſt, vt ſi quando eorum quos diligimus, voluntati aduerſari aliquos viderimus zelo eius, cui non paretur,accendamur:vnde & pſal. 68.ex Chriſti perſona dictum eſt,Zelus domus tuæ comedit me,cuius ſcripturę recordati ſunt apoſtoli (vt Iohannes inquit)cùm viderent Chriſtum vendentes & ementes flagello facto ex funiculis eijcere ex templo. Eodem zelo & pia anima commouenda eſt,cùm videt corpora per Spiritum ſanctum Chriſto conſecrata,ſtupris, cædibus, furtis, & omnibus ſceleribus pollui & prophanari.

¶ I. Geminus hoc loco ſenſus eſſe poteſt. Nam Dei eloquia ignita appellantur, vel quòd accendant,& omnes ſordes vitiorum in nobis exurant, quam interpretationem ſequitur diuus Ambroſius & Auguſtinus:vel ignitum appellatur, quòd ſit tanquam

tanquam conflatum aurum vel argentũ igne purgatũ.Eſt enim græca vox πεπυρωμένα, quam vocem interpres noſter pſalmo 17.reddidit,igne examinata , eo verſu , Eloquia Domini igne examinata etc.Quæcunque enim metalla igne conflantur,fecẽ in ſe alienam atque inutilem non continent. Totum quicquid in his reſidet,verum & ſyncerum eſt,nec vlla re adulteratum: talia ſunt & diuina eloquia, & hunc ſenſum ſequitur Hilarius,qui propterea dicit latinam tranſlationem non exprimere hoc loco proprietatem verbi græcanici.Hebraica profectò veritas eundẽ ſenſum reddit,quæ ſic legit interprete Hieronymo:Probatus ſermo tuus nimis,& ſeruus tuus dilexit illum.

¶ K. Apud 70 . interpretes græcè eſt comparatiuus, adoleſcentior νεώτερος,quomodo Hilarius & Ambroſius legunt.Nec ab his diſſentit Auguſtinus qui legit, Iunior ſum ego & contemptus: idemque annotat comparatiuum eſſe hoc loco, qui bene intelligitur ad comparationem maioris,quaſi dicat,Maiores natu obliti ſunt iuſtificationes tuas,ego autẽ ætate minor & iunior non ſum oblitus.Eadẽ vox græca eſt in litera Beth,eo verſu,In quo corrigit adoleſcentior viã ſuam.Et quanquã iuxta hiſtoriam libri Regum de ipſo Dauid hæc quoque vera fuerint, qui inter fratres ſuos ætate & ſtatura minimus erat,& ob id ab alijs contemptus,& ad ruſticana opera & curam gregis paſcendi ablegatus antequam in regem vngeretur, tamen de populo chriſtiano etiam intelligendus eſt hic verſiculus,qui reprobato populo ſeniore, in conſortium patriarcharum & hæreditatis æternæ electus eſt . Sicut Iacob emit olim primogenita Eſau , quæ ille tanquam moriturus ſibi inutilia exiſtimauit. Sic populus hic iunior natiuitatis ſuæ primitias æternas,nec morte intercipi poſſe, has igitur non obliuiſcitur quas ſenior & deſperauit & vendidit. ¶ L. Sexta literarum connexio hæc eſt, Ain, Phe, Zade, quæ denotant fons oris iuſtitiæ,quo ſignificatur,plenitudinem tabularum,hoc eſt,omnia volumina ſacra,fontem eſſe verborũ & præceptorum iuſtitiæ: relictis enim philoſophorum riuulis,veram virtutem ex ſacra ſcriptura ceu fonte peremi petendam. Oris enim appellatione,verba ſiue ſermones denotantur.

ק Coph.

CLamaui M in toto corde meo exaudi me Domine,iuſtificationes tuas requiram.Clamaui ad te, ſaluũ me fac, vt cuſtodiam mãdata tua.Præueni in maturitate N et clamaui,quia in verba tua ſuperſperaui. Præuenerũt O oculi mei ad te diluculo,vt meditarer eloquia tua. Vocem meam audi Domine ſecundũ miſericordiam tuam, & ſecundum iudiciũ tuũ viuifica me.Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati,à lege autem tua longè facti ſunt.Prope P es tu Domine,& omnes viæ tuæ veritas. Initio cognoui de teſtimoniis tuis , quia in æternum fundaſti ea.

¶ M. Inter multa euangelicæ doctrinæ præcepta,ſilentiũ inter orandum & verborum parſimoniam à nobis exigit Dominus . Cùm oratis inquit nolite multũ loqui, ſicut gẽtes faciũt,quę putãt quòd in multiloquio ſuo exaudiẽtur.Quare propheta dicit ſe clamaſſe,non in toto gutture aut totis lateribus,ſed in toto corde. Hic itaq; clamor non elatæ vocis ſonus eſt, ſed clamor fidei,clamor mẽtis,clamor affectuũ internorum. Ille enim ad Deũ toto corde clamat(inquit Hilarius)qui magna poſtulat, qui cæleſtia precatur,qui æterna ſperat.Sic legimus Exodi 14. cùm vrgeret Pharao populum Dei, & mare rubrũ fugę obſiſteret,& Iſraël iam mortem præſentem videret,hoſte proximo & mari obuio , Moſes dux populi, mœſtus ſtabat tacens , ſed orationis ſuæ fide clamans:vnde ſcriptura teſtatur,hac tacita prece Deum pulſatum dixiſſe Moſi , quid clamas ad me? ¶ N. Interpres latinus niſi fortè mẽdum ſit,vertit,maturitatem quod græcè eſt ἀωρία,id eſt, immaturitas vel intempeſtiuitas: quare ſuſpicor interpretem reliquiſſe, præueni in immaturitate, quomodo legendũ eſſe,apertiſsimè teſtatur D. Aug. in commentarijs ſuis , qui manifeſtè fatetur omnia ferè exemplaria latina , ſua ætate fuiſſe mendoſa.Eius verba propterea aſſcribimus,vt ęquiores nobis ſint qui exiſtimant piaculũ eſſe,aliquid emendare in ſacris libris:& putãt ſacrilegiũ eſſe,ſi quis audeat mouere ſuo loco aut conuellere,quod tot ſeculis iam legit & cecinit eccleſia : ſunt autem

hæc eius verba:Præueni intempesta nocte & clamaui, Plures codices non habent,intempesta nocte, sed in maturitate: vix autem vnus inuentus est qui haberet geminatam pręposítionem,in immaturitate.Immaturitas itaque in hoc loco,nocturnum tempus est,quod non est maturum,id est,opportunum vt agatur aliquid. Nox quoque intempesta,id est,media,quando quiescendum est,hinc proculdubio nuncupata est, quia importuna est actionibus vigilātium,hactenus Augustini verba.D.autem Hilarius non ad nocturnum tempus,sed ad ætatē retulit,nec malè.Nam ὥρα,vox græca non modò 24.partem diei significat,sed quodlibet tempus,& sæpe quatuor anni partes,ver, æstatem,autumnum, hyemem.Non expectauit inquit infirmā à vitijs senectutem,neq; deferuescentibus longo vsu luxuriæ æstibus, frigidæ ætatis tempus elegit, sed maturitatem omnem fide & religione præuenit,vincens per continentiam lasciuientes annos, & senectutis maturitatem modestę & castæ adolescentiæ tranquillitate præueniens.

¶ O. Latina exemplaria hoc loco perperam addūt pronomē,te, quod nec Aug. nec Ambr. nec Hilarius legunt, nec heb.veritas. Quare Aug. rectiùs legit hunc versiculum ad verbum reddens græcam translationem 70.interpretum hoc modo: Præuenerunt oculi mei ad matutinum,quod latiniùs sine præpositione extulisset vt heb.veritas, Præueniebant oculi mei vigilias. Hilarius, Præuenerūt oculi mei diluculo. Ambrosius, Præuenerunt oculi mei manè: significat itaque se precibus & pijs meditationibus anteuertere ortum solis. ¶ P. Ita legimus Dominum locutū Hieremiæ 23. cap. Putas ne Deus è vicino ego sum,dicit Dominus, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abscōditis,& ego non videbo eū dicit Dominus? Nunquid non cælum & terrā ego impleo,dicit Dominus? Nō enim spacijs aut locorū interuallis Deus excluditur, neq; finibus vllis diuinæ virtutis immensitas coarctatur: vnde Apostolus apud Athenień cum philosophis de vero Deo differens, vt habet Lucas Act.17.Non longè inquit à nobis manentē quærimus Deū,in ipso enim viuimus, mouemur & sumus.Nihil itaq; nos ita cōtinebit in officio & studio pietatis & innocentiæ,quàm scire Deū vbiq; nobis adesse,& ante oculos illius versari, & illū consciū omniū arcanorum nostrorum.Nec abesse cùm irascimur,cùm cædimus,cùm maledicimus, cùm inebriamur,cùm libidinibus polluimur,cùm diuina & humana negligimus,maiore contumelia eius qui in nobis est,hæc patrantes. ¶ Q. Aug.Quæ sunt (inquit) ista testimonia? nisi quibus Deus testatus est daturum se regnum filijs suis sempiternum. Et quia in vnigenito suo hoc daturum se promisit,de quo dictum est: Et regni eius non erit finis, ipsa testimonia dixit in æternum fundata,quia id quod per ea Deus promisit,æternum est,idq; se cognouisse dicit ab initio, quia in principio mundi cùm plantaretur paradisus, cùm ex latere dormientis facta est Eua,cùm Abel occisus,Enoch translatus, Abraham possessionem sempiternam terræ Chanaan ex diuina promissione accepit. Iosue eandem filijs Israël partitus est:vniuersa hęc testimonia erant futurorum & ęternorum bonorum.

¶ Res.

Vide humilitatem [R] meam & eripe me,quia legem tuam nō sum oblitus.Iudica iudicium meum & redime me,propter eloquium tuum viuifica me. Longè [S] à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt.Misericordiæ tuę multæ Domine,secūdum iudiciū tuū viuifica me.Multi qui persequūtur me & tribulāt me,à testimoniis tuis non declinaui. Vidi præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.Vide quoniam mandata tua dilexi Domine,in misericordia tua viuifica me. Principium [T] verborum tuorum veritas,in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

¶ R. Humilitatem hoc loco vt sæpe aliàs non pro animi submissione, sed pro afflictione & depressione quæ per ærumnas & calamitates fit, accipere debemus vt Ambrosius scribens in hunc locum testatur. Est humilitas inquit virtutis, est & humilitas afflictionis, & quamuis latinus interpres non distinguat: vtramq; enim humilitatem appellat: gręci tamen distinguunt,vt est videre in epistolis Pau-

Pauli & cæterorum Apoſtolorum : quoties enim animi humilem & ſubmiſſum affectum ſignificare volunt, ταπεινοφροσύνην appellant : cum verò afflictionem aut ærumnas quibus deprimimur, ταπείνωσιν appellant, quæ vox eſt hoc loco. Plena ergo fiducia poſtulare poteſt è malis eripi, qui in afflictionibus & ærumnis diuinæ legis non obliuiſcitur, ſed indefeſſo ſtudio ſemper illam exercet.

¶ S. Prope eſt Dominus (inquit alibi) omnibus inuocantibus eum, ſed qui datam legem contemnunt, & oblatam Dei cognitionem clauſis oculis auerſantur, ab his longè eſt ſalus. Eiuſmodi enim ignorantia nullam veniam meretur, de quibus dictum eſt apud Iob prophetam cap. 21. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Qui dixerunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei? & quid nobis prodeſt ſi orauerimus illum? ¶ T. Veritas dicitur eſſe principium verborum Dei, quia in ijs nihil prius eſt, nihil illis magis peculiare eſt, quàm veritas. Verba enim ad hoc inuenta ſunt, vt his lingua verè interpretetur animi conceptus. Veritas autem fidei fundamentum eſt : primum enim oportet vt credamus vera eſſe Dei oracula, quæ in diuinis ſcripturis legimus: ſecundum, Iuſtiſſima eius iudicia eiuſmodi eſſe, vt ea impedire vel ſubuertere vnquam poſſit nemo. Veritas Dei commendatur Numerorum 23. capite his verbis : Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit? De firmitate autẽ diuinorum iudiciorum, ſic Eſaias: Dominus decreuit, et quis poterit infirmare? manus eius extenſa, & quis auertet eam?

ש Sin.

PRincipes [T] perſecuti ſunt me gratìs, & à verbis tuis formidauit cor meũ. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Iniquitatem odio habui & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi. Septies [V] in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Pax [X] multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Expectabam ſalutare tuum Domine, & mandata tua dilexi. Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ [Y] meæ in conſpectu tuo.

¶ T. Principes appellat, aut terrenam poteſtatem, à qua paſſus eſt multa poſtquàm in regem electus eſſet. Conſtat enim quàm capitali odio perſecutus ſit eum Saul rex, & in necem illius coniurauerit cum tota regia domo, & vniuerſis principibus ſuis: Vel principes eos accipimus, quos Apoſtolus appellat κοσμοκράτορας, id eſt, imperatores tenebrarum harum, qui inuidentes noſtris ſucceſſibus & ſaluti, perpetuò nos perſequuntur: cauendum autem nobis eſt, ne præpoſtero illorum metu, malis & incommodis victi præda illorum ſimus. Sed contrà potiùs ſalutari timore diuinorum verborum correpti, illorum victores fiamus, & corpora & animas noſtras, quas aliquando poſſederant, in libertatem vindicemus : & quæ ſpolia ſeruabant, eripiamus illis. De huiuſmodi ſpolijs Eſaias cap. 53. Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia. Et iterum alibi, Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.

¶ V. Quamuis ſeptenarij numeri mentionem faciat, non tamen exiſtimandum eſt Prophetam ſepties tantùm in die Deum laudaſſe, qui alibi dixit : Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Sed ſeptenarius numerus, vt Auguſt. verbis vtar, vniuerſitatis iudicium eſſe ſolet, quia per ſeptem dies currentes & recurrentes vniuerſa tempora voluuntur. ¶ X. Non terrenam pacẽ, ſed internam, quam falsò mundus nobis promittit, cùm dare eam non poſſet, hoc loco propheta intelligit, quę quoniã à ſolo Deo proficiſcitur, pacẽ Dei apoſtolus appellat, cùm inquit, Pax Dei quę exuperat omnẽ ſenſum, cuſtodiat corda & intelligẽtias veſtras. Hãc pacẽ neſcit mundus, hãc neſciunt peccatores, quod ex Dei perſona proteſtatur Eſa. Nõ eſt pax impijs dicit Dominus : et, Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Hanc pacem, qua nihil melius, nihil optabilius eſt in vita nos perdere peccatis &

flagitijs nostris : queritur per eundem prophetam Dominus. Vtinam inquit attendisses ad mandata mea , facta fuisset quasi flumen pax tua, & iustitia tua quasi gurgites maris. ¶ Y. Apud Deũ, vt inquit Ambrosius, nulla est latebra, cuius oculis omnia patent, affectu tamen abscondere vias nostras dicimur, cùm speramus Deum posse latêre arcana nostra, aut cùm alienã culpam nostris peccatis obtendimus. Sic abscondit Adam viam suam, qui audita voce Domini abdidit se, itidẽ fecit Eua, sic abscondit Cain necem fratris sui. Sciens itaque propheta omnes vias suas patêre oculis Dei , cum omni solicitudine seruat mandata, quæ non modò diligit, sed etiam vehementer diligit.

Z ת Tau.

APpropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me. Eructabunt [A] labia mea hymnum, cùm docueris me iustificationes tuas. Pronunciabit lingua mea eloquia tua, quia omnia mandata tua æquitas. Fiat manus tua vt saluet me, quoniam mandata tua elegi. Concupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est. Viuet anima mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum Domine, quia mandata tua non sum oblitus.

¶ Z. Septima & vltima cônnexio hebraicarum literarum est hæc, Cuph, Res, Sin, Tau, quorũ Cuph, siue Coph (vtroque modo enim pronunciatur) significat idem quod vocatio: Res, idem quod caput: Sin, dentes: Tau verò signa. Ex quibus hæc sententia nascitur, vocatio capitis, dentium signa. Porrò dentes ad vocem articulatam promendam necessarij sunt: vnde fit vt edentuli in loquendo balbutiant. Signa itaq; dentium voces sunt, quę per dentes proferuntur, & eæ sunt signa et notę rerum significatarum. Per hæc igitur signa diuinorum oraculorum vocat nos ad cælestia præmia Christus, qui caput est mystici corporis sui, quod est Ecclesia. Quid hoc sacratius (inquit D. Hieronymus) sacramento? Quid hac voluptate iucundius? Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quàm Dei scire prudentiam, & in abdita eius intrare, & sensum creatoris inspicere, & sermones Domini Dei tui, qui ab huius mundi sapientibus deridentur, plenos docere sapientia spirituali? hæc ille. ¶ A. Inter humana verba quæ cogitationibus impellentibus proferuntur, & diuinos sermones & cælestia oracula quæ instinctu & afflatu Spiritus sancti, intima cordium nostrorum replentis, effunduntur, hoc discrimen est, quòd illa promimus & enunciamus, hæc autem propter exuberantem gratiam Spiritus sancti eructamus, à corporalibus rebus ducta similitudine : propriè enim eructare, est stomachi nimiam repletionem ructu significantis: Sic alibi, Eructauit cor meum verbum bonum: & iterum, Eructabo abscondita à constitutione mundi. Et rursus, Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. Sic & hoc loco : Eructatura dicit labia sua hymnum, sed non priùs quàm perdidicerit suauissima sacrarum literarum mysteria quibus iustificamur, securi iam de salute nostra. Quomodo enim (inquit Ambros.) cantare potest in metu & timore pœnarum positus ? quomodo cantare potest grauium sibi conscius delictorum, nisi priùs fiat veniæ securus? Et tu ergo ede scripturarum cælestium cibos, ede vt replearis, ede vt verborum cælestium eructes saginam. Spiritales epulæ non obesse solent, sed prodesse satiatis : Hæc ille. ¶ B. Per manum quoties sine adiuncto ponitur, semper dextera significatur in sacris literis. Porrò vnigenitus Dei filius vt aliàs diximus, dextera manus appellari solet : cùm itaq; orat vt manus Dei fiat, nihil aliud orat, quàm vt adueniat in carnem Dei filius, per quem se saluandum nouit. Clariùs hebr. veritas id expressit, hoc modo, Sit manus tua auxiliatrix mea. Sic alibi infrà, Emitte manum tuam de alto, & eripe me etc. ¶ C. Totum hunc psalmum euangelico fine (vt Hilar. inquit) conclusit: conscius enim futurorum propheta, nouerat Christum ex semine suo nasciturum, qui errabundam ouem humani generis, & perditas oues domus Israël quæreret. Memor itaque peccati sui, se quoque velut erraticam & perditam ouem humeris clementissimi pastoris referri cupit &

pit, & ad supernas angelorum caulas reportari. Quod nulli continget nisi ijs qui iam toti sunt in meditatione & desiderio explendi mandata Dei, quique cum prodigo filio relictis porcorum siliquis, cælestia suspirant, & ad benignissimi patris complexus quem offenderant, festinant: quare addit, Mandata tua non sum oblitus: minus autem dicit quàm significet, idq; propter summam animi humilitatem & modestiam, cùm significare velit se iam nihil aliud meditari, nihil cogitare quàm Dei mandata.

Canticum [D] *graduum.* *Psalmus* CXIX.

AD Dominũ cùm tribularer [E] clamaui, & exaudiuit me. Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Quid [F] detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittę potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar [G], multùm incola fuit [H] anima mea. Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cùm loquebar illis, impugnabant me gratìs.

¶ D. Quindecim hi psalmi sequentes appellantur, Cantica graduum: verùm quia sunt gradus per quos adscendimus, sunt etiam per quos descendimus: non quoslibet gradus hìc accipimus, sed illos duntaxat per quos adscendimus, quod græca vox ἀναβαθμὸς clariùs exprimit, quæ ad verbum sonat, adscensum: vnde psal. 83. eandem vocem interpres latinus reddidit, adscensionem, cùm inquit, Beatus cuius est auxilium abs te, adscẽsiones in corde suo disponit in valle lachrymarum. Huiusmodi itaque gradus siue adscensiones & nos debere nobis facere admonent hæc cantica graduum, vt per profectus quosdam bonorum operum paulatim scandamus ad cælos, vt qui olim varijs tribulationibus depressi, flebiliter clamauimus, heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, per virtutum incrementa ad cæleste illud templum veri Salomonis Iesu Christi euecti, læti canere possimus: Ecce nunc benedicite Domino omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. Nec psalmorum numerus mysterio vacat. Nam quindecim gradus fuisse traduntur templi Salomonis. Præterea numerus hic hebdomadæ & ogdoadæ, id est, septenario & octonario cõstans, consonantiam legis Mosaicę: & legis euangelicę demonstrat. Legis enim Mosaicæ typus est septenarius, propter sabbatũ Iudaicum. Octonarius autẽ euangelicam legem denotat, propter octauam diem resurrectionis dominicæ. Vtraq; autem lex ijsdem pręceptis nos instruit, & ad eundẽ Deũ per virtutum gradus nos deducit.

¶ E. Non ob quaslibet tribulationes ad Deũ nos debere clamare, docet propheta: multi enim propriæ salutis obliti, aut damna rei familiaris, aut mortes suorum, aut orbitates filiorum, aut diutinos morbos lamentantur, & ob hęc ad Deũ clamant, nec exaudiuntur. Propheta autem hominem gradibus ad ęterna scandentem ex sua persona formans (inquit Hila.) à quibus malis maximè cauere debeat, docet: sunt enim tribulationes maximè trahentes nos in profundum peccati, quorũ malorũ caput & causa est pestilens & dolosa lingua, cùm alius nos hortatur ad honores, alius ad ociũ, somnum, gulam, luxum, alius ad falsarum religionum superstitionem, alius ad hæresim solicitat: & quia ad obsistendum his animi nostri imbecilla natura est, implorandum est magno clamore Dei adiutoriũ. ¶ F. Ex persona Dei hic versiculus dici intelligẽdus est, qui dignatur pietatis affectu interrogare animã ad se clamantẽ, & aduersus supradicta mala pręsidiũ postulantẽ, idẽq; sequentẽ versiculũ respondere dignatur. Sagittę potentis acutę cum carbonibus desolatorijs. Docẽs nullũ potẽtius remediũ esse aduersus dolosam & pestiferã linguã, quã oracula diuinorũ verborũ è sacris literis deprompta, quę benè sagittas potentis appellat & carbones, quia solę hę sagittę vulnerant & conficiunt linguam dolosam, habentes in se vim perurendi & deuastandi & desolandi omnia vitia. De his efficacibus sagittis, dictum est psal. 44. Sagittę tuę acutę cadent in corda inimicorum regis: & psal. 63. Sagittę paruulorum factę sunt plagę eorum.

¶ G. Non est hoc loco, Cum habitãtibus Cedar, sed cum tabernaculis Cedar, μετὰ τῶν σκηνωμάτων κήδαρ, quomodo & D. Aug. legit, qui sic habet, Inhabitaui cum tabernaculis Cedar. Porrò Cedar, filius fuit Ismahelis, vt docet liber Geneseos. Is enim Genes. 25. cap.
genuit

genuit inter cæteros filios primogenitum Nabaioth,deinde Cedar, vnde nati ſunt qui hodie Saraceni appellantur,cùm potiùs Agareni appellandi ſunt ,quia Iſmahel primus author generis,non ex Sara,ſed ex Agar ancilla genitus eſt.Cedar autem hebraicè ſonat idem quod tenebræ. Per tabernacula itaq; Cedar,terrena hæc & obſcura humani corporis habitatio intelligitur, quo detinetur anima,& veluti carcere quodam exul à cælesti patria includitur (vt Hilario placet.) Vel per tabernacula Cedar, intelliguntur (vt Aug.inquit)omnes qui carnaliter Deum colunt,perpetuis vitiorum & ignorantiæ tenebris inuoluti,qui perſequuntur & capitaliter oderunt pios, ſicut Iſmahel olim,qui ſecundum carnem genitus erat ex ancilla,perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum ex promiſſione natus erat. ¶ H. Clariùs D.Auguſt.legit hunc verſiculum, Multùm peregrinata eſt anima mea.Et ne corporalem peregrinationem intelligeres, non dixit corpus , ſed animam ſuam peregrinari, quæ quàm diu in corpore detinetur,peregrina eſt:vnde Apoſtolus,Quàm diu,inquit,ſumus in corpore,peregrinamur à Domino.

Canticum graduum. Pſalmus CXX.

LEuaui [I] oculos meos in mõtes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Non [K] det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui cuſtodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet,qui cuſtodit Iſraël. Dominus cuſtodit te,Dominus protectio tua ſuper [L] manum dexteram tuam. Per [M] diem ſol non vret te,neque luna per noctem. Dominus cuſtodit te ab omni malo,cuſtodiat animam tuam Dominus. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vſq; in ſeculum.

¶ I. Qui in priori pſalmo plenus anxietate & ſolicitudine clamauerat ad Dominum,iam mente altiùs ſcandens,oculos ſuos leuat in montes, id eſt, ad prophetarum & apoſtolorum libros, ex quibus certa præſidia & fidiſſima nobis præſtantur auxilia, non quòd apoſtoli aut prophetæ nos ſaluare poſſunt , ſed quòd per horum ſcripta & vaticinia erudimur & confirmamur,ne fracti et victi tribulationibus ſuccũbamus:vnde ſtatim ſubdit, Auxilium meum à Domino etc.oſtendens quis ſit author ſalutis noſtræ: de his montibus dictum eſt à nobis pſalmo 75.in illum verſiculum, Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.Et iterum pſal.71.in illum verſum,Suſcipiant mõtes pacem populo. ¶ K. Hæc ex perſona Spiritus ſancti optantis nobis bona & benedicentis nobis accipienda ſunt.Deus autem dicitur quoſdam tradere in commotionem, & quibuſdam dormitare & dormire,non quòd ipſe homines faciat peccare aut vitijs fluctuare, aut quòd in diuinam illam naturam cadat ſomni infirmitas , ſed cùm diſcedent à Deo per voluntatẽ auerſam, nobis dormitãtibus aut dormientibus ipſe dormitare et dormire dicitur , quia ſegniùs nos indignos cuſtodit,& miſerias noſtras videre diſſimulat:vnde ſinit nos labi,et pedes animorũ noſtrorũ,hoc eſt,animi affect⁹ varijs et noxijs cupiditatibus commoueri & fluctuare.Quales enim nos ſumus erga Deũ,talem & ſeſe nobis exhibet:vnde ſuprà dixit,Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruertêris. ¶ L. Per manus (vt ſuprà iam ſæpe dictum eſt) in arcanis literis intelliguntur opera:dextera verò appellantur bona,læua autẽ ſiue ſiniſtra,appellantur mala ſiue vitioſa. In ſanctis itaque nihil læuum aut ſiniſtrum eſſe debet: vnde apud Matth. Dominus nos monet,vt per dextram bona opera ſic exerceamus, ne ea intelligat ſiniſtra manus,hoc eſt,ita pietatem exerceamus,ne admixtione vitiorum ea corrumpatur.Tu inquit cùm facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera:hinc & pij , quia exercuerunt dextera opera virtutum,collocabuntur in extremo iudicio ad dexteram,impij verò ad ſiniſtram.Hoc itaque dicit ſpiritus ſanctus,Dominus cuſtodit te,& protegit dexteram tuam,id eſt,bona opera tua, ne aut perfidia aut oſtentatione & cenodoxia aut alijs ſubrepentibus vitijs corrumpantur. ¶ M. Geminus ſenſus eſſe poteſt huius verſiculi:poteſt enim ad pręſentem vitam referri hoc modo:Nec lęta & proſpera huius mundi te efferent ſuperbia, & inſoleſcere facient : nec triſtia & aduerſa deijcient aut elident, vt alias à nobis dictum eſt . Vel ad futuram vitam referri

poteſt,

poteſt, vt ſenſus ſit, In æterna illa & beata temperie cæleſtis patriæ, nec æſtu, nec frigore, nec vllis cæli iniurijs affligentur ſancti: vnde Apocalyp. 7. cap. Non eſurient neque ſitient, neque cadet ſuper eos ſol, nec vllus æſtus, quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget illos. ¶ N. Hoc eſt, cùm per mortem egredieris ex hoc mortali corpore, cuſtodiet te Dominus à rugiente leone diabolo: & cùm introibis in æterna tabernacula, itidem te cuſtodiet, ne hoſtis violentiſſimus viam & aditum regni cæleſtis tibi præcludat. Introitum tamen etiam aliter accipere poſſumus, pro ipſis rudimentis fidei, cùm primum per baptiſmum & fidem introducimur in domum Dei, id eſt, eccleſiam, cuius oſtium Chriſtus eſt: vnde apud Iohannem inquit, Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.

Canticum graduum. *Pſalmus* CXXI.

LAEtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini [O] ibimus. Stantes erant pedes [P] noſtri, in atriis tuis Hieruſalem. Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius [Q] participatio eius in idipſum. Illuc enim adſcenderunt tribus tribus [R] Domini: teſtimoniū Iſraël, ad confitēdū nomini Domini. Quia illic ſederūt ſedes in iudicio [S], ſedes ſuper domum Dauid. Rogate [T] quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abūdantia diligentibus te. Fiat pax in virtute [V] tua, & abundantia in turribus tuis. Propter [X] fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te. Propter domum Domini Dei noſtri quæſiui bona tibi.

¶ O. Per gradus quoſdam & fidei profectus hoc pſalmo paulatim altiùs ad cæleſtia ſubuehi & firmiore ſpe fulciri videmus animam iuſti, vt iam pleniore fiducia ſe ingreſſuram cæleſtē & æternam illam domū Domini perſuaſum habeat: vnde ſe ineffabili gaudio affectū dicit, quòd hęc ſibi dicta ſunt, à Spiritu nimirū ſancto, qui in nobis habitat, qui (vt Paulus inquit) teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei: filius autem manet in domo in ęternum (vt Chriſtus inquit Ioan. 8.) Omnis autē qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati, ſeruus autem nō manet in domo Domini in ęternum. Quæ autem domus hęc ſit, indicat ſequens verſiculus: Stantes erant etc. ¶ P. Non corporales pedes hoc loco intelligimus, ſed ſpirituales, id eſt, animi appetitus ſiue affectus: vt enim corpus pedibus, ita anima appetitu & affectibus mouetur. Deſiderio itaque maximo cæleſtis illius Hieruſalem ſe teneri indicat, cùm dicit pedes ſuos ſteтiſſe in atrijs Hieruſalem, ſtatione hac continuum & perpetuum amorem cæleſtis patriæ ſignificans. Ne autem terrenam Hieruſalem hîc ſignificari putemus, explicat de qua Hieroſolyma loquatur, dicens: In atrijs inquam illius Hieruſalem quæ ædificatur velut ciuitas, quod profectò de terrena illa Hieruſalem, in qua regnabat eo tempore Dauid, minimè poteſt intelligi: illa enim priſcis temporibus & iam olim ædificata erat: verùm cęleſtis illa, & quæ ſurſum eſt Hieruſalem, iam quotidie ædificatur accedentibus ad fidem Chriſti gentibus, quæ velut viui lapides ſuperædificantur ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, vt inquit Apoſtolus. ¶ Q. Magna laus cæleſtis illius ciuitatis Hieruſalē, quę tāta cōcordia ciuium conſtat, vt nemo in ea municeps eſſe poſſit, niſi vnanimi charitate diligat proximum, & morum innocentia membrum corpus myſtici, id eſt, eccleſiæ fiat. Diſſidentes autem à cœtu ſanctorum, & ſe ab eccleſię corpore per peccata ſeparantes, participationem ſanctę iſtius ciuitatis non habent, cuius participatio ſiue communio eſt in idipſum, hoc eſt, ſimul vel coniuncta ſibi mutuò.

¶ R. Tribus non quælibet adſcenderunt in cæleſtem illam Hieruſalem, ſed tribus Domini: ſunt enim quæ non ſunt Domini. Quare carnalis illa tribus Iſraëlitica, quæ Chriſtum filium Dei negat, non eſt tribus Domini: quia de lapidibus gentium ſuſcitauit Deus filios Abrahæ. Nec omnes qui ex circunciſione ſunt, ſunt Iſraëlitę: nec qui ſemen ſunt Abrahę, omnes filij: ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Quotquot ergo credendo ſequuntur veſtigia fidei

Abrahę,

Abrahæ, hi ſunt viri Iſrahelitæ, & tribus Domini, qui laudamus nomen Domini, & vocamur in cæleſtem illam Hieruſalem, vt perpetuò confiteamur Domino: idque in teſtimonium, hoc eſt, vt teſtes ſimus perfidiæ populi Iudaici, qui iuxta carnem Iſraëlitæ ſunt, qui in Chriſtum credere noluerunt, & gratiam qua ſaluamur, ſibi oblatam repudiarũt. In malam enim partem teſtimonium hoc loco vſurpatur, vt Marci 6. Quicunq; non receperint vos, neque audierint vos, exuntes indè, excutite puluerem de pedibus veſtris in teſtimoniũ illis. Sic & hoc loco: vnde vox illa Iſraël, hoc loco datiui caſus eſt non genitiui, quod ex græco articulo liquet τῷ Ισραὴλ, id eſt, ipſi Iſraëli.

¶ S. Has ſedes & hæc tribunalia promiſit ſuis Chriſtus in euangelio: In regeneratione, cùm ſederit filius hominis ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël. Per ſedes autẽ ſiue thronos, ipſos iudices ſedentes in thronis aut ſedibus iudiciarijs intelligimus per ſynecdochen, qua continens pro contento vſurpari ſolet. ¶ T. Rogare, latinis ambiguum eſt: nam & precari ſignificat & interrogare: græcum verbum ἐρωτάω, quanuis propriè ſit quæro vel interrogo, in ſacris tamen literis etiam pro petere aut precari aliquoties vſurpatur, vt hoc loco à 70. interpretibus vſurpatum eſt. Quare & hebr. veritas interprete Hiero. legit: Rogate pacem Hieruſalem, benè ſit his qui diligunt te. Adhortatur itaque nos propheta, vt precemur ea quæ ad pacem eccleſiæ ſpectant, & pacis abundantiam imprecemur his qui diligunt Hieruſalem. ¶ V. Virtus, hoc loco non ſignificat habitum animi, ſed fortitudinem: eſt enim græca vox δύναμις. D. Hieron. ad hebr. veritatem reddidit, Sit pax in muris tuis. Alij ſic, Sit pax in antemuralibus tuis: vnde & pſalmo 4. vbi nos legimus: Ponite corda veſtra in virtute eius, hebr. veritas interprete eodem Hieronymo legit: Ponite cor veſtrum in mœnibus eius. Per muros autem & turres, non munimenta aliqua lapidea ſignificantur, ſed per muros in quibus eſt præcipua potentia vrbium, ſignificantur paſtores Eccleſiæ Chriſti, qui arcent à populo Dei inſultus & violẽtiã hoſtiũ: per turres, epiſcopi qui in apoſtolorũ locum ſucceſſere, qui & maiori fortitudine et celſioribus meritis conſpicui omnibus eſſe debent. Cùm itaq; in his muris eccleſiæ pax fuerit & abũdãtia pacis, in his turribus, profectò benè agitur cum eccleſia, quod omnibus pijs aſſiduè optãdũ & orandũ eſt. ¶ X. Cùm Scribæ & Pharizæi omneſque hæretici, non Dei, ſed ſuam gloriam quærant, pacem quidem prædicant & promittunt, ſed non propter fratres & proximos inuitandos ad cæleſtem gloriam & perpetuã illam pacem quærendam, ſed propter ſuum commodum et quęſtum, pius quiſque & fidelis diſpenſator gratiæ Dei prædicat quanta ſit pax, & quantum gaudium cæleſtis Hieruſalem, vt fratrum & proximorum animas Chriſto lucretur: & quærit bona, hoc eſt, animarum lucra tibi: O Hieruſalem propter domum Dei, id eſt, propter fideles, propter ſanctos qui ſunt eccleſia, quæ eſt domus Dei. Cęleſtis enim illa domus & Hieruſalem, quæ ſurſum eſt, & terrena hæc domus Dei, vnam conſtituunt eccleſiam: verùm illa triumphans, hæc etiamnum militans appellatur.

Canticum graduum. *Pſalmus CXXII.*

AD [Y] te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce ſicut oculi ſeruorum, in manibus [X] dominorum ſuorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri. Miſerere noſtri Domine miſerere noſtri, quia multùm repleti ſumus deſpectione. Quia multùm repleta eſt anima noſtra, opprobrium abundantibus [A] & deſpectio ſuperbis.

¶ Y. Quartus hic adſcenſionum gradus eſt: Qui enim in primo cantico, in tribulatione conſtitutus ad Deum clamauerat, & in ſecundo cantico, ad ſanctos montes, id eſt, prophetarũ & apoſtolorũ ſcripta oculos mẽtis leuauerat, & tertio cãtico exhilaratus prophetarum oraculis & euangelicis promiſſis ſe iturum in domum Domini cæleſtem: hoc quarto cantico altiùs ſcandens ad ipſum Deum, iam oculos leuare audet certus de diuina miſericordia, & quantò grauioribus premitur afflictionibus, tantò firmius ſe ſperare & confidere Deo ſe profitetur. ¶ Z. Optima ſimilitudine vtitur propheta, ſumpta à ſeruis & ab ancillis, qui ſemper nutus dominorum, & manuum

indicia

iudicia obseruant diligentissimè, vt quomodo singula fieri ab illis volunt, eo modo perficiant, tantisper laboribus se fatigantes, dum eos quiescere iubeat Dominus. Ita & pius quisque patienter fert labores, incommoda, afflictiones, contemptum, probra & persecutiones tam diu, donec nostri misertus Dominus nos quiescere iubet à laboribus nostris, euocans nos ad coronam æternæ gloriæ, certissimè persuasum habens, Deum breui respecturum misericorditer piorum gemitus & labores.

¶ A. Abundantes iuxta literam & superbi, fuerunt reges tyranni satrapæ & magnates huius seculi, quibus mirum in modum contemptui fuit Christianorum religio contemptrix opum & dignitatum seculi. Mysticè autem, abundantes appellantur Philosophi huius mundi prophana sapientia inflati, & Iudæi suam legalem iustitiam iactantes & ea superbientes, qui fiducia operum legis Mosaicæ etiam hodie contemnunt Christianos, & fidem illis exprobrant. Est itaque sensus, Anima nostra repleta est, videlicet despectione, quæ est opprobrium abundantibus etc. Clariùs autem hunc versiculũ legit heb. veritas interprete Hier. hoc modo, Multùm repleta est anima nostra opprobrio abundantium, & despectione superborum.

Canticum graduum. *Psalmus* CXXIII.

NIsi quia Dominus erat in nobis dicat nũc Israël, nisi quia Dominus erat in nobis. Cùm exurgerent homines in nos, fortè C viuos deglutissent nos. Cùm irasceretur furor eorũ in nos, forsitan aqua absorbuisset nos. Torrẽtẽ pertrãsiuit anima nostra, forsitã pertrãsisset anima nostra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut D passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.

¶ B. Particula illa, quia siue quòd, quæ græcè est ὅτι, apud 70. ex idiomate hebraico relicta in latino sermone superuacua est, quæ in hebraica veritate interprete Hieronymo est omissa. Præterea primum versiculum huius cantici ibi terminat, Dicat nunc Israël. Sic enim legit, Nisi Dominus fuisset in nobis dicat nunc Israël. Nisi Dominus fuisset in nobis cùm exurgerent super nos homines. Qui igitur præcedenti psalmo oppressus miserijs misericordiã Domini implorabat, iã victis & superatis omnibus afflictionibus, hoc psalmo exultat de parta victoria, quam non humanis viribus, sed Dei adiutorio & præsidio adscribit. ¶ C. Mortui deglutiuntur, quorum corpora vi perimuntur: viui autem deglutiuntur, qui corpore viuentes, anima moriuntur propter scelera, quod olim moliti sunt tyranni, promissis magnificis aut tormentorum metu solicitantes animos martyrum ad scelus idololatriæ. Idem hodie diabolus molitur per ministros suos in nobis. Viuere enim & deditum esse luxui, somno, sacrilegijs, adulterijs, cædibus, hæc viuorum mors est, vt Hilarius inquit.

¶ D. Speciem pro genere posuisse videri possunt 70. maximè cùm hebraica veritas legat, Anima nostra quasi auis erepta est de laqueo venantium. Est tamen huic loco apta similitudo: ante enim quæstus est se despectui esse diuitibus & superbis: passere autem inter aues nihil est contemptius, & nidos suos ferè collocat in domuum parietibus, nec nidos suos facilè transfert in syluas, sicut nec pius vir ex ecclesia, quæ domus Dei est, vllo modo se transferri ad hæreticorũ conuenticula patitur: vnde ex persona hominis iusti dixit psal. 10. In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer.

Canticum graduum. *Psalmus* CXXIIII.

QVi E confidunt in Domino, sicut mons Sion, nõ cõmouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. Montes F in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nũc & vsq; in seculũ. Quia non relinquet G Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt

non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Bene fac Domine bonis & rectis corde. Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax super Israël.

¶ E. Post vocem Sion, distinctio ponenda est hoc sensu, Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, id est, simili securitate fruuntur, & eodem præsidio diuino firmantur, quo mons Sion, hoc est, Ecclesia firmatur. Deinde ab Ecclesia militante ad triumphantem in cælis transiens, addit: Is qui habitat in superna illa Hierusalem, non commouebitur in æternum. Hebraica autem veritas paulò aliter distinguit & legit principium huius psalmi, hoc modo: Qui confidunt in Domino, quasi mons Sion, immobilis in æternum habitabilis: secundum versiculum sic ordiuntur, Hierusalem montes in circuitu eius etc. sic Hieronymus. Alij recentiores interpretes sic: Qui confidunt in Domino, immobiles erunt sicut mons Sion, qui non mutat, sed stat in seculum. Propheta itaque ex iusti persona altiùs prouehitur hoc cantico, vt non solùm de auxilio & præsidio diuino sibi misso gaudeat, sed etiam in futurum certus sit de misericordia Dei exhibenda omnibus pijs, quibus Dei bonitatem, fidem, & clementiam prædicat, vt in aduersis certissimum sibi de cælo sperent adiutorium, & breuem calamitatum finem. ¶ F. Quos montes mysticos hìc accipiat, ex alijs locis liquet, quos suprà enarrauimus. Montes ergo vt Augustinus inquit, sunt vel angeli, vel apostoli, vel prophetæ: hi montes ambiunt, & velut muro cingunt & muniunt Ecclesiam. His montibus irrigatur, his illuminatur, hi montes suscipiunt pacem, quam populo Dei prædicent: hi montes ecclesiam, doctrina & scriptis erudiunt, consolantur, & auxilio sunt: Verùm ne totam salutem nostram in his montibus collocemus, addit: Et Dominus in circuitu populi sui, docens à quo vera salus petenda & speranda sit. ¶ G. Virga, in sacris literis sæpe in bonam partem, sępe etiam in malam vsurpatur. Semper autem pro potestate, qua alijs dominamur, accipitur: vnde pro regni administratione aut pro regno sæpe ponitur, quia virga siue sceptrũ insigne regni esse solet, vt ibi: Virga æquitatis, virga regni tui. Et ibi: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Pro tyrannide in malam partem accipitur Esaiæ 9. Sceptrum exactoris & virgam humeri eius superasti, sicut in die Madian. Et cap. 10. Væ Assur virga furoris mei. Sic hoc loco: Virgam peccatorum aut tyrannidem impiorum, qua opprimunt iustos, aut flagella quibus eos affligunt, intelligimus. Huiusmodi virgam non permittet Dominus perpetuò dominari & sæuire super iustos, ne immodicis & intolerabilibus malis victi, relicta via iustitiæ, ad iniquitates declinent. ¶ H. Obligationes interprete Hilario, vocat peccata quibus constringimur & obligamur, quas dissoluere monemur per Esaiam: Solue inquit colligationes iniquitatis, & fasciculos deprimentes & omne onus dirumpe. Quanquam græcè sit vox στραγγαλία, id est, suffocatio aut strangulatio: vnde D. Aug. legit: Declinantes autem in strãgulationem etc. Sensus verò idem: Nam peccata animã suffocãt & strangulant. Qui igitur aduersis & incommodis superati, relictis virtutibus, ad vitia declinãt, condemnandos dicit cum his, qui perpetuò iniquitatem operati sunt, ne quis sibi blandiatur de præterita vita innocenter acta: nisi enim perseueret vsq; in finem, non saluabitur: qui autem amat periculum, peribit in illo.

Canticum graduum. Psalmus CXXV.

IN [I] conuertendo Dominus captiuitatẽ Sion, facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Tunc dicent [K] inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis. Magnificauit Dominus facere nobiscũ, facti sumus lætantes. Conuerte Domine captiuitatẽ nostram, sicut torrẽs [L] in austro. Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant mittentes semina [M] sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

I Inter-

¶ I. Interpres latinus ad verbũ reddidit græcanicã locutioné non satis obseruatis regulis latinitatis. Nominatiuus enim Dominus, non habet locum nec quicquam à quo regatur. Quare D. August. in suis commentarijs legit, Cùm conuerteret Dominus captiuitatem Sion. Hilarius sic, Dum auertit Dominus captiuitatem Sion. Non autem de corporum, sed animarum captiuitate loquitur, qua vitijs & cupiditatibus capta seruit diabolo, qua seruitute profectò nihil turpius, nec captiuitate hac quicquam calamitosius. Quod autem non dicit, facti sumus consolati, sed sicut consolati, innuit nos nondum omnibus malis & periculis ereptos, sed tanquam exules, spe cælestium bonorum refocillari, quæ post miseram hanc vitam possidebimus.

¶ K. Præteritum tempus in futurum commutatum prophetiam hîc esse docet: respicit enim tempora nascentis Ecclesiæ, cùm gentes idololatræ admirantes constantiam & fortitudinem martyrum in perferendis tormentis, & videntes inter grauissimas persecutiones ecclesiam miris modis crescere, & Christianum dogma longè lateque propagari, cognouerunt miram Dei beneuolentiam erga populum suum, & in eo prædicauerunt Dei maiestatem & potentiam.

¶L. Orat vt Deus captiuitatem nostram conuertat, id est, animas nostras captiuas sub tyrannide peccati, & à diabolo abductas, conuertat ad se: vel, Conuerte captiuitatem dixit, id est, commuta eam libertate, sicut torrens conuertitur in Austro. Quorum verborum geminus sensus esse potest. Nam hybernis mensibus torrentes glacie constringuntur, & cursus eorum gelu impeditur: flante autem austro qui natura calidus est, soluitur glacies, & torrentibus suus fluxus restituitur. Peccata autem in arcanis literis per glaciem aliquando significantur, vnde Ecclesiast. 3. cap. Sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua, quia nos alligant & feruorem charitatis extinguunt: flante autem austro, hoc est, aspirante gratiam suam nobis Spiritu sancto, glacies peccatorum soluitur, & qui frigore pigri eramus, charitate incalescimus, & viam mandatorum Dei currimus. Alter sensus hic potest esse: Tolle captiuitatem nostram, sicut torrens austro flante decrescere & exsiccari solet. Torrentes enim riui sunt, qui hybernis imbribus & niuibus aucti, ad tempus fluunt, ingruente verò æstu solis exsiccantur: vnde græcè χειμαῤῥοι appellantur, quòd hyeme & tempestatibus fluant solummodo. In superioribus autem annotauimus, tribulationes & incommoda huius mortalis vitæ, torrentiũ appellatione significari, vnde suprà, De torrẽte in via bibit etc.

¶ M. Semina appellari bona opera ex multis locis scripturarum constat, quia ex his metimus æternæ vitæ prẹmia: vnde illa apud Paulum, Quẹ seminauerit homo, hẹc & metet: & qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: & qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam ẹternam: hẹc semina nõ seminantur sine lachrymis propter afflictiones & persecutiones quas patientur omnes qui piè volunt viuere in Christo. Ad hanc autem sementem omni tempore faciendam hortatur nos Salomon in Eccle. Manè inquit semina semen tuum, & vesperè non cesset manus tua, quia nescis quid mali futurum sit super terram.

Canticum graduum. *Psalmus* CXXVI.

NIsi[N] Dominus ẹdificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Vanum [O] est vobis ante lucẽ surgere, surgite postquam sederitis qui mãducatis panẽ doloris. Cùm [P] dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas [Q] Domini filii, merces fructus vẽtris. Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum [R]. Beatus vir qui impleuit desiderium [S] suum ex ipsis, non confundetur cùm loquetur inimicis suis in porta.

¶ N. Iudẹi psalmos & cantica, vt omnia alia prophetarum oracula, carnaliter, id est, crasso modo intelligunt, vt nihil cẹleste, nihil spirituale in his tractetur, sed omnia terrena & caduca & quẹ ad corpus attinent, in ijs contineantur. Quemadmodum

itaque priorem psalmum suo modo de captiuitate Babylonica intelligunt, & de libertate illis reddita per Cyrum regem Persarum, qui reditum illis permisit in Palestinam. Ita hunc psalmum intelligunt de templo Salomonis ædificato, vel instaurato potiùs sub Zorobabel duce, & Aggęo propheta, & Iosue filio Iozedec sacerdote magno, vt scribitur Esdræ primo libro, & de instaurata vrbe Hierosolyma sub Artaxerxe rege Persarum, vt scribitur secundo lib. Esdræ, cui rei præfectus erat Nehemias pincerna regis. Nihil autem horum hoc cantico significare vult propheta, sed illam domum hoc loco intelligit, de qua alibi dixit: Zelus domus tuæ comedit me: & Apostolus Paulus scribens Timotheo, Hæc scribo tibi inquit, vt scias quomodo te oportet conuersari in domo Dei, quæ est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Et de ea ciuitate hìc sermo fit, de qua alibi dixit: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Hanc itaque domum ædificat Dominus, & hanc ciuitatem condit & custodit Deus. Quanuis enim & patriarchæ & prophetæ & apostoli & eorum successores hanc spiritualem domum pro suo modulo ædificent, & pro viribus custodiant ciuitatem hanc, cessante tamen diuino adiutorio & præsidio, nihil proficimus, quod intelligens apostolus, Dei inquit, agricultura estis, Dei ædificatio estis: et iterum, Ego plantaui, inquit, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. ¶ O. Non damnat antelucanas preces nec enim creatam lucem hìc significat, sed illam de qua Ioannes, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniencé in hũc mundum. Surgit itaque ante lucem, qui destitutus hac luce euangelica vana opera molitur, quod fecerunt omnes philosophi & sapientes huius mundi: sed surgite, inquit, postquam sederitis, hoc est, vbi Christi magisterio edocti didiceritis humilitatem & mansuetudinem, tunc orietur vobis lux, & ea lucẽte surgite, et ad cęlestia nitimini. Illi autem doloris panem manducant, qui hìc lugent & quos pœnitet anteactæ vitæ: vnde alibi dixit, Cibasti nos pane lachrymarum. Per panem autẽ doloris, Theodotio & quinta editio panem idolorum verterunt: sexta autem editio, panem erroris, quæ non ad pœnitentes, sed ad idololatras gentes referenda sunt: ij enim pro cæli pane aluntur idolorum pane, id est, peruersis impijs & falsis dogmatibus.

¶ P. Quasi interroget quis, quando surgemus & è terreno hoc puluere transferemur ad cælestia: respondet, Id futurum, postquam dilecti, id est, sancti dormierint somnũ mortis: eo enim somno expleto, rapiemur obuiã Christo in aëra, sempercũ Domino futuri. ¶ Q. Fructus hoc loco genitiuus est nõ nominatiuus, quod ex gręco liquet: fructus itaq; ventris, est Dominus Iesus, quẽ genuit in salutẽ humani generis virgo: vnde & Elizabet, Benedictus, inquit, fructus vẽtris tui. Hic itaq; fructus virginei vẽtris à patre accepit loco mercedis gentes in hæreditatem, quos in filios adoptauit. Quotquot enim eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, vt inquit Ioannes.

¶ R. Excussorum filij dictum est, pro filij excussi, vt filius iniquitatis, pro filius iniquus. Apostolos itaque & horum successores Christianos, per filios excussorum siue excussos intelligit, non à puluere quem excutere iubentur ex pedibus in testimonium illis, qui verba eorum non receperint, vt est apud Euangelistam: sed interprete Diuo Hieronymo scribente ad Marcellam, Excussi appellantur expediti, accincti, vegeti, & robusti propter virtutem Spiritus Sancti qua induti erant ex alto ad debellandum principem mundi diabolum, & homines subiugandos legi euangelicæ: vnde Aquila vetus interpres bibliorum, pro filijs excussorum vertit, filij puberbatum: Symmachus & Theodotio, filij iuuentutis: Hinc apud Esdram septuaginta interpretes pro iuuenibus transtulerunt, excussos, sic enim legimus apud illos, Et factum est in die illa, medij excussorum faciebant opus, & medij eorum habebant hastas & scuta. Hi itaque filij excussorum sunt in manu Christi velut sagittæ, quibus vulnerantur corda peccatorũ, & traijciuntur metu & charitate Dei, de quibus antè dictum est psal. 44. Sagittæ tuæ acutæ cadent in corda inimicorum regis.

¶ S. Hebr. verit. interprete Hier. legit, Beatus vir qui impleuit pharetrã suã ex ipsis. Quia enim semel vsus erat metaphora ducta à sagittis, permanet in metaphora, dicẽs illũ beatum, qui pharetram suam, id est, scriniũ pectoris sui impleuerit his sagittis, id est, propheticis & apostolicis scriptis, quia non confundetur cùm Deus in extremo iudicio loquetur inimicis suis, id est, peccatoribus exprobrans illis inobedientiam, ingratitudinem & impietatem. In portis enim olim apud Iudæos ius dicebatur, & iudicia exercebantur. In portis ergo loqui nihil aliud est, quàm in iudicio vel apud tribunal loqui, vt alijs locis dictum est à nobis.

Canticum

Canticum graduum. *Psalmus* CXXVII.

BEati omnes qui timent Dominũ, qui ambulãt in viis eius. Labores manuum T tuarum quia manducabis, beatus es & benè tibi erit. Vxor V tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion, vt videas bona Hieruſalem X omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum Y tuorum, pacem ſuper Iſraël.

Et hic pſalmus totus myſticus & ſpiritualis eſt, ſicut & præcedentes: ſub inuolucris itaque verborum craſſis ſuauiſſimam medullam ſpiritus continet. Nam proponit benedictiones, quibus et in hac vita et futura Deus benedicit pijs, vt ad vitæ innocentiam, cuius fons eſt timor Domini, omnes inuitet. Nihil itaque terrenum hoc pſalmo accipere debemus, ſed quia canticum graduum eſt, à litera ad ſpiritalem intellectũ ſcandere debemus. ¶ T. Ex hoc verſu & ſequẽti clariſſimè conſtat, literam hîc relinquendã eſſe, nec terrenam, ſed ſpirituale benedictionem promitti. Nam inter ea quibus conſtat terrena beatitudo, numerãtur & opes, non manuum labore quæſitæ, ſed quæ aut hæreditate aut fortuna contigerunt nobis ſine labore & cura: hęc enim felicitatis bonam partem adimũt homini: vnde quidam ait, Vitam quę faciũt beatiorem? Res non parta labore, ſed relicta etc. Per labores itaq; manuum, virtutes hoc loco accipimus, quę ſine labore & ſudore non parantur, & hic cibus eſt animorũ nectare & ambroſia ſuauior: ſicut enim corpus terrenis alimẽtis paſcitur, ita mẽs humana exercitijs pietatis & diuinarum rerum contemplatione: qui autem hoc animę pabulo caret, is profectò miſerrimus et infeliciſſimus eſt: vnde illud Salomonis, Nequiſſima paupertas in ore impij. ¶ V. D. verò Aug. ſcribens in hunc pſalmum verſiculum illum, Vxor tua etc. de Chriſto dici vult à propheta, & mutationem perſonæ fieri, & à membris digreſſionem factam ad caput, id eſt, Chriſtum, & vxorem eſſe Eccleſiam, quæ ſponſa & vxor Chriſti eſt, quæ in lateribus domus ſuæ benè abundare dicitur multitudine filiorum, quos Chriſto parit velut vitis fœcundiſſima, cuius filij, id eſt, fideles quiq; per baptiſmum Chriſto geniti ſunt, ſedent quotidie in circuitu menſæ dominicæ ſacramentorum & ſcripturarum pabulo indè paſti: quos benè nouellis, vel vt græcè νεοφύτοις, oliuarum ſimiles dicit, quia inſerti oliuæ, id eſt, Chriſto, poſtquam exſecti ſunt ex oleaſtro, pinguedinis & gratię illius participes facti ſunt. Si vxoratũ eſſe & numeroſam prolem habere beatitudinis pars eſt, ab hac benedictione excluditur virginitas & cælibatus, quæ euangelicis literis adeò nobis commendãtur, hac benedictione caruit Abraham, qui ex vxore diu ſterili vnicum tantùm peperit filium in extrema ſenectute: hac caruit Iſaac, hac Moyſes, hac caruerunt multi reges & prophetæ: hac caruit, is qui benedictus eſt in ſecula Ieſus Chriſtus, per quem benedicti ſumus omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus: quo quæſo quid dici poteſt abſurdiùs, vxor itaq; non eſt hoc loco alia intelligenda quàm ſapientia, id eſt, humanarum & diuinarum rerum ſcientia, quam ſi amplexetur mens humana, & ſedulò illi coniungatur, ſpirituales filios, hoc eſt, virtutes & honeſtas actiones ex ea gignit, & bonæ voluntatis opera, de qua ita ſcribit Salomon Sapientiæ 8. Hanc, inquit, amaui à iuuentute mea, & quæſiui mihi ſponſam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius: hæc viti fœcundiſſimæ ſimilis, ſinus animorum noſtrorum replet numeroſa prole virtutum, quæ vegetantur & aluntur ſpirituali pabulo ex menſa diuinarum ſcripturarum, nõ ſecùs atq; nouellæ plantæ oliuarum fontibus irriguis. ¶ X. Bona appellat, beatitudinem & gaudia ſupernæ Hieruſalem, quæ alibi ardenti deſiderio ſuſpirabat propheta: Credo (inquit) videre bona Domini in terra viuentium, Domini appellans bona quòd ille largiatur: Nam terrena hęc Hieruſalem nihil pręter aceruos lapidum, & ruinas indicia lachrymoſæ euerſionis ſuę ſpectanda prębet.

¶ Y. Sicut antè oſtendimus filios appellari, opera pietatis & honeſtas actiones, quòd ſint partus quidem animarum deditarum ſtudio ſapientię, ſic hoc loco filij filiorum intelligendi ſunt eſſe præmia cęleſtia, quę ex virtutibus & operibus pietatis naſcuntur: vt enim diuina ſapientia parit honeſtas actiones, ita honeſtę actiones pa-

riunt præmia & coronas cæleſtes : vnde Auguſtinus ſcribens in hunc pſalmum : Qui inquit, ſunt filij filiorum ? fructus operum tuorum : facis eleemoſynas , filij tui ſunt, propter eleemoſynas accipis vitam æternam , filij filiorum tuorum ſunt . Hæc ille. Quid autem beatius quàm videre eiuſmodi filios filiorum . Idipſum autem clariùs explicans dicit : Pacem ſuper Iſraël , tribus verbis ſummam ſupernæ beatitudinis complectens : pace enim & tranquillitate & æterna requie nihil optabilius . Nec terrenum Iſraëlem aut Iſraëliticum populum hîc intelligit , ne quid ſibi arroget Iudæus, ſed ſpirituales nepotes Iſraëlis, & veros Abrahæ filios. Quare Apoſtolus ſcribens Galatis vt ſpiritualem Iſraëlem ſecerneret à carnali , ſic claudit epiſtolam explicans ſimul hunc locum pſalmi, Quicunque, inquit, hanc ragulam ſecuti fuerint , pax ſuper illos & ſecuritas & ſuper Iſraël Dei.

Canticum graduum. *Pſalmus CXXVIII.*

SAEpe Z expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſraël. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra A dorſum meum fabricauerunt peccatores , prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dominus iuſtus concîdet B ceruices peccatorum, confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion. Fiant C ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit. De quo non impleuit D manum ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colliget. Et non dixerunt qui præteribant E , benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini.

¶ Z. Cãticum hoc graduum velut Epinicion quoddam eſt, id eſt, carmẽ, quod canitur ob partam victoriã. Propheta autem quaſi præcinendo dicit primum verſiculum quem fidelis populus repetit ſecundo. Et eſt ſimile illi quod antè dixit : Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël: deinde idem repetitur , Niſi quia Dominus erat in nobis . Eccleſia itaq; catholica, quã per Iſraëlẽ intelligimus, oppugnata eſt à perfidis Iudæis, à regibus & tyrannis, ab hęreticis & ab impijs: idq; à iuuentute, id eſt, ab initio naſcẽtis eccleſię: verùm quanuis bellauerũt ſępe aduerſus eccleſiã, tamẽ nunquã pręualuerunt: quare interpres rectius vertiſſet, Sæpe oppugnauerunt quàm expugnauerunt: nam expugno eſt, pugnando vinco, quod gręcè eſt ἐκπολεμέω, hoc autem loco apud 70. interpretes gręcè eſt ἐπολέμησαν. Nam πολεμέω idẽ eſt quod bello adorior, aut oppugno. Sic & 2. verſu legendũ erat. ¶ A. Supra dorſum fabricare dicũtur peccatores, quoties pijs à tergo inſidias ſtruunt: vnde Hieron. ſcribens in hunc pſalmum, Iugiter inquit ad Deum currenti & ad ampliora tendenti fabricantur à tergo nequitiarum machinę, ſed cùm ad effectum non perueniunt, ſibiipſis prolõgãt & augent iniquitatem, & grauius faciunt peccatum ſuum inuidendo piorum ſucceſſibus: hebraica autem veritas interprete Hieronymo legit, Supra dorſum meum arabant, arantes prolongauerunt ſulcum ſuum, quod ad martyrum ſupplicia aptiſſimè referri poteſt, quorum dorſa flagellis & vngulis laniata & ſulcata ſunt : quod autem addidit , prolongauerunt ſulcum ſuum, ad tormentorum longitudinem referendum eſt: permanet enim in metaphora, arando enim ſulcos facimus. ¶ B. Ceruix, in ſacris literis ſuperbiæ rebellionis & contumaciæ ſymbolum eſt , ſic Deuteron. 31. Ego noui contentionem tuam & ceruicem duriſſimam : & Iob 15. Contra Deum pingui ceruice armatus eſt . Et Eſaias cap. 48. Sciui quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frõs tua ęrea. Ceruices itaq; peccatorũ cõcîdet Dominus, cùm rebelles, ſuperbos, & cõtumaces animos eorũ plagis frãget, & ſibi ſubiugabit inuitos, tradẽs eos ęternis ſupplicijs. ¶ C. Egregia et appoſitiſſima ſimilitudine propheta, reges tyrãnos et omnes hoſtes eccleſię, et in ſumma omnes ſuperbos qui diuinis monitis obtẽperare nolũt, cõparat fœno tectorũ, quod anteq̃ euellitur aut metitur, exaruit. Quia enim radicẽ nõ habet, ſed in tegulis aut imbricibus domorum naſcitur, quæ in paleſtina tecta habebant in planum porrecta, quantò altiùs excreſcit, eò citiùs ardore ſolis exſiccatur : ſic & impij , qui per ſuperbiam ſe efferunt , quantò ſublimiùs per dignitates , opes , & honores ſubuehuntur , eò velociùs omni

omni virore bonorũ operum & virtutũ destituũtur, quia charitatis radicẽ non habent, qui etiam antequam per mortem euellantur ex hac vita, apud Deum tamen mortui sunt. ¶ D. Per eos qui metunt & manipulos colligunt, intelligit apostolos vel horum successores qui ex semente verbi Dei eos metunt, & in manipulos colligunt recondendos in cælestia horrea, quos per prædicationem Christo lucrifaciunt. Sic Christus apud Iohannem apostolis dixit: Leuate oculos vestros, quia iam albæ sunt ad messem, ego misi vos metere quod non laborastis: aut per messores, angelos intelligimus, qui in fine mundi impios non colligent in æterna illa horrea, sed velut zizania & inutile & sterile fœnum in ignem æternum mittent. Sic Christus Matthæi 13. Messis inquit est consummatio seculi, messores sunt angeli. Mittet ergo filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminũ ignis. ¶ E. Prętereũtes hoc loco appellantur sancti, qui tãquã peregrini in hoc mundo vitam hanc transeunt, non hęrentes in his quæ nulla sunt, sed ad æterna tendentes, neque his quæ conspectui subiacent immorantes (vt inquit Hilarius) sed ad inuisibilia pergentes. Hi ergo transeuntes negãt eiusmodi sterili & inutili fœno tectorum benedictionem Dei, scientis operibus carnis & aridis fructibus caducisque gratiam diuini muneris denegandam.

Canticum graduum. Psalmus CXXIX.

DE [F] profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obseruaueris [G] Domine, Domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine. Sustinuit anima mea in verbo eius, sperauit anima mea in Domino. A [H] custodia matutina vsque ad noctem, speret Israël in Domino. Quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.

¶ F. Hoc canticum videri potest descẽdentiũ potiùs esse quàm adscendentiũ. Nam qui in superioribus psalmis exultabat & Deo gratias agebat de victis hostibus, in hoc cantico, de profundo rursus ad Deum clamare compellitur. Sciendum itaque, in scripturis sacris multiplex profundum inueniri. Est enim profundum siue altitudo diuitiarum scientiæ & sapientiæ Dei, cuius mentionem facit Apostolus ad Rom. 11. Est & profundum vitiorum de quo Salomon Prouerb. 18. Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit, sed sequitur illum opprobrium & ignominia. Est quoque profundum humanarum calamitatum, quo vallamur quàm diu sumus in hoc corpore mortali. Nisi itaque animus fide & spe scanderet ad cælos, non posset clamare de hoc profundo ad Deum. Verbis itaque Ionæ prophetæ clamãdũ & orandũ est nobis quoq; de profundo hoc æstu humanarum afflictionum. Proiecisti (inquit) me in profundũ, in corde maris, & flumen circũdedit me. Omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt: Veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum, & subleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus. ¶ G. Obseruare iniquitates, est exacta & iusta lance examinare peccata, & tantum pœnarum irrogare quãtum meruere peccata. Intelligit itaque propheta causam omnium calamitatum quibus premimur, esse præcipuam, peccata & iniquitates nostras: vnde & infrà orat, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: vnde & beatus Iob cap. 9. Verè inquit scio, quòd non iustificetur homo comparatus Deo, Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnũ pro mille. ¶ H. Nox in quatuor custodias siue vigilias apud priscos diuidebatur. Custodia autem siue vigilia matutina vltima erat inter vigilias aut custodias noctis. Cùm itaque dicit Israëlem sperare in Domino à custodia matutina vsque ad noctem, non ita intelligendum est, quasi spes nostra vnum tantùm diem à matutino vsq; in vesperam duret: sed quia Christus diluculo & in vigilia matutina surrexit à morte ad immortalitatem: Is sperat in Domino à custodia matutina, qui sperat & se resuscitandum ad immortalem vitam,

& hanc ſpem concepit ex Chriſti reſurrectione,nihil hæſitans in membris ſecuturum quod in capite præceſsit.Sperandum autem eſt vſque ad noctem, id eſt,quouſq; finiatur hæc vita,quouſque adueniat nox vniuerſi generis humani in occaſu mundi. Tum verò ampliùs non ſperabitur, quia tum videbimus facie ad faciem:quod autem videt quis,id iam nõ ampliùs ſperat.Spes enim quæ videtur,nõ eſt ſpes vt inquit Apoſtolus.

Canticum graduum. Pſalmus CXXX.

DOmine I non eſt exaltatum cor meũ, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus ſuper me.Si non K humiliter ſentiebam,ſed exaltaui animam meam. Sicut L ablactatus eſt ſuper matre ſua,ita retributio in anima mea. Speret Iſraël in Domino, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

¶ I. Pſalmus hic duodecimus eſt inter cantica graduum, quo commendat nobis propheta animi humilitatem,ſciens neminem adſcenſurum in cælum nec exaltãdum, niſi qui in hac vita ſe humiliauerit. ¶ K. Geminum ſenſum huius loci dat Aug. Is enim vult hunc verſum prorſus idem ſignificare cum primo verſu, & prophetam ſeſe deteſtari & maledicto obſtringere, ſi vſpiam ſe per ſuperbiam eleuarit,& ſimile eſſe illi quod alio loco habet: Domine Deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam etc. Porrò maledictionem hanc eſſe, vt infans adhuc vlnis maternis geſtatus & lacte opus habẽs,amoueatur à matris lacte, quod ipſum Aug. letale futurum infanti putat. Verùm D. Hieron. & item Hilarius ſecùs interpretatur,quam interpretationem non tacet Auguſt. tametſi alteram præferat. Volunt enim aliud eſſe, animam exaltare & non humiliter ſentire,quàm cor exaltare & oculis elatis eſſe:hoc enim vitio dari,illud verò laudi. Is itaq; animam exaltat,qui eam à terrenis cupiditatibus ad deſideria cęleſtia eleuat,nec quicquam abiectum humile aut caducum ſentit aut cogitat,& hæc verior & aptior eſt interpretatio.

¶ L. Id eſt, peto, vt idem tribuas animæ meæ quod infanti iam grandiuſculo,& à lacte matris amoto fieri ſolet:is enim iã ſolidioribus cibis nutriri incipit, vt qui nõ ampliùs opus habeat lacte,quòd firmiori iam corpore fiat.Quo ſignificat ſe cupere percipere altiora myſteria de ęterno Chriſti regno & ſacerdotio,& ſpirituali eius templo quod eſt eccleſia, de quibus diſſeritur in ſequenti cantico: habet enim & anima ſuam infantiam in qua lacte nutritur,habet & pueritiam,habet & virilem ætatẽ: vnde Apoſtolus ſcribens Corinthiis, Lac vobis inquit potum dedi,non eſcam:nondũ enim poteratis:& iterum ad Heb.ſcribens,Facti eſtis quibus lacte opus eſt,non ſolido cibo: omnis enim qui lactis eſt particeps,expers eſt ſermonis iuſtitiæ:paruulus eſt enim,perfectorum autem eſt ſolidus cibus,eorum qui pro ipſa conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.In huius rei typũ legimus Geneſis 21. cap. Abraham feciſſe grande conuiuium non in natiuitate Iſaac, non in circunciſione, ſed in ablactatione eius.

Canticum graduum Pſalmus CXXXI.

MEmento M Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Sicut N iurauit Domino,votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ,ſi adſcendero in lectum ſtrati mei.Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ. Et requiem tẽporibus meis donec inueniã locum Domino, tabernaculũ Deo Iacob. Ecce audiuimus eam in Ephrata O,inuenimus eam in cãpis ſyluę. Introibimus in tabernaculũ eius,adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.Exſurge P Domine in requiem tuam,tu & arca ſanctificationis tuæ

nis tuæ. Sacerdotes tui induantur iustitia,& sancti tui exultent. Propter [Q]Dauid seruum tuum,nō auertas faciem Christi tui. Iurauit Dominus Dauid veritatem & non frustrabitur eum, de fructu ventris [R] tui ponam super sedē tuam. Si custodierint filii tui testamentū meum, & testimonia mea hæc quæ docebo eos. Et filii eorū vsq; in seculū sedebunt super sedem tuam. Quoniam elegit Dominus Siō, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo quoniam elegi eam. Viduam [S] eius benedicens benedicam, pauperes ei⁹ saturabo panib⁹. Sacerdotes [T] eius induā salutari, & sancti eius exultatione exultabunt. Illuc producam cornu [V] Dauid, paraui lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio [X] mea.

¶ M. Hunc psalmum Iudęi decepti similitudine nominum & rerum gestarum, ad Dauid filium Iessę detorquent, sicut & psalmum.71.qui inscribitur, In Salomonem, ad filiū Dauid Solomonē, & ad illius regnum torquent, cū vterq; ad Christū referendus sit. Nā is est verus Salomon, id est pacificus, qui per sanguinē crucis suæ pacificauit omnia, & quę in cęlis sunt, & quę in terris. Et idem, quia carnem assumpsit ex semine Dauid, eius nomine passim in scripturis appellatur, de cuius genere assumpturus erat corpus, qui immanē gigantē Goliat, hoc est principem mūdi diabolū prostrauit, reuera Dauid appellatus, id est, fortis manu. Orat itaq; Deum, vt memor sit omnis mansuetudinis Dauid, hoc est, Christi filij sui, quo nihil māsuetiùs vnquā fuit, qui māsuetudine & patientia sua fregit & vicit violentissimum hostē humani generis. ¶ N. Hebraica veritas interprete Hieronymo legit, Qui iurauit domino. Apud.70.interpretes gręcè est ὡς, quod nō solū sicut, sed etiam quo pacto significat: quare dilucidiùs verti poterat, Quomodo iurauit Domino, etc. Hoc sensu, O Domine memēto Dauid, quomodo iurauit Domino & votū vouit Deo Iacob. Quæ autē sequūtur, si iuxta literā acceperimus, absurdissima erūt. Nec homo huiusmodi iuramēto & voto (vt ait Hila.) se obstringere permittitur ab imbecillitate naturę humanę. Nā etsi maximè nolit, cōditionē tamē voti huius necessitate naturę violabit. Stādū erit nāq; noctes & dies sub cęlo, oculi semper vigiles laborabūt, & ne ipsis quidē palpebris cōniuēdi in dormitatione cōcedetur facultas. Nec Dauid templū locúmve Domino inuenit, quia id Salomon post mortem Dauid fecit. Verùm Christus hoc voto & iuramento se obligauit apud patrem, nō reuersurum se in cæleste tabernaculum: nec se priùs adscēsurum lignum crucis, nec in eo durissimo lecto dormiturū somnum mortis, priusquā in hominibus dignū Deo patre locum & spirituale templum parasset. ¶ O. Suo more propheta volens nos à litera subducere ad spiritualem intellectum, ne Scribarum & Rabinorum more iudaizemus, hoc versiculo nos compellit, vt de Christo filio Dei, non autem de Dauid filio Iesse hūc Psalmum intelligamus. Nam cùm Dauid templum cuperet ędificare, oraculo Gad prophetæ admonitus, vt altare ędificaret domino in Area Arenna Iebusei habitantis in Ierusalē, eundē locū designauit tēplo futuro, quod ibidem ędificauit Salomon vt docet tertius liber Regum: Hîc autem dicit, Audiuimus eam, videlicet sedē Domini (vt Aug. interpretatur) vel, Audiuimus illum (vt Hebraica veritas interprete Hieronymo habet) scilicet Dominū in Ephrata, et inuenimus in campis syluę. Tota autē regio Bethlemitica hodie quoq; dicitur Ephrata: vnde illud Michię.5. Et tu Bethleē Ephrata paruulus es in milibus Iuda. Christo itaque nato in Bethleem (qui lapis angularis & fundamentum ecclesiæ est) iacta sunt fundamenta templi, quod constructum est ex viuis lapidibus gentium: vnde dicit hoc tabernaculum inuentum in campis syluæ: vel vt hebraica veritas legit, In regione saltus, populos gentium significans per campos syluæ aut saltus, qui priùs carentes cultore, diaboli erant cubilia. ¶ P. Pedes, in sacris literis Apostoli & pręcones verbi Dei sæpe appellātur: vel quòd sicut pedes corpus sustentant, ita & illi totū mysticum corpus ecclesiæ: vel pedes appellantur propter officium annunciandi euangelium: vnde Esaias. Quàm speciosi super montes

pedes

pedes annunciantis & prædicantis pacem,annunciantis bonum,prædicantis salutem. Locus ergo in quo steterunt pedes eius, est ecclesia catholica fundata ab apostolis,in qua adorandus est Deus, quia extra ecclesiam nulli salus est speranda.

¶ Q. Inuitat propheta Christum vt inhabitare incipiat templum quod condidit, quasi dicat: Iam explesti iuramentum,reddidisti votum,iam inuenisti locum Deo, iam produxisti ex latere tuo perfosso sponsam ecclesiam, exsurge nunc ab inferis,& posside ecclesiã in qua perpetuò requiescas nõ solùm tu iuxta diuinitatem, sed & arca sanctificationis tuæ: non arca illa veteris testamenti terrena, ab allophylis capta, & polluta à regibus,quæ hodie subuersa vrbe & templo,nulla est,sed arca illa vera sanctissimi corporis tui intus & foris deaurata charismatibus Spiritus sancti, verum manna & panem angelorum in se continens,& tabulas Mosi, id est, omnia sacramenta legis in se concludens, cuius typum gessit vetus illa testamenti arca. ¶ Q. Id est,propter illum qui ex semine Dauid formam serui accepit,non auertas,hoc est, auerti permittas à sacerdotibus & sanctis tuis faciem Christi tui, vt videlicet eos diuinitatis suæ gloria illuminet,qui lætantur propter Dauid seruum tuum,id est, propter assumptum ab eo corporis sacramentum & serui formam.Per faciem enim diuinitatem intelligit, filius enim(vt inquit Apostolus)est imago Dei inuisibilis splendor gloriæ & figura siue character substantiæ paternæ,vt enim humanæ similitudines in facie spectantur præcipuè, ita quicquid habet pater in filio,euidentissimè relucet. ¶ R. Sicut Christus est corporalis fructus virginei ventris Mariæ,ita & nos sumus spiritualis fructus vẽtris Christi,per euangelium & sacrum baptisma ab illo geniti. Apostoli itaq; primi fructus fuerunt ventris Dauid, quibus dictum est: In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ,sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.Nec solùm illis promittitur thronus regalis,sed & filijs eorum spiritualibus, id est,omnibus fidelibus & pijs,si custodierint testamentum eius,& testimonia,nõ quæ Moses in lege docuit,sed quæ docebo inquit eos,quod sine controuersia ad euangelicam legem referendum est:vnde Apocalyp.3.scriptum est, Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo,sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno eius.

¶ S. Viduam appellat, vel totam ecclesiam(sic enim Aug.placet)quòd in hoc seculo omni humano auxilio & solatio destituitur.Vel viduam appellat,fidelem Iudæorum synagogam, quæ antiquata & abolita lege Mosaica velut mortuo marito legitimè Christo nupta est.Sciendum tamen omnia græca exemplaria cõstanter legere hoc loco nõ χήραν,id est,viduam, sed θήραν,id est,venationem,cuius lectionis & diuus Hilarius in commentarijs suis meminit,quam confirmat quoque hebraica veritas quam ita reddidit D.Hiero.Venationem eius benedicens benedicam,vt sensus sit:Ego benedicam apostolis eius qui venatores & piscatores hominum facti sunt, vt hæc quoque eorum venatio siue captura benedicta sit, & prosperum habeat successum.Nã & Bethsaida ciuitas Galileæ,vnde orti erant Apostoli iuxta hebraicè linguæ interpretationem sonat,domus venantium. ¶ T. Suprà dixerat: Sacerdotes tui induantur iustitia, vt videlicet lorica iustitiæ induti non saucientur à iaculis & telis diaboli: hîc verò dicit amplius quiddam: Sacerdotes eius induam salutari,id est, quantum ad mores & vitæ innocentiam & puritatem conformes faciam saluatori Christo: vnde Apostolus scribens Romanis,Induimini inquit Dominum Iesum. ¶ V. Producere,hoc loco dictum est pro,exoriri faciam, græcè ἐξανατελῶ,vnde clariùs hebraica veritas legit, Ibi oriri faciam cornu Dauid.Cornu autem vt alibi dictum est, aliquando pro regno ponitur vt hoc loco:Reges enim apud hebræos oleo ex cornu prompto inungi solẽt.Dicit itaque Deus pater,Ego oriri faciam regnum Dauid,non in terrena hac Hierusalem, sed illic,id est,in campis syluę siue in regione saltus,hoc est,inter feras & incultas gentes,ex quibus nouũ sibi condidit populum Christus. Quod autem sequitur: Paraui lucernam Christo meo, vaticinium est de Iohanne Baptista,de quo dixit Christus apud Iohannem cap.5.Ille(inquit)erat lucerna ardens & lucens,vos autem voluistis ad horam exultare in lumine eius.Dictus lucerna,quia pręuio suo lumine annunciauit venturam lucem illam veram,quæ illuminat omnem hominem: quemadmodum autem lucerna se habet ad solem,ita & Iohannes ad Christum: vnde de eo dictum est, Non erat ille lux,sed vt testimonium perhiberet de lumine. ¶ X. Quod 70. verterunt ἁγίασμα,id est, sanctificatio,hebraicè est נֵזֶר Nefer, quod significat quoque consecrationem,coronam,& diadema.Aquila interpres vertit,consecratum.Significat itaq; interprete Hiero.laminam sacram ex auro, quę in fronte summi sacerdotis dependebat, inscul-

ptum habens nomen Domini tetragrammatum siue ineffabile: quo significat propheta Christum esse verum sacerdotem magnum & summum pontificem secundum ordinem Melchizedec.

Canticum graduum. Psalmus CXXXII.

ECce Y quàm bonum & quàm iucundũ habitare fratres in vnum. Sicut vnguentũ Z in capite quod descẽdit in barbã, barbã Aarõ. Quod descendit in oram vestimẽti eius, sicut ros Hermon A qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in seculum.

¶ Y. Quia in præcedenti cantico vaticinatus erat spirituale regnum & sacerdotium Christi, & gentes vocandas in consortiũ regni cælestis, & ecclesiã fundandã reiecta synagoga, hoc cantico commendat vnitatẽ & concordiã ecclesiæ Christi, & quantum gratiarũ & benedictionis hinc nobis datur cælitus, quòd vnanimes habitamus in ecclesia: vnde Lucas in actis apostolorũ describẽs prima rudimenta nascentis ecclesiæ, hoc præconiũ præcipuè de ea prædicat. Erat inquit omniũ credentiũ cor vnũ & anima vna: vnde ad significãdã hãc animorũ cõcordiã, fratres appellat, nõ corpore, sed mẽte et animo. Animorum enim mutua beneuolentia, quæ ex eiusdẽ religionis vinculo nascitur, longè maior & firmior est necessitudine sanguinis vel generis. Quòd autem duo hæc coniunxit, bonum & iucundũ, ideo fecit, quia non omne quod bonũ est, iucũdum est: nec continuò quod iucundũ est, bonũ erit, luxus: iucũdus est, sed nõ est bonus. Contra: Tolerãtia iniuriæ bona est, iucunda autem non est. Mutua autẽ charitate fœderatos vnanimiter habitare in ecclesia, & bonũ & iucundum est. ¶ Z. Gratiæ & benedictionis diuinæ vbertatem, quam Deus ecclesiæ suæ iugiter infundit, cõparat vnguento optimo & fragrantissimo, quo inungebatur summus sacerdos & cõsecrabatur, de quo legimus Exodi 25. & 30. cap. Per caput itaque, hoc loco diuinitatem accipimus: per barbam Aaron, hominem assumptum à Christo. Barba enim virilis sexus signum est: humanitas itaque Christi vncta est spirituali vnguento siue oleo, & consecrata à Deo patre: & pontificia dignitas summumque sacerdotium, cuius typum gessit Aaron, illi concessa est. Et hæc eadẽ gratia & benedictio cælestis à Christo summo sacerdote descendit ad apostolos omnesq; fideles, vt ne extremi quidem in ecclesia expertes relicti sint donorum Spiritus S. quos per oram vestimenti denotat. Nam ecclesia, vestimentum Christi appellatur, quòd Christus ea exornatur ceu diademate & vestimento.

¶ A. Omnibus modis destituit nos hîc litera. Nam fieri non potest, vt ros mõtis Hermon descendat in montem Sion, cùm longissimo interuallo hi montes à se distẽt. Nam sicut antè quoque admonuimus psal. 41. Hermon, mons est situs ad radices Libani montis, qui Pheniciam à Iudæa disterminat: est autem quasi limes medius inter Phenices & Arabes, cuius ros per tanta locorũ interualla nõ potest deriuari in montem Sion: quare ad spiritualem sensum confugere debemus. Hermon itaq;, sonat anathema siue detestatio: Sion autem, speculã, qua voce semper denotatur ecclesia. Gratia itaque & cælestis benedictio, quæ per rorem significatur, quę antè peculiaris erat synagogæ, iam descendit in ecclesiam, quia propter perfidiam detestatur iudaicũ populum Deus, nec vspiam extra ecclesiam datur alicui cælestis benedictio & vita æterna: quare dicit, Quia Dominus mandauit benedictionem & æternam vitam, illic, hoc est, in Sion aut in ecclesia duntaxat dari fidelibus.

Canticum graduum. Psalmus CXXXIII.

ECce B nunc benedicite Domino omnes serui Domini. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. Benedicat tibi Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

¶ B. Cãticũ hoc vltimũ est inter cãtica graduũ, & decimumquintũ numero, quo ad laudãdũ & benedicendum Deo inuitamur: gradibus autem profectuum hucusque prouehi-

prouehimur,& ad sublimiora ducimur,vt in superioribus annotauimus: vnde in duodecimo cantico post varias animi virtutes & pietatis exercitia, humilitatẽ nobis commendat, dicens: Domine non est exaltatum cor meum etc. Frustra enim cumulamus virtutes,si desit humilitas quæ mater & custos omnium virtutum est.Et ita iam grandior factus & à lacte depulsus , altiora mysteria de regno & sacerdotio Christi in 13. cantico contemplatur.In decimoquarto abundantiam gratiarum & benedictionũ cælestium , quas consequuntur filij ecclesiæ,explicat . In hoc autem nouissimo cantico ad gratias Deo agendas nos hortatur, qui per filium suum benedixit nos omni benedictione spirituali . Sed quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris,cui dictum est: Quare tu enarras iustitias meas & assumis testamentum meum per os tuum?Ideo non omnes ad benedicẽdum Deũ inuitat,sed seruos tãtùm Domini. Quisquis enim peccatis obnoxius est,is aut ventris aut cupiditatum seruus est. ¶ C. Seruorum alij cadunt,qui relictis virtutibus ad vitia declinant : alij iacent,qui vitia sua fouent,& in ijs computrescunt velut iumenta in stercore suo:alij sedent, qui ad bene operandum segnes & pigri sunt. Verùm nobis perpetuò standum est , si Dominum rite benedicemus: vnde Mosi dictum est,Tu verò hîc sta mecum: Nec vbique standum est, sed in domo Dei & in atrijs eius,id est,intra septa ecclesiæ catholicæ,extra quam nulli salus est.

¶ D. In die,id est,in rebus prosperis facilè est benedicere Domino: verùm in noctibus,hoc est,in rebus tristibus & aduersis idem facere iubemur , & nihilo segniores reddi ad bene operandum:id enim estextollere manus in sancta, hoc est , vel ad sancta opera,vel ad sancta templa cælestia:nam hebraica veritas interprete Hieron. refert ad Deum,sic enim legit:Leuate manus vestras ad sanctũ.Is autem leuat manus suas ad sanctum,qui nihil spectat in pijs operibus præter Deum , qui omnis sanctimoniæ fons est,illi per omnia placere cupiens,nec quenquam præter Deum actionum suarum conscium esse cupit.Extremus versiculus optantis est & cælestem benedictionem imprecantis,vbi non ociosè mutatus est pluralis numerus in singularẽ,ad significandũ quãta in nobis debeat esse animorum concordia & voluntatum vnitas, si digni habebimur cælesti benedictione:vnde Aug.Esto vnum & in vno,& perueniet ad te benedictio.

Alleluia. Psalmus CXXXIIII.

LAudate A nomen Domini,laudate serui Dominum. Qui statis in domo Domini,in atriis domus Dei nostri.Laudate Dominum quoniã bonus Dominus,psallite nomini eius quoniã suaue est. Quoniam Iacob elegit sibi Dominus,Israël in possessionem sibi. Quia ego cognoui quoniam magnus est Dominus,& Deus noster præ omnibus B diis.Omnia quæcunque voluit Dominus,fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Educens C nubes ab extremis terræ, fulgura in pluuiã fecit. Qui producit ventos D de thesauris suis, qui percussit primogenita E AEgypti, ab homine vsque ad pecus. Et misit signa & prodigia in medio tui AEgypte,in Pharaonẽ & in omnes seruos eius.Qui percussit gẽtes multas,& occidit reges fortes. Seon F regem Amorrhęorum,& Og regem Basan & omnia regna Chanaan.Et dedit terram eorum hęreditatem,hæreditatem Israël populo suo.Domine nomen tuum in æternum,Domine memoriale tuum in generatione & generationem.Quia iudicabit Dominus populum suum,& in seruis suis deprecabitur G .Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominũ.Os habent & non loquentur,oculos habent & non videbunt.Aures habent & non audient, neque enim est spiritus in ore ipsorum.Similes illis fiant qui faciunt ea,& omnes qui confidunt in eis. Domus Israël benedicite Domino,domus Aaron benedicite

dicite dño. Dom⁹ Leui benedicite Domino, qui timetis Dominũ benedicite Domino. Benedict⁹ Domin⁹ ex Siõ, qui habitat in Hierusalẽ.

¶ A. Psalmus hic iuxta literã tantũ ea narrare carptim & cõpendio videtur, quæ continent liber Exodi, & liber Numerorũ. Verùm quoniam, vt sæpe diximus, lex spiritualis est iuxta apostolũ, & quęcunque continet, futurorum vmbrę sunt, & quæ in ea gesta sunt, accipienda sunt ceu ἀλληγορούμενα, id est, per allegoriam dicta, nõ negligenter audienda sunt à nobis: quia vt Hilarius inquit, sub corporalium gestorũ fide, in exemplũ spiritualium operum sunt constituta. Narrat itaque propheta sub inuolucris figurarum veteris historiæ, quanta beneficia contulit Deus populo Christiano, qui est verus Israël & semẽ Iacob, inuitans eum ad laudes Dei, quòd ab eo electus sit in possessionẽ siue peculiarẽ populum. Est enim gręcè, περιούσιασμόν, quod heb. veritas interprete Hieron. legit, peculium, hoc est, proprium & peculiarẽ populũ, idque sublata tyrãnide diaboli, quẽ per Pharaonẽ intelligit, & extinctis potentissimis regibus alienigenis, & regnis eorũ deletis, per quos regnum peccati, & vniuersum vitiorũ agmen symbolicè denotat. Hìc obiter notandũ in tertio versu, quod interpres noster vertit, Quoniam suaue est, græce esse, ὅτι καλόν, id est, quoniam honestum est aut decens est: ita enim vertit ad Heb. veritatem D. Hierony. Quòd autẽ vertit, suaue, videtur ex centesimo quinto psalmo traductũ, vbi gręcè legimus, Ἐξομολογεῖσθε τῷ κυρίῳ ὅτι χρηστός: porrò χρηστόν, significat benignũ, vtile, commodum, suaue. ¶ B. Non eos intelligit deos (inquit Hilarius) de quibus infrà. Simulacra gentiũ argentũ & aurum, opera manuum hominum. Nihil enim magnũ, si metallis et saxis & lignis comparatus præfertur Deus. Hi enim cùm dij nõ sint, imò nec homines dici possint cũ vita careãt, certè eos deos appellat, de quibus suprà dictum est psal. 81. Deus stetit in synagoga deorũ, in medio autem deos diiudicat: & de quibus apostolus 1. ad Corinth. 8. capite. Etsi sunt qui dicantur dij in cælo & in terra: siquidem sunt dij multi, & domini multi: nobis tamen est vnus Deus. Deus ergo noster magnus est: super omnes deos, id est, super homines & angelos, cùm vtrosque condiderit, cuius magnitudinem & ineffabilem potentiam sequenti versiculo ostendit cũ inquit, Omnia quæ voluit fecit in cælo & in terra. etc.

¶ C. Iuxta literam omnia hæc admiranda opera Dei sunt. Nam è mari quod Oceanum vocant (id autem ambit totam terram) eleuari & educi in altum nubes videmus, & inter fulmina & tonitrua imbres & pluuias diffundi, & ventos ex occultis suis sedibus soli Deo cognitis perflare terram: verùm iuxta mysticũ sensum, haud minori admiratione digna sunt: Deus enim ab extremo terræ, id est, ex infima & abiecta plebe eduxit apostolos, qui velut nubes irrigauerunt terrena & arida corda hominum doctrina euangelica, vt post prædicationis tonitrua & coruscantiũ miraculorum fulgura, abundantem pluuiam cælestis benedictionis & gratiæ spiritualis infunderent humanis mentibus, de qua pluuia suprà dixerat, Pluuiam volũtariam segregabis Deus hereditati tuæ. ¶ D. Per ventos, D. Hilarius allegoricè angelos intelligendos putat, de quibus alibi dictum est, Qui facit angelos suos spiritus. Hi igitur spiritus, inquit, ad salutem humani generis emissi sunt: neque enim infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam angelis, tot tantisque spiritualium cælestium nequitijs obsisteret. Itidem enarrat D. Hieron. scribens in hunc psalmũ: eius verba hæc sunt, Qui producit ventos de thesauris suis, angelos sanctos de arcanis cælestibus dirigens, qui his nubibus imbribusque robur ac incremẽtum ferrent. Augustinus verò per ventos, eosdem significari putat qui per nubes denotantur, nimirum prædicatores verbi Dei apostolos et nubes dici propter carnẽ, et vẽtos propter spiritum: vnde dixit, Nubes educi de terra, ventos de thesauris diuinis. ¶ E. AEgyptum varijs plagis olim contriuit Dominus. Verùm in euãgelica lege regnũ hui⁹ mũdi, cuius princeps est diabolus, per crucẽ suã euertit & occidit primogenita Ægypti, cùm primarias & præcipuas potestates malignorũ spirituũ cõfregit, aut maxima & capitalia vitia mũdi in nobis sustulit. ¶ F. Cùm ex lib. Iosue cõstet plurimos reges victos & interẽptos à filijs Israël (nã cap. 13. recẽsentur reges trigĩta & vn⁹ occisi) solùm hìc enumerãtur duo nominatim, Seõ rex Amorrhęorũ, & Og rex Basan, qui & sequenti psalmo nominatim recẽsentur soli, vel quòd primi fuerunt, qui inter reges alienigenas, qui victi & occisi sunt: vel quòd hi soli, cũ à bellis quiescere potuissent, primi adorti sunt filios Israël nõ lacessiti ab illis: nã Israël nuncios misit ad Seon regem, vt transitum populo permitteret, nihil damni illaturo

ſibi,qui renuit,& collecto exercitu viam Iſraëlitico populo præcludere conatus eſt: idem tentauit Og rex Baſan, quorum vterque victus eſt,vt ſcribitur Numeri.21. Per hos itaque reges potentiſsimos, aliquos tenebrarum principes accipimus, qui populo Dei ad cæleſtia regna ſibi promiſſa tendenti viam intercludere moliuntur, cęteriſque peruicatiores & violentiores ſunt. Nam & etymologiæ harum vocum illis congruũt. Seon enim hebraicè,ſonat latinè arborem infructuoſam,aut germen inutile. Og autem, ſonat aceruum lapidum ſiue maceriam. Dæmones enim nihil boni pariunt, & inter Deum & homines parietem ſiue maceriam collocant,ne Deum cognoſcamus.

¶ G. Quod interpres noſter vertit hoc loco,Et in ſeruis ſuis deprecabitur,D.Hila.legit conſolabitur: Auguſt. aduocabitur,quod ex ambiguitate vocis gręcanicæ accidit, παρακληθήσεται:nam παρακαλοῦμαι,ſignificat aduocari,conſolari & deprecari. Eſt itaque ſenſus interprete Hilario,quòd Dominus conſolabitur fide & pietate ſeruorum ſuorum,id eſt,Chriſtianorum,idque populo Iudaico propter perfidiam & impietatem iudicato,id eſt,condemnato:vel deprecabitur, id eſt, deprecabilis erit, & placabilem ſe exhibebit in ſeruis ſuis: & huic interpretationi congruit hebraica veritas, quæ interprete Hier.ſic legit:Et in ſeruis ſuis erit placabilis. Iſrael autẽ,populus Dei dicitur propter patres Abrahã Iſaac et Iacob. Si verò iudicare,pro vlciſci et vindicare ſumamus,vt ſæpe vſurpatur in ſacris literis,fidelis populus,id eſt Chriſtianus,intelligitur per populum Dei & ſeruos Dei,quorum iniuriam & oppreſsionem vltus eſt Deus de victis aduerſarijs poteſtatibus. Vbi obiter notandũ,verba futuri tẽporis poni vt ſignificent hæc omnia nõdũ eo tẽpore myſticè facta, ſed adhuc futura, & in euangelica lege implẽda.

Alleluia. Pſalmus CXXXV.

CONfitemini A Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Confitemini Deo deorum, B quoniam. Confitemini Domino dominorũ,quoniã. Qui facit mirabilia magna ſol9, quoniã. Qui fecit cęlos in intellectu C,quoniã. Qui firmauit terrã ſuper aquas,quoniã. Qui fecit luminaria magna,quoniã. Solẽ in poteſtatẽ D diei,quoniã. Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis, quoniã. Qui percuſsit AEgyptũ cum primogenitis eorũ,quoniã. Qui eduxit Iſraël de medio eorũ,quoniã. In manu potenti & brachio excelſo, quoniam. Qui diuiſit mare rubrũ in diuiſiones,quoniã. Et eduxit Iſraël per medium eius,quoniã. Et excuſsit Pharaonẽ & virtutẽ eius in mari rubro, quoniã. Qui traduxit populũ ſuũ per deſertum, quoniã. Qui percuſsit reges magnos,quoniam in ęternũ. Et occidit reges fortes,quoniã. Seõ regẽ Amorrhęorum,quoniam. Et Og regem Baſan,quoniã. Et dedit terram eorũ hæreditatem,quoniã. Hæreditatem Iſraël ſeruo ſuo,quoniã. Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri,quoniã. Et redemit nos ab inimicis noſtris,quoniã. Qui dat eſcam omni carni, quoniam. Confitemini Deo cęli,quoniam in ęternũ miſericordia eius. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum miſericordia eius.

¶ A. Et hic pſalm9 nõ abſimilis eſt ſuperiori: nã iuxta literã,diuinã potẽtiã & ſapientiã prædicat,quã in opificio huius mũdi oſtẽdit, & ob hæc ad cõfitẽdũ & laudandum Deũ nos hortatur: ſi tamẽ preſsiùs inſpiciamus ſenſus abſtruſiores, plenus reperietur myſterijs. Nec enim putãdũ eſt in primis capitibus Geneſeos nudã tantã hiſtoriã texi,alioqui nõ verè dixiſſet Apoſt. Scim9 quoniã lex ſpiritualis eſt legis nomine appellãs Pẽtateuchũ Moyſi. ¶ B. Quos deos hîc appellat,ſuperiori pſal.dictũ eſt,nimirum homines ſanctos: vnde Moyſi dictum eſt, Ecce poſui te Deũ Pharaonis, & angelos: quanquã D.Aug.dubitet,an vſpiã in ſcripturis ſanctis angeli appellẽtur dij,quod idem hac de cauſſa factũ putat,ne iſto nomine(inquit) homines ad hoc ędificarẽtur, vt miniſteriũ vel ſeruitiũ religionis, quæ gręcè λειτουργία vel λατρεία dicitur, ſanctis angelis exhiberẽt. D. tamẽ Hilarius ſcribẽs in pſalmũ 134. angelos,deos nũcupari aſſerit:eius

verba hęc sunt. Et quidē (inquit) si hoc deorū nomē hominibus secundū Dei sentētiam cōpetit, multò magìs angelis, archangelis, thronis, dominationibus, principatibus, & potestatibus dignum, quos apostolus deos in cælo nuncupari demonstrat, hęc ille: Porrò dominos, appellat homines qui suis affectibus & cupiditatibus dominantur, vel certè dominationes quarum Hilarius iam mentionem fecit. ¶ C. Quam incomprehensibili sapientia & intellectu cęlum hoc immensum supra nos sole, luna, et innumeris stellis ornatū Deus condiderit, quis sermone explicet? vnde illud Iob 38. Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet? Nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra. Quare omnia hæc rite perpensa, ad laudes diuinas nos inuitant, quòd constet nostris vsibus hæc vniuersa à Deo mirabiliter fabricata. At mysticè maiore intellectu & sapientia condidit animatos & ratione intellectuque præditos cælos, de quibus dictum est psalmo 18. Cæli enàrrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Et quanquam moles terræ inexplicabili ratione firmata sit supra aquas, oceano vndiq; eam ambiente, mirabiliùs tamen nostram terram, id est, humanū genus firmauit aduersus insultus dæmonum super aquas baptismi, vel inter aquas tribulationis & persecutionum, vt alibi dictum est.

¶ D. Iuxta anagogen, Diem illum immortalitatis significat, de quo alibi Dauid: Melior dies vna in atrijs tuis super milia: de quo & illud apostoli intelligi potest, Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Illum itaque diem efficiet sanctis suis verus ille sol iustitiæ Christus, qui illuminabit cælestem illam patriam, de quo Iohannes cap. 21. Apocalyp. Ciuitas non eget sole neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus. De hoc sole & Esaias: Vobis autem inquit timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ. Luna autem quæ à sole lumen recipit, typus est ecclesiæ, quæ præest huic nocti mortalitatis nostræ. Quamdiu enim in hac mortali vita sumus & versamur in maximis tenebris, hoc est, rerum ignorantia, nox est, quam suo lumine licèt obscuriore vtrumq; illustrat ecclesia catholica ceu luna quædam, & velut stellæ doctores sancti: vnde suis dixit Christus, Vos estis lux mundi.

Psalmus A *Dauid.* *Psalmus* CXXXVI.

SVper flumina Babylonis B illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus C in medio eius, suspendimus organa nostra. Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si nō meminero tui. Si nō proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meę. Memor esto Domine filiorū Edom, in die Hierusalem. Qui dicunt exinanite exinanite, vsque ad fundamentum in ea. Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quā retribuisti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.

¶ A. Vulgati codices latini hunc titulum præfigunt huic psalmo, Psalmus Dauid propter Hieremiā: Alij, psalmus Dauid Hieremiæ. Apud 70. verò interpretes in græcis codicibus est hic titulus, Psalmus Dauid, εἰς αἰχμαλωσίαν, id est, in captiuitatem: Idq; ob eam rem factum videtur, quòd iuxta literam narrare videatur captiuitatem populi iudaici sub Nabuchodonosor rege Babylonis, quam vario carmine lugubri plāxit Hieremias. Verùm in hebr. veritate psalmus iste prorsus est ἀνεπίγραφος, hoc est, inscriptione aut titulo carens. Et est planè allegoricus, qui describit infelicium animarum miserandam captiuitatem sub principe huius mundi diabolo, cuius mentionem fecimus psalmo 125. et 126. & alijs locis aliquot. ¶ B. Sicut Ægyptus typus est mundi, ita & Babylon: nam illud tenebras, hoc confusionem, id est, omnium rerum inordinatam commixtionem sonat: vbi enim mens humana tenebris ignorantiæ cæcatur, nullo or-

dine apud eam reguntur affectus, aut vitæ officia digeruntur. Eiusmodi Babylonicam cōfusionem describit nobis Ozee cap. 4. Non est inquit veritas, & nō est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Flumina itaque Babylonis, sunt omnia terrena studia quibus se oblectat peccator, omnes voluptates corporeæ quas auidè haurit peccatrix anima, quæ sitim non sedant, sed accendunt: hæc autem cùm fluxa sint breuique momento prætereuntia, benè flumina appellantur. Anima autem tacta desiderio cælestis patriæ: vnde exul in has terras expulsa est, cùm tædio afficitur rerum humanarum, super hęc Babylonis flumina sedere & flere dicitur.

¶ C. Salices, in arcanis literis peccatores denotant, propter frondium amaritudinem, & sterilitatem quæ huic arbori peculiaris est: hæc enim arbor nec baccas nec fructus vllos profert: in huiusmodi salicibus anima peccati illecebris capta, organa sua suspendere dicitur, quoties ab omnibus virtutum exercitijs feriatur, & ad omnia pietatis opera ignaua & segnis redditur, improborum consuetudine & exemplis corrupta. De hac re ita cecinit Aurelius Prudentius in libro cui titulum fecit ἁμαρτιγένεια. Hæc illa est Babylon, hæc transmigratio nostræ Gentis, & horribilis victoria principis Assur Carmine luctifico quam deflēs Hieremias, Orbatam proprijs vlulauit ciuibus vrbem. Illic natali desuescunt viuere ritu, Moribus & patrijs exutæ in barbara iura, Degenerant, linguamque nouam vestemque sequuntur, Nutricemque abolent petulanti è pectore Sion. Iam patriæ meminisse piget iam mystica frangunt Organa, & externi laudant anathemata regis. ¶ D. Cantiones, cantica, & hymnos Sion, vocat diuinas laudes, quibus Deus celebratur in ecclesia: vnde alibi dixit, Te decet hymnus Deus in Sion. Hæc autem cantica duobus modis exercentur: nam & voce canimus, & virtutum exercitijs canimus Deoque psallimus: nisi autem mores & vita consonent cum voce nostra, inepta est cantio, & hymnus Deo ingratus. Maligni itaque spiritus captiuas ducunt animas captas peccatorum illecebris, & persuadere humanæ menti moliuntur, vt in hac miseranda seruitute peccati Deo psallat, quò faciliùs tyrannidi huic assuescat, & minùs de recuperanda libertate cogitet. Verùm his omnibus modis resistendum erit, & respondendum cum propheta, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Terra itaque nostra in libertatem vindicanda erit & tuenda. Polluta enim peccatis terrena corpora, & cupiditatibus turpiter mancipata impediunt animam, ne apta sit cantionibus & hymnis Sion.

¶ E. Dæmonibus solicitantibus animam, vt sceleratæ & impuræ vitæ assuescat, & cælestis patriæ obliuiscatur, non solùm non facere id debemus, sed etiam nos obstringere, & vltima mala imprecari nobis, si idipsum fecerimus, & non proposuerimus Hierusalem in principio lætitiæ nostræ, hoc est, præcipua & prima causa lætitiæ nostræ non fuerit Hierusalem cælestis. Vnusquisque enim inquit Hilarius ex affectu animi sui initium gaudij sumit, vt potator ex ebrietate, gulosus ex cibis, auarus ex pecunia, libidinosus ex stupris: hæc ergo vnicuique, prout his delectatur, lætitiæ adferunt causam: sed propheta hinc exordium gaudij sumit, quòd in cælestem Hierusalem receptus, angelorum frequentium cœtui admiscebitur, quod in regno Dei conformis gloriæ ipsius fiet. Porrò dextera nostra tunc obliuioni datur, cùm omnium bonorum operum (quæ per dexteram significantur) obliuiscitur Deus. Et lingua nostra faucibus adhęret, quoties ad Deum laudandum muti & elingues reddimur, quod illis contingit, qui mole peccatorum pressi, nunquam in Dei laudes ora resoluunt.

¶ F. Edom dictus est Esau, à rubore lentis coctæ, quam famelicus appetiuit, vt docet 25. caput Geneseos. Nam Edom hebraico idiomate, significat rufum sanguineum aut terrenum. Quin & punica lingua vt annotat D. Aug. scribens in hunc psalmum, Edom, sanguis dicitur: per filios itaque Edom, denotantur homines terreni & carnales, libidinum et cupiditatum serui, qui corpoream voluptatē pręferunt cęlesti benedictioni more Esau, qui maior quidem fuit ętate, sed à iuniore fratre priuatus benedictione, significante Spiritu S. carnalem posteritatē Iacob reijciēdam, & iuniorem populū christianum eligendū: & vt à tropologia nō recedamus, Maior frater, est in nobis homo carnalis: minor autem, homo spiritualis: vnde Apostolus, Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cęlo cęlestis. Homo itaq; naturā terrenę suę originis referēs, animalis esse & carnalis incipit: si autē se cōuertat ad Dominū, & peccati iugū excutiat, renouatur secūdū interiorē hominē, & fit minor quidē tēpore, sed maior potestate, & auctior benedi-

benedictionibus. Hi inuidentes piorum successibus, dicunt in die Ierusalem, hoc est, cū malis premitur, aut pro merito suo affligitur ecclesia: exinanite, id est, abolete & vastate eam funditus. ¶ G. Filiam Babylonis appellat, carnem nostram, id est, carnalē illum affectum, qui seruit peccato, & semper aduersatur spiritui: vnde Hilarius scribens in hunc locum, ad infelicem illam, inquit, confusionis & perturbationis carnem sermo omnis conuertitur. Huic itaque peccatrici carni paria reddenda sunt, vt sicut illa oppressit spiritum, ita vicissim opprimatur & subijciatur à spiritu: & paruuli illius, id est, primi illi vitiorum motus statim vbi emerserint: ad petram, id est, Christum elidendi sunt. Non enim debemus permittere, vt vitia corporis nostri coalescant, sed in exordijs statim enecanda sunt, ne grandescant, & nobis dominari incipiant.

A *Psalmus ipsi Dauid. Psalmus CXXXVII.*

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniā audisti omnia verba oris mei. In conspectu [B] angelorū psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Super misericordia tua & veritate tua, quoniā magnificasti super omne [C] nomen sanctum tuū. In quacunq; die inuocauero te, exaudi me, multiplicabis [D] in anima mea virtutem. Confiteātur tibi Domine omnes reges [E] terrę, quia audierunt omnia verba oris tui. Et cantēt in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à [F] longè cognoscit. Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me, & super [G] iram inimicorum meorū extendisti manū tuā, & saluū me fecit dextera tua. Domin⁹ retribuet pro me, Domine misericordia tua in seculū, opera manuū tuarū ne despicias.

¶ A Ex persona ecclesiæ Psalmus hic canitur à propheta confitentis & laudantis Deū de immēsis beneficijs sibi collatis à Deo per Iesum Christum. ¶ B In eo quod psallit, inquit Hilarius, motum complacitæ Deo operationis ostendit. Parū autem sibi existimat propheta esse, vt hominibus tantùm præsentibus psallat, quia homines corporalium tantùm negociorū officia inspiciunt: scit enim se sub specula angelorum vitam omnesq; mores agere. Si quis autem ad futurū seculū hæc referat, nō ineptus erit sensus: laudat enim Deum quòd dignus habebitur futuro seculo, & similis angelis factus vnà cum iis perpetuò Deum laudaturus sit, ad quem intellectum facit & sequens versiculus quem Hebræi sic legunt: Adorabo in templo sancto tuo. Templum enim interprete Hieronymo, dicit sanctam & cęlestem Ierusalē. ¶ C. D. Hieronymus scribens ad Suniam & Fretellam dicit, huius versiculi iuxta versionem latinam hunc esse sensum: Magnificasti sanctū tuū filium super omne nomen, nimirum quod nominatur vel in cælo vel in terra: verū Græci codices non admittūt hūc sensum, cū apud 70. sit τὸ ἅγιον in genere neutro, quod sine dubio referendum est ad nomen, quare nōnulli distinctiunculā ponēdam cēsent post, omne. Certè hebraica veritas hoc modo legit interprete Hieronymo, Quoniam magnificasti super omne nomē verbū tuū, id est, filiū tuum. Neoterici autem interpretes. Prateñ Pellicanus & Munsterus, Magnificasti super omne nomen eloquiū tuum. ¶ D. Apud .70. interpretes additur græcè accusatiuus με, nec est accusatiuus, virtutem, sed datiuus qui apud nos in ablatiuū vertitur, τῇ δυνάμει σου, id est virtute tua. Certè D. Augustinus legit accusatiuū, me, in commētarijs suis, Multiplicabis me in anima mea, quāuis ille quoq; vt nos per accusatiuū legat, virtutē, nō virtute. Verū D. Hila. per omnia legit, vt est apud. 70. in gręcis exemplaribus hoc modo, Multiplicabis me in anima virtute tua. Est itaque sensus, sicut patres olim aucti sunt & benedicti à te fœtu multiplici pecorū, iumētorū, proliū, & vberrimo prouentu fructuū: ita multiplicabis me, non in corpore, sed in anima mea, vt illa abundet omnibus fructibus Spiritus S. Idq; efficies non viribus aut vlla industria mea, sed virtute, id est, robore & potētia tuā diuina. ¶ E. Reges, nō gentiū aut populorū, sed terrę, id est, sui vniuscuiusq; corporis reges, desinente in ijs regno peccati: aut reges appellat omnes Christi fideles, quia vncti sunt chrismate more regū: aut quòd in regni

consortiũ à Christo vocati sunt: vnde illud Apocalypſ. primo, Qui fecit nos Deo patri suo reges & sacerdotes. ¶ F. Aug. Quid præstat (inquit) sibi superbus, nisi vt à lõgè videatur, non vt nõ videatur? Ne putes te ideo securũ esse debere, quòd min' bene te videat, quia à longè te videt. Tu enim quod à lõge vides, nõ bene vides. Deus autẽ etsi à lõgè te videt, perfectè te videt & tecũ nõ est: hoc agis, nõ vt minus perfectè videaris aut agnoscaris, sed vt nõ sis cũ illo à quo videris. ¶ G. Hoc est interprete Hila. Irascẽtib' inimicis extẽsa nos man' Dei proteget. Qui et retribuet (inquit) pro me, nimirũ vltionẽ, quę Deo seruanda est in suũ tempus. Quanquã non solùm ad vindictam referri possit, sed etiã ad pœnam peccatis nostris debitã, quã sua morte & sanguine proprio exsoluit Deus: vtramq; interpretationem dat August. Hilarius priorem sequitur.

In finem Psalmus Dauid. *Psalmus. CXXXVIII.*

DOmine [A] probasti [B] me & cognouisti me, tu cognouisti sessionẽ meam [C] & resurrectionem meã. Intellexisti cogitationes meas de lõgè, semitam meam & funiculũ [D] meũ inuestigasti. Et omnes vias meas præuidisti, quia nõ est sermo [E] in lingua mea. Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua, tu formasti [F] me & posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam. Quo [G] ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si adscendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pẽnas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi forsitan [H] tenebrę conculcabũt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis. Quia tenebrę non obscurabuntur à te, et nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius ita & lumen eius. Quia tu possedisti [I] renes meos, suscepisti me de vtero matris meę. Cõfitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Non est occultatum [K] os meum à te quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meũ viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies [L] formabuntur, & nemo in iis. Mihi autem nimis [M] honorificati sunt amici tui Deus, nimis cõfortatus est principatus eorũ. Dinumerabo eos, & super arenã multiplicabũtur, exsurrexi et adhuc sum tecũ. Si occideris De' peccatores, [N] viri sanguinũ declinate à me. Quia [O] dicitis in cogitatione, accipient in vanitate ciuitates suas. Nónne qui oderãt te Domine, oderã: & super inimicos meos tabescebã? Perfecto odio oderã illos, inimici facti sunt mihi. Proba me De' & scito cor meũ, interroga me & cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.

¶ A. Iã alijs locis sæpe à nobis dictũ est, quotiescũq; in titulo psalm' habet εἰς τὸ τέλος, id est, In finẽ: aut vt hebraica veritas habet, Victori, ad Christũ sine cõtrouersia referẽda esse quæ continet, qui finis legis est ad iustitiã omni credẽti (vt Apost. habet) & victor mundi, mortis, & diaboli. Tractat itaq; psalm' hic mysteriũ dispẽsationis, id est, assumptæ humanitatis pręcipuè: nã ad humanitatẽ Christi omnia referẽda sunt. Orditur itaq; propheta psalmũ ex persona hominis dominici, ostẽdẽs omnia quæ in terris gesturus esset, olim Deũ patrẽ cognouisse & pręuidisse. ¶ B. Dicit se probatũ & cognitũ à Deo patre, nõ quia nõ nouerat (inquit Aug.) sed quia alijs notũ fecerat: probatus autem est Dei filius tribulationibus varijs & supplicijs, vnde Apost. cap. 4. epist. ad Heb. Nõ enim habem' (inquit) põtificẽ, qui nõ possit compati infirmitatib' nostris, tẽtatũ autẽ per omnia pro similitudine absq; peccato. ¶ C. Sessionẽ, Aug. ad humilitatẽ passionis refert: resurrectionẽ autẽ, ad glorificationẽ Christi. Verũ cũ apud .70. interpre-

terpretes gręcè ſit καθίδρα, qua voce & latini vtũtur pro ſella,rectiùs hũc locũ enarrat Hila.dicés,In ſeſſione,quá gręci cathedrá appellant,ſignificari doctriná:in reſurrectione autem, operationé denotari:nam conſtat per cathedram ſignificari authoritaté aut officium docédi,ex illo Matth.23.Super cathedrá Moyſi ſederunt Scribę & Pharizęi.Eſt itaq; hebræis peculiare, per cathedram ſignificare aut doctrinam aut conſiliũ ſiue conſultationem:hęc enim omnia ſedendo fieri ſolent:et per reſurrectionem,actiones ipſas, quia ſurgendo operi nos accingimus. Sic Thren.3.cap. in malam partem vtrumq; ſumitur.Seſſionem eorum & reſurrectionem eorum vide,ego ſum pſalmus eorum.Omnes itaq; actiones,omnemq; doctriná ſuá dicit Deũ patré cognouiſſe, quia doctrina illius erat patris,& idem omnia in filio operabatur.Idéq; cogitationes filij ſui intellexerat de lõgè,id eſt,ex priſcis temporibus,cùm per prophetas de filio ſuo ex ſemine Dauid naſcituro,mores & totius vitæ agédæ rationem iam olim prædixit:ſic enim apud Eſaiam inquit cap.42.Ecce puer meus quem elegi , dilectus meus in quo complacuit animæ meę.Ponam ſpiritum meum ſuper eũ,iudiciũ gentibus proferet.Non clamabit, neq; accipiet perſoná,nec audietur vox eius foris. ¶ D. Quod interpres noſter vertit,funiculum,apud ſeptuaginta gręcè eſt σχοῖνος,quę vox plura ſignificat apud gręcos: eſt enim idem quod iuncus,eſt et funis,eſt pręterea certum ſpacium terrę cõtinés ſexaginta ſtadia, vt autor eſt Herodotus. Plinius autem lib.12. ca.14.ſcribit,Eratoſthenem Schœnon definire quadraginta ſtadijs,id eſt,quinq; paſſuũ milibus:alios auté 22.ſtadia dediſſe ſingulis ſchœnis.Hilar.autem ſcribens in hunc pſalmum,dicit quarundam gentium conſuetudine ſchœnon ſignificare certum & conſtitutum modũ itineris,& quod nos miliarium, illi σχοῖνον appellant : quare ſignificare vult Deum patrem , vt omnia alia , ita & totam ſeriem vitæ filij ſui , & terminum quoq; ſiue deſignatum ſpatium mortalis vitæ illius præuidiſſe : vnde Diuus Auguſtinus legit , Semitam meam & limitem meum inueſtigaſti. ¶ E. D. Hieronymus ſcribens ad Suniam, putat 70. interpretes & omnes alios reliquiſſe οὐκ ἔςι λόγος ἐν τῇ γλώσσῃ μου , id eſt , non eſt ſermo in lingua mea : omnes tamen græci codices conſtanter legunt οὐκ ἔςι δόλος, non eſt dolus in lingua mea , quomodo legunt Diuus Hilarius & D. Auguſtinus & Arnobius in commentarijs ſuis . Hoc autem relictum eſſe ex ſexta editione exiſtimat Hieronymus:nam & hebraica veritas interprete eodem habet,Quia non eſt eloquium in lingua mea,hoc ſenſu,non loquor humana,aut terrenam eloquentiam iacto : vnde ex Chriſti perſona dictum eſt illud Hieremiæ primo, A A A Domine Deus neſcio loqui, quia puer ego ſum , cùm alioqui diuina eloquentia inſtructiſſimus fuerit Dei filius , de quo dictum eſt illud pſalmi , Diffuſa eſt gratia in labijs tuis : & illud Eſaiæ , Dedit mihi Dominus linguam eruditam,vt ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt verbo.

¶ F. Omnia hæc ad ſumptum hominem referenda ſunt : nam iuxta diuinitaté nõ eſt formatus à Deo patre filius,ſed ineffabiliter genitus:verũ natura humana adſumpta per Spiritum ſanctum creata eſt in vtero virginis , & defenſa manu patris , id eſt,diuinitate filij:Sic enim alibi pſal.88.ſub nomine Dauid vaticinatus eſt de filio naſcituro ſibi ex ſemine Dauid,Inueni inquit Dauid ſeruũ meũ,oleo ſancto meo vnxi eũ. Manus enim mea auxiliabitur ei,& brachiũ meũ cõfortabit eũ.Nihil enim humanitas ſine diuinitate efficere potuiſſet:vnde ſubdit,Mirabilis facta eſt ſciétia tua ex me,cõfortata eſt, & non potero ad eá:vel vt heb.veritas interprete Hier.legit,Super me eſt ſcientia & excelſior eſt,non potero ad eam:vel vt vertit Symmachus interpres, Prætergreditur me ſciétia tua,id eſt,nõ poſſum tua ſcire ſecreta: & in profundũ ſapiétiæ tuæ nõ poteſt més humana introire. ¶ G. D. Aug.qui pſalmũ hũc ad mébra refert,non ad caput,id eſt,Chriſtũ,hũc locũ ad hominé metuété ſibi ab ira Dei,transfert: ſic enim habet,Locũ quęrit quò fugiat ab ira Dei:quis eſt locus recepturus fugitiuũ Dei? Verùm rectiùs interprete Hila.ad Chriſtũ refertur vt cętera:vt ſenſus ſit,Mirabili nexu, & ineffabili quadá ratione humanitati meę cõiuncta eſt diuinitas tua, quę quòlibet locorũ comitabitur me:vt ſi ex infirmitate aſſumptę naturę imminétes cruciatus fugere velim, vbique me apprehenſura ſit dextera tua, quæ me deſcendentem ad inferos non deſtituet,nec adſcendentem cælos derelinquet,et diluculo ſurgentem à mortuis,& habitaturum per fidem in cordibus vltimarum gentium deductura eſt. ¶ H. Non eſt hæc vox metuentis aut trepidantis mortem , ſed quid impij & increduli de eo opinarentur ſignificare volentis : vt ſenſus ſit , Ex aliorum perſona malè & ſtultè mihi metuentium hæc dixi : Nam quòd terrores mortis & inferni tenebras irriſit , liquet ex eo quod mox ſequitur : Et nox illuminatio mea in delicijs meis , id eſt , mors,

quæ noctē & tenebras inductura mihi existimatur, est mihi in delitijs. Domino itaq; passio ista,delitiæ sunt(inquit Hila.)dū portas æreas cōfringit,dū vectes ferreos conterit,dum omnē potestatē despoliat,& dē his in se triūphat. ¶ I. Per renes,hoc loco arcana consilia intelligimus vt aliàs diximus:quos dicit Deum Patrem possedisse,quia nihil vnquam cupiuit aut tentauit filius sine patris beneplacito:vnde & Deū sibi præsidio fuisse dicit ex vtero matris suæ.Quia autem in renibus fons libidinū est,Hilar.ita interpretatur hunc versiculū,Cùm possidentur inquit à Deo renes, non exeunt in voluptates incentiuæ lasciuiæ:& qui ab vtero matris suscipitur,nō ad opera seculi à Deo susceptus excedit:omnis igitur eius voluntas ac labor est,patrem prædicare, voluntatē patris explere,acceptum à patre calicem bibere:hæc enim hominis quem adsumpsit officia sunt. ¶ K. Os hoc loco genitiuū facit ossis,non autē oris: est enim græcè ὀστοῦν,quod lingua vulgari,sed corrupta Aug.extulit,ossum,latinè os ossis.Porrò per os Christi,ecclesiam intelligimus.Nam cùm Apostolus cap.5.epistolæ ad Ephesios tractaret locū qui est Genes.2.de Adam & Eua,hoc nūc os ex ossibus meis,& caro de carne mea,hoc sacramētum,inquit,magnum est,ego autem dico in Christo & in ecclesia.Ea igitur quæ seculi hominibus fuerunt occultata, nimirum gentes in consortium Christi vocādas,idipsum Ecclesiæ Dei reuelatum est,sic ferè Hilar.Alij ad fornicationē corporis dominici in vtero virginis,quem per inferiora terræ intelligimus,hęc referūt: vnde imperfectū quod græcè est ἀκατέργαστον,id est rude,informe,inabsolutū,in sequēti versu pro incomposito dictū est(interprete Hier.) quia elementa etiā hominis antequā formentur in vtero,cognoscit Deus.Et huic interpretationi satìs cōgruit heb.verit. quam ita reddidit D. Hier. Non sunt operta ossa mea à te,quibus factus sum in abscondito, quibus formatus sum in nouissimis terræ.Informem me adhuc viderunt oculi tui.

¶ L. Locus hic corruptus est in latinis codicibus:nā gręcè est ἡμέρας πλασθήσονται, id est,in die formabūtur,quod exponēs D.Hier.Tu inquit omnes in die formas, cunctos vis esse filios diei,sed nemo in ijs est,id est, nullus est in hominibus, qui non fiat obnoxius peccato,& per hoc incipiat esse noctis & tenebrarū. D. Hilar.legit, Die replebuntur,vt sit πλησθήσονται.D.Aug. legit,per diem errabunt:videtur enim is legisse græcè πλανηθήσονται.Quod autem præcedit,In libro tuo omnes scribentur.D. Hieron. ad hominū natiuitatem retulit:sic enim enarrat locū hunc,Nullus enim (inquit)absq; voluntate Dei nascitur,nec quisquam eius notitiam subterfugit. Symmachus verò interpres ita reddidit locū hunc: Dies quibus formati sunt,ne vna quidem ex ijs deest,vt sensus sit:Omne tēpus ętatis cui iā ab exordio vitę istius sunt curricula deputata,certo fine decurrit,nec vna dies plus aut minus est quā tu cōditor voluisti. ¶ M. Amicus Deo fuit Abraham,& Isaac & Iacob.Amicus fuit Moyses: at in nouo testamento numerus amicorum Dei super numerum arenæ multiplicatus est,apostolos itaq; & martyres omnesq; sanctos,per Dei amicos intelligit,quorū principatus est cōfortatus,quia per Christum in dęmones adepti sunt principatū. Quod autem vertit hoc loco, nimis, vtrobiq; est græcè λίαν,id est,valde,admodū:nam nimis,vitiū sonat latinè.Ad heb.veritat.ita reddidit Hier.Mihi autē q̃ honorabiles facti sunt amici tui Deus. N. Peccator occiditur,quando seculo moritur,et cùm in eo peccatū occiditur.Si ergo Deus per Spiritus S.gratiā occiderit hoc modo peccatores,tunc amici Dei multiplicabuntur super arenam. ¶ O. Et hoc loco multùm discrepant græca exemplaria à latinis:nam pro eo quod nos legimus,Quia dicitis in cogitatione,græcè est, ὅτι ἐρισταὶ ἐστὲ εἰς διαλογισμούς,id est , quia contentiosi aut litigatores estis in cogitationibus siue disceptationibus.Notat enim hæreticos,qui cōtentiosis suis dogmatibus, quæ mordicus retinent & defendunt,multa animarum milia occidunt,& propterea viri sanguinū appellātur, & ijdem accipiunt ciuitates suas,vel vt est gręcè,tuas,hoc est,ecclesias Dei regendas:in vanitate,id est,mendacio & fraudibus,perdētes animas quas seruare se profitētur.Nec est hoc loco,accipiant,optatiui modi verbum,sed indicatiui modi futuri temporis verbum λήψονται,id est,accipient, quomodò legunt Aug.& Hilarius.

In finem psalmus David. *Psalmus CXXXIX.*

ERipe A me Domine ab homine malo,à viro iniquo eripe me.Qui cogitauerunt iniquitates in corde,tota die constituebant prælia.Acuerunt linguas suas sicut serpentes,venenum aspidum sub labiis eorum. Custodi

Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitauerunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum, iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Dixi Domino Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meę. Domine Domine virtus B salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli. Ne C tradas me Domine à desiderio meo, peccatori: cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. Caput D circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Cadent super eos carbones, in ignem deiicies eos, in miseriis non subsistent. Vir linguosus non dirigetur in terra, virum iniustum mala capient in interitu. Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum. Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

¶ A. Ex persona hominis assumpti aut membrorum suorum precatur in hoc psalmo filius Dei, vt liberetur à malis & iniquis hominibus. Nec enim vlla re magis oppugnat nos diabolus, aut deijcere faciliùs solet, quàm per organum sibi peculiare, id est, per hominem impium & sceleratum, siue is sit pestilens adulator, siue insidiosus hostis, siue subdolus hæreticus. Eiusmodi fuerunt Scribæ, Pharizæi, & principes sacerdotum apud Iudæos, calumniatores operum Christi & capitales illius hostes, perpetuò & vbique illi aduersantes, & virulentis & pestiferis linguis illi detrahentes, vnde serpentibus illos comparat & aspidibus, quibus præsentissimum venenum inest. ¶ B. Virtus hoc loco (vt sæpius à nobis est dictum alijs locis) significat potentiam aut fortitudinem, est enim græcè δύναμις: vnde hebraica veritas interprete Hieronymo legit, Domine Deus fortitudo salutis meæ, id est, fortissime & potentissime Saluator meus, & cui salus mea innititur ceu petræ aut rupi fortissimæ. Quod autem sequitur, Obumbrasti super caput meum in die belli, metaphoricè dictum est pro eò quod est, præsidio mihi fuisti ne victus succumberem magnitudine malorum: Cùm enim nimio æstu sæpe deficiant in bello, & viribus destituantur milites, si sub vmbra pugnare concedatur, vires defectas recuperant. ¶ C. Hebraica veritas clariùs legit hunc versiculum, hoc modo: Ne des Domine desideria impij. Septuaginta alium sensum reddiderunt, nimirum hunc: O Domine ne tradas me peccatori, id est, diabolo, idque à desiderio meo, hoc est, iuxta carnis meæ concupiscentias. Desiderium enim eiusmodi æstum facit (inquit August.) Vmbraculum autem Domini temperat desiderium quo rapiebamur, vt possimus refrenare: vnde illud Esaiæ 25. Factus es fortitudo pauperi: fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu. ¶ D. Qui rectà pergit, finem nanciscitur vbi quiescat: qui autem in gyrum aut circulum fertur, non inuenit vbi subsistat, per quos notantur peccatores, qui ex vno peccato in aliud prolabuntur, nec vllum peccandi aut errandi finem faciunt, Hinc psalmo 11. dictum est, In circuitu impij ambulant: caput autem eiusmodi circuitus est superbia, quia initium omnis peccati, superbia, vt Salomon inquit: Omnis autem superbus (inquit August.) fictus est: omnis autem fictus, mendax est: laborant autem homines, quoties mendacium loquuntur: oportet enim mendacem memorem esse, vt in prouerbio est, cùm citra laborem & omnem molestiam vera loquamur. Benè ergo superbiam appellat, laborem labiorum ipsorum. Hic ergo labor operiet eos, quia prorsus obruet, & in perditionis barathrum deprimet. Nec solùm eiusmodi superbos & mendaces æternus ille ignis excipiet post mortem, sed in hac quoque vita non prosperabuntur, quod indicat cùm dicit, Vir linguosus non dirigetur in terra. Hilarius autem per virum linguosum siue linguacem, aut loquacem, anceps dubium & fallax os proditoris notari putat, qui ex vno scelere semper in aliud grauius prouolutus, in exitium se præcipitauit, primò fur pecuniæ, deinde venditor sanguinis iusti, proditor Dei, demum homicida suiipsius factus est.

Psalmus

Psalmus David. Psalmus CXL.

DOmine A clamaui ad te, exaudi me: intēde voci meæ cùm clamauero ad te. Dirigatur B oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, & C ostium circunstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum. Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleum D autem peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc E, & oratio mea in beneplacitis eorum, absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. F Audiēt verba mea quoniam potuerunt, sicut crassitudo terræ erupta est super terram. Dissipata sunt G ossa nostra secus infernū, quia ad te oculi mei, in te speraui nō auferas animam meam. Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem. Cadent H in retiaculo eius peccatores, singulariter sum ego donec transeam.

¶ A. Hic psalmum ad Christum quoq; referre possumus, vt non pro se, sed pro membris suis Deum patrem oret. Multa enim in hoc psalmo sunt quæ neutiquam applicari possunt personæ Christi. Quomodo enim Christo applicetur, Pone Domine custodiam ori meo, Non declines cor meum in verba malitiæ, Corripiet me iustus etc? qui nunquam lapsus est verbo, qui agnus fuit sine macula, in cuius ore non est inuentus dolus aut mendacium. Nobis ergo metuens Christus, qui ad hæc vitia proni sumus, pro membris suis hæc orat. ¶ B. Hic versiculus interprete August. propriè Christo aptatur: Is enim declinante iam die in vesperam, eleuatis & expassis manibus in cruce obtulit seipsum Deo patri hostiam in odorē suauissimum: quāquam & membris idem aptari potest. Nam apostolus pręcepit nobis, vt oremus in omni loco leuantes manus puras sine disceptatione & ira, vt preces nostræ more thymiamatis, id est, incensorum odorum in altum subleuentur ad Deū. In manuum autem eleuatione, boni operis officium notatur, sine quo preces steriles & Deo ingratæ sunt. Porrò odoramenta precum eiusmodi, & bonorum operum fragrantiam Deo offerre, sacrificium est vespertinum, id est, legis euangelicæ quæ lata est à Christo, mundo iam vergente in vesperam. ¶ C. Ostium circunstantiæ dictum est, pro ostio vndiq; muniente, vt os & labia vndiq; muniantur, ceu domus vndiq; muro cingi & vallari solet, necubi per vllam partem aditum inueniat diabolus, & queramur cum Hieremia: Mors intrauit per fenestras nostras. D. Aug. legit, Ostium continentiæ: Nam gręcè est περιοχὴ, quę vox apud græcos significat complexionem siue comprehensionem: est insuper argumentum paucis complectens summam totius rei: est præterea vallum aut munimentum vndiq; cingens & defendens quippiam, vt muri, aggeres, & mœnia, à gręco verbo περιέχω, quod est contineo, complector, vt dictum est alibi psal. 30. vnde psal. 30. & 59. interpres latinus vertit, ciuitatem munitam, quod 70. dixerunt πόλιν περιοχῆς.

¶ D. Eleganti metaphora blandiloquentiam & assentationes peccatorum, oleum appellauit: oleo enim nihil est mollius aut tranquillius, sicut cōtrà, aceto nihil est mordacius, quare illud pro assentatione, hoc pro acerba reprehensione vsurpari solet: vnde distichon illud nō inuenustum in Marullum quendā assentatorem, Narratur bellè quidam dixisse Marulle, Qui te ferre oleum, dixit in auriculam. Contrà dixit Horatius. At Græcus postquam est Italo perfusus aceto. Et Persius: Auriculas teneras mordaci radere vero. ¶ E. D. Hier. ad heb. veritatem ita legit hunc versiculū, Quia adhuc oratio mea pro malitijs eorum. Et eundē sensum reddidit Hilar. scribens in hunc psalmum, Beneplacita appellans peccata, quòd ea impensæ placeant peccantibus. Nemo autem in peccatis perseuerat, nisi qui his delectatur. August. alium sensum dat, nimirum hunc, adhuc oratio mea, quæ modò peccantibus displicet, erit in beneplacitis eorum, hoc est,

hoc est,bene illis placebit,cùm iudices eorum,id est,sapientes & philosophi, qui censores erant morum alienorum,fuerint absorpti:idque iuncti petræ,id est,Christo comparati:Nec enim græcè est,iuncti petræ,sed iuxta petrã ἐχό μενα πέτρας: stultam enim fecit Deus sapientiam huius mundi, vt habet Apostolus: vel absorpti sunt, quia Christo adhærentibus vetus illorum homo perijt & destructum est corpus peccati.

¶ F. Interpres latinus videtur legisse hoc loco ἐδυνήθησαν, id est,potuerunt,pro quo Augustinus legit, præualuerunt,cùm apud Septuaginta in græcis codicibus legatur ἡδύνθησαν,id est,dulcia aut suauia fuerunt:huic autem lectioni suffragatur heb.veritas,quæ interprete Hieronymo ita legit, Audient verba mea, quoniam decora sunt. Quod autem sequitur, Sicut crassitudo terræ erupta est super terram, obscuriùs vertit interpres, ne dicam ineptè, cùm verbum,est, nullum habeat suppositum: quare hoc modo vertendum erat, Sicut crassitudo siue pinguedo potiùs (πάχος enim vtrumq; significat)erupta sunt super terram,vt ad verba Christi referatur quæ dulcia fuerunt ijs: aut,vt nos legimus,præualuerunt & potentia fuerunt in persuadendo,& eruperunt ex ore prædicantium velut ros aut pluuia impinguans terram humani cordis. Nec mouere quempiam debet,quòd verbum græcũ ἐῤῥάγη,sit singularis numeri:Id enim alibi annotauimus,Atticos verba singularis numeri iungere nominatiuis pluralibus, si neutrius generis sint,& istud videtur fefellisse interpretem. ¶ G. Ex persona membrorum suorũ queritur hæc Dominus,se dissipari,se dispergi,se secus infernũ abijci in peccatorũ calamitate existimãs.Ossa autẽ,non ea dicit quibus corpus firmatur,sed animæ potentias & virtutes quibus interior homo roboratur. ¶ H. Quod interpres vertit retiaculum, græcè est ἀμφίβληστρον, id est, rete aut sagena, quo significantur technæ & insidiæ, quibus animas capit diabolus: de quo reti ita legimus Habacuc primo cap. Totum in hamo subleuauit,traxit illud in sagena sua,& cõgregauit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit,propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo:quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus:propter hoc ergo expandit sagenam suam,& semper interficere gentes non cessat. Quare vt effugiamus & transeamus innoxij, rete & laqueos quos nobis tendit, necesse est vt singulariter simus,hoc est,vt nos segregemus ab ijs qui operantur iniquitatem,& non communicemus cum electis eorum:habet enim & suos electos,hoc est,sceleribus & impietate insignes,quorum fraudibus multos in sagenam suam pellicit.

Intellectus Dauid cùm esset in spelunca oratio. Psalmus CXLI.

VOce A mea ad Dominum clamaui,voce mea ad Dominũ deprecatus sum.Effundo in cõspectu eius orationẽ meã,et tribulationẽ meam ante ipsum pronuncio.In deficiendo ex me spiritum meũ,& tu cognouisti semitas meas.In via hac qua ambulaui,absconderũt laqueũ mihi. Considerabam ad dexteram B ,& videbam,& non erat qui cognosceret me.Periit fuga à me,& non est qui requirat animam meam. Clamaui ad te Domine,dixi,tu es spes mea,portio mea in terra viuentiũ.Intende ad deprecationẽ meã,quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me. Educ de custodia animam meam,ad confitendum nomini tuo, me C expectant iusti donec retribuas mihi.

¶ A. In libris regum legimus Dauid bis se continuisse in spelunca.Nam cap.22. primi libri Regum fugit in speluncam Odollam, cùm persequeretur illum Saul rex, vt annotauimus in psalmum 56. cuius titulus erat, In finem, Ne disperdas Dauid, in tituli inscriptione cùm fugeret à facie Saul regis Israël in speluncam. Capite autem 24.eiusdem libri legimus eum latitasse in spelũca Engaddi, in quam ingressus est Saul ad exonerãdũ aluũ,quã historiã hoc loco tãgit titulus psalmi huius.Est itaq; hoc modo accipiẽdus titulus,Oratio intellectus ipsi Dauid cùm esset in spelũca:est enim intellectus genitiui casus,quod ex græco patet,συνέσεως,quæ vox genitiuus à nominatiuo σύνεσις, quod intellectũ denotat:aliquãdo prudẽtiã aut ingenij perspicaciã,quo monemur,nihil

hîc iuxta

hic iuxta carnem aut literam accipiendum esse. Nam si simplex sensus esset secundum gesta Dauid (inquit Hilarius) oratio tantùm titulo psalmi fuisset inscripta, sed quia ad orationis cognitionem spirituali intelligentia opus est, idcirco intellectus oratio praescribitur. Porrò speluncam intelligimus interprete Hilario, corpus dominicum, in quo latebat abdita diuinitas, aut sepulchralem speluncam, vt suprà annotauimus: vel certè inferorum carcerem, de quo se educi precatur in fine huius psalmi, Educ de carcere animam meam. ¶ B Haec de rege Dauid nullo modo dici possunt, qui nunquam eò angustiarum redactus est persequentibus hostibus, vt nullus locus fugae pateret: nec eò miseriarum venit, vt nullus eum agnosceret. Verùm de Christo verè dicuntur, qui tempore passionis suae à nemine eorum, quos à dextris suis inter electas oues collocaturus erat, agnitus est: & fuga ab eo perijt, quia sponte se obtulit in mortem, nec diuinam illam potestatem animae Christi, quae tot signis & miraculis Deum prodebat, quisquā requirebat. ¶ C. Omnium apostolorum fides vsq; ad resurrectionē Christi fuit trepida, quae Domino suscitato à mortuis roborata & firmata est, cùm iā certò haberent persuasum, ad eandē immortalitatis gloriā se vocādos: hęc igitur gloria Christo retributa est, eò quòd se humiliauerat obediens factus patri vsque ad mortem, quam expectant iusti hodie quoq; ve vt fiant conformes gloriae corporis eius: eandem expectabant & sancti omnes in limbo inferni, vt vnà cum Christo suscitarentur, quod factum esse ex euangelicis literis constat.

Psalmus [A] *Dauid, quando persequebatur eum filius suus Absalon.*

PSALMVS CXLII.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meā in veritate tua, exaudi me in tua iustitia. Et non intres in iudicium cum seruo tuo, quia [B] non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam. Collocauit [C] me in obscuris sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Non auertas faciē tuā à me, & similis ero descēdentibus in lacum. Auditam fac mihi manè [D] misericordiā tuam, quia in te speraui. Notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine ad te cōfugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine viuificabis me in ęquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego seruus tuus sum.

¶ A. Apud hebraeos psalmus hic non habet aliam inscriptionem quàm hanc, Psalmus Dauid. Quoniam autem Diuo August. & Hilario placet, spiritu prophetico adiecta aut immutata esse, quaecunq; apud Septuaginta reperiuntur, nec habētur apud hebreos, ex psona mēbrorū suorū precatur haec Dauid verus, id est, Christus ex semine Dauid natus, quando se persequi & affligi videt in mēbris suis à filio suo Absalon, hoc est, ab omnibus ingratis et obstinatis peccatoribus, de quibus filijs queritur Deus apud Esaiam primo cap. Filios enutriui et exaltaui, ipsi autē spreuerūt me: quibus bene congruit appellatio nominis Absalon, quae hebraeis idem sonat, quod luctus patris aut amaricatio patris. Eiusmodi enim homines malos & impios luget ecclesia, quòd scelerata vita

rata vita sua exacerbent Deum assiduè. Ex persona autem membrorum suorũ, vel totius humani generis hæc orat Christus, nostram infirmitatẽ in se transferẽs: vnde bene hic psalmus vltimus est, id est, septimus eorum, qui pœnitẽtiales vocantur. ¶ B. Nil enim spei nobis reliquum est, si iudicari nos secundũ se Deus velit: si ad cõparationem sui, vitæ nostræ innocentiã postulabit. Iustificari autem in conspectu Dei, quis viuẽtium potest? (inquit Hilar.) cui ira, cui dolor, cui cupiditas, cui ignoratio, cui obliuio, vel per naturã corporis, vel per motũ animæ semper fluctuantis admixta sunt? cui & quotidie grauissimus hostis diabolus immineat, eius animã ad interitũ persequẽs. ¶ C. Per vitia corporis offunduntur tenebrę quędã mẽti: Cùm itaq; per diaboli laqueos in cupiditates carnis incidimus à cognitionis luce depulsi, in obscuris collocamur à diabolo, horrẽdis tenebris immersi, & secularium operũ nocte detẽti. Quare in eiusmodi periculis constituti, memores simus dier antiquorũ, quomodo Adam per transgressionẽ mandati, à diabolo captus, à promissionibus Dei et incolatu paradisi exciderit, meditemur q̃ terribilia iudicia Deus exercuerit, alios seuerè castigãs et ęternis cruciatibus tradẽs, alios misericorditer amplectẽs. ¶ D. Matutinę huius misericordię gaudiũ locis plurimis demonstratur, vt cùm ait: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Hoc enim resurrectionis est tempus, in quo nouissimè inimica destruetur mors, vt habet Paulus: hàc matutinam misericordiam omnes nos expectamus, qua mortalitatem nostram immortalitate cõmutabimus. Quod autem vertit interpres noster, Auditam, græcè est, ἀκουστὸν, quod sonat, audibile: vel tale vt audiri facilè possit: vnde hebr. verit. clariùs legit, Fac me audire manè misericordiam tuam. Manè itaq; est nouissimus dies cum illucescet nobis dies ille immortalitatis nullam habiturus vesperam, cùm electi audient à misericordissimo Domino suo dulcissimam illam vocem, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Dauid [A] *aduersus Goliath.* *Psalmus* CXLIII.

BEnedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælıũ, & digitos [B] meos ad bellũ. Misericordia mea et refugiũ meum, susceptor me⁹ & liberator meus. Protector meus et in ipso speraui, qui subdis populũ [C] meũ sub me. Domine quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eũ? Homo vanitati similis factus est, dies ei⁹ sicut vmbra prętereũt. Domine inclina [D] cęlos tuos et descẽde, tãge mõtes & fumigabũt. Fulgura coruscationẽ & dissipabis eos, emitte sagittas tuas & conturbabis eos. Emitte manum tuam de alto, eripe me et libera me de aquis multis, et de manu filiorum alienorum. Quorum os locutum est vanitatẽ, & dextera [E] eorum dextera iniquitatis. Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi. Qui das salutẽ regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum, de gladio maligno eripe me. Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutũ est vanitatẽ, & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum [F] filię sicut nouellę plãtationes in iuuẽtute sua. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo tẽpli Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum [G] fœtosæ abundãtes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina macerię neq; trãsitus, neq; clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, Beatus populus cuius Dominus Deus eius.

¶ A. Huic quoq; psalmo aliã dederũt inscriptionẽ 70. interpretes, quã apud hebr. habeat. Apud hos enim nil pręfert quã nomẽ ipsi⁹ Dauid, cui adiecerũt 70. hęc tria verba πρὸσ τὸν Γολιάθ, id est, aduersus Goliath. Titulus itaq; in gręcis codicibus est, Dauid aduersus Goliath: in latinis codicibus legimus, Psalmus Dauid aduersus Goliath: signifi-

care autem voluerunt 70.psalmũ hunc aliud in fronte præ se ferre,& lõgè aliud in recessu cõtinere,& spirituale illud bellum hîc notari,quod verus Dauid Dei filius contra principẽ tenebrarũ diabolũ gessit,eũq; vicit et armis exuit,qui propter superbiã et animi impotentiã,benè gigãti Goliath assimilatur,quem Dauid prostrauit iactu fundæ,vt scribitur 1.Reg.16.Gratias itaq; agit Deo patri,quòd docuerit rationẽ pugnãdi,idq; iuxta humanitatẽ Christi accipiẽdũ est.Homo enim assumptus,edoctus est à spiritu Dei. Ex persona autem capitis vel corporis mystici,hoc est,vel Christi, vel ecclesiæ canitur psalmus hic:sicut enim Christus vicit diabolũ,ita & ecclesia eundẽ vincit: vnde Apost. cap.6.epistolæ ad Ephes.dat nobis spiritualem panopliam,et instruit nos armis cęlestibus aduersus spirituales nequitias malignorũ spirituũ. ¶ B. Idẽ ferè argumentũ tractat propheta psal.17. quare ex eo multa petenda erunt ad intelligentiã huius psalmi: Sic enim ibi legimus,Qui docet manus meas ad prælium,& posuisti vt arcum æreum, brachia mea.Nec temerè post mẽtionẽ manuũ,digitorũ quoq; meminit:quia quicquid operamur,per variã Spiritus S.gratiam agimus. Digitorum autem appellatione in arcanis literis diuisiones charismatum & gratiarum notantur, quæ vnus atq; idem operatur spiritus,diuidens singulis pro vt vult : videmus namq; digitos omnes fluere ex vna & eadem radice , nimirum ex palma ipsius manus . Sicut igitur filius appellatur dextera aut brachium patris,ita Spiritus S.digitus Dei. ¶ C. Populum suum sibi subiectum,gentium populum dicit,de quo ita psal.17.Eripies me de contradictionibus populi,constitues me in caput gentium.Populus quẽ non cognoui,seruiuit mihi,in auditu auris obediuit mihi . Id quoq; ecclesia dicere potest,quæ cùm antea à regibus & tyrannis oppugnaretur,eosdẽ mansuetudine & patientia vicit,& varias gentes & populos & integra regna sibi subiecit, & Christi imperiũ vsq; ad fines orbis terrarũ propagauit:vnde admirãs ecclesia bonitatẽ et munificẽtiã Dei erga homines,quòd ad tantum honoris culmen euexerit humanam naturam,vt fide & cognitione veri & vnius Dei adepta sit imperium non modò in homines,sed etiam in dęmones,quos fide in Iesum Christũ expugnat & vincit,addit:Quid est homo quia innotuisti ei?qui destitutus diuina gratia & præsidio,vanitati,mendacio,& vmbræ similis est. ¶ D. Illud non ita accipiendum est , quasi Deus non posset ad nos descendere nisi cælis inclinatis ad terram,aut ita descendat,vt de loco moueatur ad locũ, qui vbique totus est : sed sicut per gratiam collatam aut ereptam venire ad nos aut abire dicitur, ita per auxilium & adiutricem manum porrectam ijs,qui in cœno peccatorum demersi sunt , descendere dicitur. Cælos autem inclinasse dicitur , quia vna cum eo cælestes & angelici spiritus descenderunt ad nos,qui ministrarunt filio Dei,cùm ad assumendam humanam naturam descendit in vterum virginis . Constat enim ex euangelicis literis, Gabrielem archangelum annunciasse virgini partum , & multitudinem cælestis exercitus cecinisse nato Christo , Gloria in excelsis Deo , & angelos ministrasse Christo in terris conuersanti . Simili figura loquendi vsus est Dauid psal.17. Inclinauit cælos & descendit. Montes autem appellat dæmones propter intolerabilem superbiam , qua supra homines & contra Deum ipsum se extollunt . Hos Dei filius diuina sua potentia tetigit , cùm ab obsessis corporibus expulit , & grauiter præsentia diuinitatis suæ afflixit , quod per fumigationem hoc loco significat : cùm autem fumo semper flamma sit proxima , vt sine igni occulto non nascatur fumus : Per id quòd montes hi per Dei contactum olim fumarunt & hodie adhuc fumant , significat eadem Dei potentia eosdem aliquando arsuros & comburendos igni inextinguibili , qui paratus est diabolo & angelis eius . Quas autem appellat coruscationes,& quas sagittas , & quas aquas , dictum est psalmo 47 . quo loco etiam explicuimus quos appellat filios alienos, cùm dicit: Filij alieni mentiti sunt mihi. Quanquam per alienos filios , diuus Hiero.hæreticos quoque hoc loco intelligi velit,quorum os loquitur vanitatem,quoties falsa dogmata seminant. ¶ E. Vtrumque condemnatur (inquit Hieronymus)& os & manus,& scientia & opera. Manus autem in sacris literis notant opera, per dexteram itaq; bona , per sinistram mala opera significantur . Iudæi itaque hostes Christi & hæretici dexteram se habere dicunt,id est,de bonis operibus gloriãtur cùm toti sinistri sint, & dexterã iniquitatis habeãt,de quibus dictũ est psal.18. Diabolus stet à dextris eius. ¶ F. Si per filios alienos accipimus Iudæos perfidos , vt annotauimus in psalmum 17 . omnia hæc ad terrenas benedictiones referenda sunt , quas pollicitus est Deus seruantibus præcepta sua , Deuteronomij 28. capite . Si impios & perfidos Christianos appellemus filios alienos , terrena felicitas in opibus & omnium re-

nium rerum abundantia sita, his verbis significatur. Si verò, vt Hieronymo placet, hæretici hîc notantur, allegoricè accipienda sunt omnia. Quo loco notandum est, omissam esse vocem græcanicam ab interprete latino. Nam apud 70. ita est græcè ὡς νεόφυτα ἱδρυμένα, id est, sicut nouellæ plantæ firmatæ aut radicatæ: vnde August. legit: filij eorum sicut nouellæ constabilitæ in iuuentute sua, quasi dicat, ad tempus breue excrescunt vtpote iam radices agentes, at breui eruendi. Nam filij quos diabolo generãt, quia non firmiter stant syncera fide nixi, bene nouellis plantis comparantur, quæ leui ventorum turbine radicitus eruuntur, quanuis vegeti & formosi videantur propter philosophiam prophanam & dictionis ornatum & elegãtiam: & benè dixit, circumornatæ vt similitudo templi, non autem vt templum: hæreticorum enim conuenticula non habent templum aut ecclesiam, sed falsam similitudinem ecclesiæ, cùm sint synagoga Satanæ. Promptuaria, id est, pectorum scrinia aut cellaria instructissima sunt varijs disciplinis, quibus abutuntur ad corrumpendam integritatem fidei. ¶ G. Fœtosæ dictum est minus latinè, pro fœtuosę, id est, fœcũdę & multos fœtus producentes. Nam nomen hoc adiectiuum .u. seruat cùm veniat à substantiuo quartæ declinationis, vt fructuosus, sumptuosus, questuosus etc. Hieron. contra Iouinianum lippientem, deformem & fœtuosam synagogam prætulisse. D. Augustinus legit: Oues eorum fœcundæ, nec malè, quia græca vox est πολύτοκα, πολὺς multus, et τόκος, fœtus, partus: benè hæreticorum oues fœtuosas siue fœcundas dicit, quia contagione quadam serpit virus prauorum dogmatum, quo nunquam desinunt plures inficere. Et boues eorum pingues sunt, quia doctores hæreticorum opibus accumulandis & voluptatibus haurendis auidè dediti sunt. Sciendum autem, boues hoc loco masculino genere vertendum fuisse, quod ex articulo liquet οἱ βόες, & ex adiectiuo παχεῖς, quod non modò crassos, sed & pingues sonat: suffragatur his & hebraica veritas quæ sic habet: Tauri nostri pingues. Quod autem sequitur, Non est ruina maceriæ neq; transitus. D. Aug. legit: Nõ est ruina sepis, neq; exit⁹. Est enim gręcè φραγμοῦ, quod significat quodlibet septum aut munimentum: διέξοδος autem cùm sic vox composita ex duabus præpositionibus διὰ, & ἐξ, eiusmodi transitum denotat qui fit egrediendo, quare hoc loco significari volunt transmigrationem eiusmodi, qualis fit in excursionibus & prædis hostilibus, cùm suis sedibus pelluntur coloni, hostibus omnia populantibus. ¶ H. Tribus verbis summam bonorum omnium complexus est, dicens non illos beatos, quos prępostèrum vulgus iudicat, sed hos quorũ Deus est Dominus: his enim non dominatur mundus, non diabolus, non voluptates, non cupiditates noxiæ, quare his seruantur æterna illa & cælestia bona, quæ sola beatos faciunt.

Laudatio ipsi Dauid. *Psalmus* CXLIIII.

EXaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum & in seculũ seculi. Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo nomen tuũ in seculum & in seculũ seculi. Magnus B Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Generatio C & generatio laudabunt opera tua, et potentiam tuam pronunciabunt. Magnificentiam glorię sanctitatis tuę loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinẽ tuam narrabũt. Memoriã D abũdãtię suauitatis tuæ eructabũt, & iustitia tua exultabũt. Miserator & misericors Dominus, patiẽs & multũ misericors. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Cõfiteãtur tibi Domine omnia opera tua, et sancti tui benedicãt tibi. Gloriã regni tui dicẽt, & potẽtiam tuam loquentur. Vt notam faciant filiis hominũ potentiam tuã, & gloriam magnificẽtię regni tui. Regnũ tuũ, regnũ omniũ seculorũ, & dominatio tua in omni generatione & generationẽ. Fidelis E Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnib⁹ operibus suis. Alleuat F Dominus omnes q̃ corruũt, et erigit om-

nes elisos. Oculi omniũ in te sperãt Domine, & tu das escã illorũ in tẽpore oportuno. Aperis tu manũ tuã, et imples omne animal benedictione. Iustus Dominus in omnib⁹ viis suis, et sanctus in omnib⁹ operibus suis. Prope est Domin⁹ omnib⁹ inuocãtibus eũ, omnibus inuocãtibus eũ in veritate. Volũtatẽ timẽtiũ se faciet, et deprecationẽ eorũ exaudiet, & saluos faciet eos. Custodit Dñs omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet. Laudationem Domini loquetur os meũ, & benedicat omnis caro nomini sancto eius in seculum, & in seculum seculi.

¶ A. In Dei laudibus tantùm occupatus est psalmus hic, quod & titulus ostendit, qui & latinè & græcè apud 70. & hebraicè, nihil in fronte habet, quàm Laudatio ipsi Dauid, ostendens ipsum verum Dauid, id est, Dei filium, isto Dauid filio Iesse canente laudari. Sciendum autem hũc psalmum 144. ordine literarum hebraicarum procedere: vt enim apud hebræos 22. sunt elementa, quibus omnia scribũt, ita & psalmus hic totidem habet versus, quorũ primus incipit ab Aleph, 2. à Beth, 3. à Gimel, & ita de reliquis vltimus incipit à Tau, quæ apud hebræos vltima literarũ est. Annotat autem Diuus Hieronymus ad Paulam Vrbicam scribens, quatuor esse psalmos qui secundum ordinem hebrȩorum elementorũ incipiunt, videlicet 110. et 111. et 118. et hũc quem modò in manibus habemus: verùm in hoc psalmo, singulos versus à singulis literis incipere, 118. autem psalmo octonos versus ab eadem incipere litera, vt ibi annotauimus. Præterea duos priores psalmos ordine literarum procedere vsq; ad decẽ aut nouem elementa, sed alphabetum non absoluere: duos autem posteriores omnia elemẽta in capitibus versuum comprehendere. ¶ B. Hæc Dei prima & præcipua laudatio est, quòd nihil in se mediocre, nihil circunscriptum, nihil emensum & magnitudinis & laudis suæ habeat, inquit Hilarius: Virtus siue potentia eius, opinione aut æstimatione non clauditur, locis non continetur, nominibus non enunciatur, angustum ad hoc intelligendum pectus nostrum est, hebes ingenium, obscurus intellectus, finem magnificentia ipsius nescit, & mensuram aliquam immensa magnitudo non patitur. ¶ C. Per generationem & generationem, duas accipimus generationes: Primam quæ ab Abraham cœpit, & quæ signaculum circuncisionis accepit, & legem Mosaicam, hoc est, Iudæorum generationem: Alteram, quæ renouatur & regeneratur in Christo, quæ ex doctrinis propheticis instruitur ad fidem iustificationis euangelicæ, & hæc est Christianorum generatio. Harum igitur duarum generationum proprium est laudare opera Dei, sic ferè Hila. Verùm quoniã propter perfidiam Iudȩorũ generatio reiecta est, nec laudare vult mirabilia opera Domini exhibita nobis per Iesum Christũ, & propterea suprà dixit, Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. Iccirco D. Aug. scribens in hunc psalmum duas generationes has aliter explicat, vt prima generatio sit omnium credentium, qui appellãtur filij Dei in hac vita: altera verò generatio sit eorũ, qui exuti mortalitate cum Deo victuri sunt in perpetuum, qui appellantur filij resurrectionis. Laudamus nunc opera Domini, cùm in hac mortalitate viuimus, inquit Aug. & si laudamus compediti, quomodo laudabimus coronati? ¶ D. Memoriam suauitatis etc. O epulas felices inquit Aug. Quid manducabunt qui sic eructabunt? Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ. Quid est memoriam abundantiæ suauitatis tuæ? quia nostri oblitus non es, cùm nos tui obliti fueramus. Hȩc memoria eius super nos prædicanda est, enarranda est, et quia valde dulcis est, manducanda & eructanda. Sic manduca vt eructes, sic accipe vt des. Manducas cùm discis: eructas cùm doces: manducas cùm audis: eructas cùm prædicas: hæc ille. ¶ E. Verborum fides (inquit Hilarius) fortè nutaret, nisi sanctitas operibus esset admixta. Sanctitas itaque in diuinis operibus fidem confirmat in verbis, vt iam de sancti fide nõ ambigas in promissis, cuius sanctitate vteris in rebus. ¶ F. Non est græcè, Alleuat, sed Ὑποστηρίζει, id est, confirmat, vt legit Augustinus: vel vt significantiùs explicemus græcam vocem, suffulcit (vt Hilarius legit) Idemque locum hunc ita explicat, Suffulcit inquit Dominus non collapsos, sed cadẽtes. Quos etsi trahat pronus naturæ lapsus in casum, pœnitentia tamẽ, quæ author est desinẽdi, suffulcit ne penitus ceciderit si stet in lapsu, sed & eriguntur elisi. Differt autem vi exteriore elidi, & ruisse suapte sponte. Eliditur namq; ille, quem per diaboli instinctum calẽs ætas præcipitauit

pitauit in casum,quem ignorantia compulit in errorem, quem fraudulentis vsa blanditijs,naturæ infirmitas egit in crimen,hic potiùs eliditur quàm ille qui voluntate permanserit,quem vitij vsus oblectet,quemq; non pœniteat admissi.

Alleluia Aggæi & Zachariæ. *Psalmus CXLV.*

LAuda A anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quàm diu fuero. Nolite cõfidere in principibus, in filiis hominum,in quibus non est salus. Exibit B spiritus eius & reuertetur in terram suam,in illa die peribũt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius,spes ei' in Domino Deo ipsius, qui fecit cælũ & terrã,mare et omnia quæ in eis sunt. Qui custodit veritatẽ in seculũ,facit iudicium C iniuriam patientibus,dat escam esurientibus. Dominus soluit cõpeditos,Domin' illuminat cęcos. Dominus erigit elisos,Dominus diligit iustos. Dominus custodit D aduenas,pupillum & viduam suscipiet,& vias peccatorũ disperdet. Regnabit Dominus in secula Deus tuus Sion,in generatione & generationem.

¶ A. Apud hebræos psalmus hic cum quinq; sequentibus nihil præferunt in titulo,præter, Alleluia. Septuaginta autem interpretes huic psalmo & tribus sequentibus hunc titulum dederunt, Alleluia Aggęi & Zacharię. Quod propterea factum est, quia hic psalmus cum tribus sequentibus mysticè canunt, cælestem Hierusalem ædificandam ex viuis lapidibus,in qua regnaturus sit Christus in perpetuum,& loco templi Salomonij sæpius incensi & diruti,spirituale templũ condẽdum in humanis cordibus,in quo per fidẽ habitaturus sit Christus. Nam Aggęus propheta & Zacharias missi à Deo prophetauerunt apud Iudæos è captiuitate Babylonica, quam Cyrus soluit, reuersos,vt scribitur Esdræ 1.& suis oraculis adhortati sunt & animarunt ad ędificãdum templum, quod permittẽte Cyro rege cœptum est & completũ sub Dario rege Persarum,qui Cyro successit. Et vaticinia vtriusq; prophetæ plena gaudij sunt & consolationis. Quanquam omnia referẽda sint non ad terrenam illam Hierusalẽ, sed cælestem, vt in sequenti psal.pleniùs ostẽdemus. ¶ B. Illud, Reuertetur in terram suã,non ad spiritum egressum refertur: Is enim quia non est è terra sumptus,non reuertetur in terram,sed ad principes,& filios hominum: nec mouere nos debet hęterosis numeri subito mutati è plurali in singularem: id enim frequens est in sacris literis. Est igitur sensus: Egredietur spiritus eius nimirum principis aut hominis,& ipse homo reuertetur in terram suam, iuxta illud quod protoplasto dictum est: In sudore vultus tui vescêris pane tuo,donec reuertaris in terram vnde sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuertêris. ¶ C. Hæc tametsi iuxta literam vera sunt, tamen quia nomina prophetarum pręfiguntur huic psalmo,sine controuersia mysticè intelligenda sunt,& omnia hæc completa esse,adueniente filio Dei in carnem. Tunc enim vltus est vicem populi sui,iniustè oppressi à diabolo,& escã spiritualẽ & cælestẽ panem dedit esuriẽtibus & sitientibus iustitiam,soluit compeditos peccatorum suorum funibus, & cęcis mentibus euangelicum lumen infudit,& erexit elisos. ¶ D. Quod interpres benè vertit, aduenas hoc loco,græcè est προσηλύτους,proselytos, quam vocem Matthæi 23. capite reliquit: sic enim habet, Væ vobis Scribæ & Pharizęi,qui circumitis mare et aridam vt faciatis vnum proselytum: Vocabant autem proselytos,qui ex gentibus veniebant ad Iudaismum. Hoc itaq; loco proselyti siue aduenæ appellantur Christiani, qui ex paganismo venerunt & iuncti sunt ecclesię,quę ex Iudęis pręcipuè nata est post adscensum Christi ad cęlos. D. August. seruauit gręcam vocem, Dominus inquit custodit proselytos,quod idẽ enarrãs,sic habet: Proselyti inquit aduenę sunt. Omnis ecclesia gentium proselyta est: aduẽticia enim est ad patres,non de carne eorum nata,sed imitata fidem. De his aduenis Esa.56.ita loquitur Dominus, Non dicat filius aduenę qui adhęret Domino,dicẽs: Separatione me diuidet Domin' à populo suo. Pupilli sunt,qui abiurarũt et repulerũt patrẽ diabolũ. Viduę,animę appellãtur quę in hoc seculo solatio destituũtur terreno. Quare ecclesia quoq; vidua dici potest,interprete Augustino,absente sponso

& marito Christo.

Alleluia Aggæi & Zachariæ. *Psalmus CXLVI.*

LAudate A Dominum quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit iucũda decoraq; laudatio. AEdificans Hierusalẽ Dominus, dispersiones Israëlis cõgregabit. Qui sanat cõtritos corde et alligat cõtritiones eorũ. Qui numerat B multitudinẽ stellarũ, & omnibus iis nomina vocat. Magnus Dominus noster et magna virtus eius, et sapiẽtię eius non est numerus. Suscipiẽs mansuetos Dominus, humilians autem peccatores vsq; ad terrã. Præcinite Domino in cõfessione, psallite Deo nostro in cithara. Qui operit C cælũ nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in D montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Qui dat iumẽtis escam ipsorũ, & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi voluntatẽ habebit, nec in tibiis viri beneplacitum est ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius.

¶ A. Ad laudandnm Deum hortatur nos psalmus quod ex titulo satis liquet, Alleluia, quod vt iam sæpe diximus, idem est quod laudate Dominũ, quare apud heb. & titulus & principium psalmi habent Alleluia. Quod autem vertit, quoniam bonus est psalmus, gręcè est, quoniam bonum, id est, bona res est psalmus, hoc est, bona res est psallere non tam voce quàm pijs operibus, non tam ore quàm corde. Causam cur laudandus sit Dominus statim subijcit, quia nimirum ædificat cælestem Hierusalem, & congregat, non solùm carnalem Israëlem, qui tantùm in Babylonem abductus erat, sed ab omnibus finibus terræ, ab oriente & occidente congregat in vnitatẽ fidei animas dispersas: vnde habet, Dispersiones Israëlis, non dispersionẽ, vt variæ gentes & linguæ intelligantur: de his dispersionibus Ioan. cap. 11. Cùm esset põtifex anni illius, prophetauit quòd Iesus moriturus erat pro gẽte (videlicet Iudaica) & nõ tãtùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erãt dispersi, congregaret in vnũ. De hac mystica ędificatione cęlestis Hierusalẽ, & congregatione dispersionum Israël, ita vaticinatus est Zacharias cap. 2. Absq; muro (inquit) habitabatur Hierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. O, o, o, fugite de terra aquilonis, dicit Dominus, quoniã in quatuor vẽtos cęli dispersi vos, dicit Dominus, quod nullo modo ad Iudęorũ synagogã, sed ad ecclesiã referendũ est, quæ longè superat gloria synagogã: vnde Aggęus cap. 2. suę prophetię, Adhuc vnũ modicũ est, & ego cõmouebo cęlũ & terrã et mare et aridã, et mouebo omnes gẽtes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius nouissimę plus quàm primę, dicit Dominus exercituũ: Quare nõ absq; causa 70. interpretes horũ prophetarũ nomina pręfixerũt huic psalmo sicut & præcedẽti & duobus sequẽtibus. ¶ B. Non has stellas quas cęlo infixas videmus, hoc loco intelligimus. Quid enim magnum aut Deo dignum, si numerum aut nomina earũ teneat, quas ipse condidit? sed rationales stellæ, id est, homines pij, de quibus Daniel propheta: Tunc inquit fulgebunt docti quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Ad has stellas contuendas hortabatur Deus ipsum Abraham Genes. 15. dicens: Suspice cælum & numera stellas si potes, sic erit & semen tuum. Id intelligens apostolus cap. 15. prioris epistolę ad Corin. Stella inquit differt à stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum. Has ergo stellas Deus numerat, quia solus nouit numerũ eorũ qui in cęlestem Hierusalẽ adscensuri sunt, & suis nominibus quæ in libro vitę scripta sunt, singulos vocat. Soli enim electi digni sunt, vt à Deo numerẽtur & suis nominibus appellẽtur: vnde Moysi dictum est à Domino, Noui te ex nomine: sicut contrà impijs dicturus est, Non noui vos. ¶ C. Geminus sensus esse potest. Deus enim cælum, id est, cælestia & diuina mysteria tegit, & operit nubibus, id est, obscurioribus prophetarum oraculis & euangelicis parabolis & scriptis apostolicis, quibus irrigatur terra humani cordis: vnde Augustinus, Quid est (inquit) Cooperit cęlum nubibus? Contegit scripturam figuris et sacramen-

ſacramentis. Alter ſenſus hic eſt, Deus operit cælum, id eſt, apoſtolos (de quibus dictum eſt, Cæli enarrãt gloriam Dei) nubibus, id eſt, verbis ſalutaribus, quia illos inſtruxit per Spiritum S. euangelica doctrina, qua irrigarent humana corda. Quod enim ros & pluuiæ ſunt gramini & herbis, id cordibus humanis ſunt ſermones diuini: vnde Moyſes Deut. 32. Concreſcat inquit in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtellę ſuper gramina. ¶ D. Si literam hîc ſequamur, abſurdum videbitur, quòd dicit Deum producere fœnum in montibus, & in ijſdem herbam ſeruituti hominum producere, cùm valles et campi graminibus & herbis procreandis natura aptiores ſint. Quare ad allegoriam confugiendum eſt. Producũt ergo montes (vt inquit Hilar.) in eſcam ſuam iumentis & pecoribus fœnũ, ſed illi mõtes quos antea dixit exultaſſe vt arietes, in quos propheta oculos erexit dicẽs: Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi. Hi ergo montes patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, & martyrum altitudines fœnum producunt pecoribus & iumentis, id eſt, hominibus pura & ſimplici fide Deum colentibus, qui propter inſcitiam & ingenij tarditatem diuinorum myſteriorum capaces non ſunt, ſed moralibus præceptis, & pijs aliorum exemplis aluntur: vnde quia imperitiores ſunt, nec apti, vt dominentur aut præſint alijs, ſed pareant aliorum præceptis, & eccleſiæ vſibus inſeruiant, pecora & iumenta appellat, & ob id eſcam ipſorum fœni appellatione denotat. Quod autem de hominibus ſermo ſit ex eo liquet, quòd eos quos iumenta appellat, in præcedenti verſu vocat, ſeruitutem hominum, id eſt, ſeruitia hominum, hoc eſt, homines ſeruientes. ¶ E. Et hoc iuxta literam ridiculum eſt. Quo enim coruorum pulli Deum inuocant? niſi fortè crocire & rauco hiantiq; gutture ſtrepere, dicamus eſſe inuocare Deum: & quæ tandem eſca datur à Deo coruorum pullis, qui fœtidis putreſcentium cadauerum carnibus paſcuntur. Coruus itaque in arcanis literis, diaboli & peccatoris typus eſt: Hinc in Geneſi legimus, ceſſante diluuio coruum emiſſum, & non rediſſe, quia diabolus durante diluuio, id eſt, ſtante corruptibili hoc ſeculo & mortalitate inter electos, in medio catholicæ eccleſiæ (cuius figura arca Noë erat) verſatur, ſemper mortuorum cadaueribus inhians, viua intacta relinquẽs, & rauciſſima voce rixas concitans: ceſſante autem diluuio, & pace perpetua poſt mundi finẽ reddita fidelibus, expellendus eſt in abyſſum, nec vnquã reuerſurus inter electos. Ad hęc Reg. 3. cap. 17. legimus Heliam paſtum à coruis, deferentibus illi panem & carnes manè & veſperi, quo myſticè ſignificabatur, Chriſtum, qui verus Helias eſt (nam Helias hebraicè, ſonat latinè Deus Dominus) paſcẽdũ fide & religione gentium, perſequentibus & repellẽtibus illum Iudęis. Nos itaq; filij coruorũ ſumus, vel quia ante regenerationis lauacrũ patrem habuimus diabolũ, vel quia maiores habuimus idololatras et patres peccatores. ¶ F. Iuxta literã ſenſus eſt, Deũ nõ gaudere re bellica, hoc eſt, fortibus equis & robuſtis bellatoribus, ſed eos demum illi eſſe gratiſſimos, qui ſic metuunt Deum, vt tamen non deſperẽt nec diffidant de illius miſericordia & bonitate. Allegoricè autem equos vocat ſacra ſcriptura, homines ſuperbos et feroces, aut nimium libidinoſos: vnde illud Hieremiæ 5. cap. Equi inſanientes in fœminas, vnuſquiſq; ad vxorem proximi ſui hinniebat. Mirum autem quod exemplar ſecuti Diuus Auguſtinus & Hilarius penultimum verſum ita legunt: Nec in tabernaculis viri bene ſentiet: Hilarius ita, Nec in tabernaculis viri beneplacitum eſt ei, cùm græcè ſit οὐδ' ἐν ταῖσ κνήμαισ τοῦ ἀνδροσ etc. id eſt, neque in tibijs, id eſt, cruribus, vt à parte totum intelligamus: Interpres autem (quicunque fuerit) loco κνήμαισ, videtur legiſſe σκηναῖσ, id eſt, tabernaculis.

Alleluia [A] *Aggæi & Zachariæ.* *Pſalmus CXLVII.*

LAuda Hieruſalẽ Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te. Qui [B] emittit eloquium tuum terræ, velociter currit ſermo eius. Qui dat niuem [C] ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?

Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius & fluent aquę. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

¶ A. Eiuſdem ferè argumenti eſt pſalmus hic cum præcedente, quare apud 70. interpretes eodem titulo quo præcedens inſcribitur. Hoc tamen intereſt, quòd præcedens pſalmus ad laudandum Deum nos inuitat, quia Dominus iam nunc in terra ędificat Hieruſalem ex ſpiritualibus lapidibus, & numerum electorũ, & nomina vocãdorum ad cæleſtia regna iam cognoſcit. Hic autẽ pſalmus de cæleſti Hieruſalem in principio potiùs loquitur, quę ſurſum eſt & mater noſtra. Nam de eccleſia adhuc militante & aſſiduis bellis nutante, & noctes & dies cũ hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus confligente, non verè dici poſſe videtur, Qui poſuit fines tuos pacem, quod de cæleſti Hieroſolyma verè dicitur: cuius vectes ſiue ſeræ portarum adeò confirmatæ ſunt, vt nihil irrumpere poſsit, & altiſsimam illam ſanctorum pacem turbare. Quod autem ſequitur, & adipe frumenti ſatiat te, ad vtramque Hieruſalem, id eſt, ad triumphantem in cælis, & militantem in terris referri poteſt. Ibi enim ſaginantur ſancti adipe, id eſt, diuinitate illius frumenti ſiue grani, quod in terram lapſum multos fructus protulit: itidem et eodem adipe hîc paſcitur eccleſia: ſed hîc per ſpeciem in ænigmate, ibi facie ad faciem.

¶ B. Per eloquium Dei, euangelicam prædicationem vel vnicum Dei filium intelligimus, cuius ſermo per apoſtolos adeò velociter propagatus eſt, vt in fines orbis terræ audita ſint verba eorum, & prædicatio eorum quatuor mundi climata impleuerit. ¶ C. Nix, nebula, ſiue pruina (vt hebraicè eſt) & Cryſtallus, quam latinè glaciem appellamus (Hieronymus enim ad hebraicam veritatem glaciem vertit) incommoda & moleſtias variaſq; tribulationes ſignificant interprete Hilar. per quas aditus et via nobis patet ad æternam illam temperiem & requiem. Quæ ſanè vniuerſa intolerabilia eſſent ſi perpetuò durarẽt. Quis enim mortaliũ perpetuum rigorem hyemis ſemper ſæuientis ferret? vnde ſubdit: Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? ſiue vt hebr. veritas legit: Quis ſtabit? Nix enim in modum lanæ albicantis denſiſsimè cælitus cadit, & nebulæ pruinoſæ more cineris terram reſpergunt: glacies autem ceu buccellę & fruſta, denſatur in partes ſolidiſsimas. Verùm omnis hęc cęli intemperies & aſperrimę hyemis rigor, quo ad tempus hîc vrimur, reſoluetur aliquando, cùm Deus emittet calidiſsimum & gratiſsimum flatum ſpiritus ſui, quo viuificantur omnia, & in ſuam naturam reuocantur, vt nix, pruina & glacies liquent ſub ſole: & emiſerit verbum ſuum, id eſt, filium ſuum inuitantem ſuos electos ad ęterna gaudia, quos per Iacob & Iſraël intelligit, vt ſępe diximus, quibus euangelij verbum, iuſtitias & iudicia ſua annunciauit, quod nullis alijs pręſtitit. Cryſtallum ſuam: Cryſtallus gręcè idem eſt quod glacies latinè: ſic enim vertit hanc eandem vocẽ in ſequenti pſalmo: Ignis, grando, nix, glacies, quomodo & hîc vertenda erat: ne quis putet eſſe gemmam, quam latini cryſtallon appellat, quòd glaciei ſimillima ſit, quę vehementiori gelu ita concreſcit, vt nunquam calore reſoluatur: vnde autor eſt Plinius lib. 37. eam nuſquam reperiri, quàm vbi niues hybernę rigent maximè.

Alleluia [A] *Aggæi & Zachariæ.* *Pſalmus CXLVIII.*

LAudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini. Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Statuit ea in æternum & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit. Laudate Dominũ de terra, dracones [B] & omnes abyſſi. Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri. Beſtiæ & vniuerſa

vniuersa pecora, serpentes & volucres pennatæ. Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terrę. Iuuenes & virgines senes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio C eius super cælum & terram, & exaltauit cornu populi sui D. Hymnus omnibus sanctis suis, filiis Israël populo appropinquanti sibi.

¶ A. Quia in præcedentibus psalmis de ædificata cælesti illa ciuitate Hierusalem, & felicissima conditione & summa pace filiorum Hierusalem disseruit propheta. Hoc psalmo omnes creaturas tam cælestes quàm terrenas ad laudandum Deum hortatur. Quia propter hominem omnia condita sunt, & illius vsibus seruiunt tam cælestia quàm terrestria, quàm diu mortalitati & corruptioni obnoxius est: postquã verò in cælestem patriam reuocatus fuerit post mũdi huius finem, beatæ illius ciuitatis municeps factus, tunc omnis creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei, quæ teste apostolo parturit & ingemiscit adhuc, expectans beata illa tempora, & ob hanc causam meritò hoc psalmo ad diuinas laudes eam inuitat. Est & alia quędam causa, nimirum hęc, vt refellantur errores gentilium, qui solem, lunam, stellas, & cętera creata deos esse falsò crediderũt. Si enim dij sunt, quomodo ad laudãdum verũ Deũ inuitãtur? aut quomodo iussu Dei omnia producta & creata sunt? Quod autẽ dicit: Laudate Dominũ de cęlis, & laudate Dominũ de terra, hoc sensu dictũ est: Laudate Dominũ vos qui estis in cęlis, & vos qui estis in terra. Inanimata autẽ omnia Deũ laudant, cùm per omnia illius nutui obediunt: hinc enim maxima Dei laus nascitur, et summa illius potestas prędicatur. ¶ B. Dracones à gręcis dicũtur serpẽtes, qui vastiora corpora habẽt, sic dicti à gręco verbo δέρκω, quod est video. cuius secũdus aoristus est ἔδρακον: ab acrimonia enim vidẽdi, quæ peculiaris est serpẽtibus, dicti sunt dracones. Sciẽdum autem, vt annotat D. Hier. in hebręo nõ esse dracones, sed Thaninim, id est, cete, de quibus Gene. 1. dicitur. Creauit autem Deus cete grãdia: nam serpẽtum infrà mentionem facit. ¶ C. Interpres latinus in vertendis prępositionibus gręcanicis, quę multiplicẽ habẽt significationẽ, pro ratione cõstructionis siue casuũ negligẽtior est, vt hoc loco prępositionẽ ἐπί, quę hoc loco per, in, vertenda erat, reddidit per, super, adiuncto accusatiuo. Certè D. Aug. legit, Confessio eius in cęlo & in terra, quia omnia laudãt eũ in cęlo & in terra, & omnia illũ cõfitẽtur, omnia clamãt, omniũ rerũ cõditarũ in cęlo et in terra pulchritudo et ordo quędã vox eorũ est cõfitẽtiũ Deo. D. Hymnus enim nõ ab omnibus dicẽd' est Deo, quia nõ est speciosa laus in ore peccatoris, sed à sanctis, nimirũ filijs Israël. At ne carnalis Israël hoc sibi arroget, adijcit, populo appropinquanti sibi, videlicet affectu & amore: Nam de carnali Israële dictum est, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Alleluia. *Psalmus* CXLIX.

CAntate A Domino cãticum nouũ, laus eius in ecclesia sanctorum. Lætetur Israël in eo qui fecit eum, & filię Sion exultẽt in rege suo. Laudent nomẽ B eius in choro, in tympano & psalterio psallãt ei. Quia beneplacitũ est Domino in populo suo, et eaxltauit mãsuetos in salutẽ. Exultabũt sancti in gloria, lętabũtur in C cubilibus suis. Exultationes Dei in gutture eorũ, & gladii ancipites in manibus eorũ. Ad faciẽdam vindictam in nationibus: increpationes in populis. Ad alligãdos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciãt in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius.

¶ A. Honorẽ & gloriã sanctorũ, id est, populi Dei hoc psalmo enarrat propheta, & ob eximiã hanc gratiã cęlitus illi collatã, ad laudandũ Deũ hortatur nos. ¶ B. De psalterio, quid mysticè denotat, alijs locis dictũ est à nobis. Quid autẽ sit, Dominũ laudare in choro & tympano, iuxta allegoriã dicẽdum est: nec enim tripudio, cantionibus et tympanorũ strepitu laudari vult Dominus. Is igitur Deũ laudat in choro, qui & voce,

id est,

id eſt, dogmatibus & operibus cum alijs conſentit, et religioſis moribus Deum laudat: vnde et Apoſtolos hortatur Corinthios, vt idem dicant omnes, et nō ſint in illis ſchiſmata. Porrò tympanum ἀπὸ τοῦ τυπτεῖν dictum eſt, id eſt, à verberando ſiue pulſando, quòd extenſa pellis in tympano aſſiduè verberetur: quo quid aliud quàm mortificatum corpus notatur, quod tantiſper caſtigatur & verberibus tunditur, dum ſpiritui obtemperet? Qui igitur cum Apoſtolo corpus ſuum caſtigat & in ſeruitutem redigit, is Deum laudat in tympano. ¶ C. Auguſt. Lætabuntur in cubilibus ſuis, inquit, non in theatris, non in circis, non in nugis, non in foris, ſed in cubilibus ſuis. Quid eſt in cubilibus ſuis? In cordibus ſuis. Audi apoſtolum Paulum exultantem in cubili ſuo: nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Sed quoniam multa ſunt quæ adhuc poſſunt offendere oculos Dei, lauda eū qui iſta donauit. Ne ergo quaſi ſibi placentes viderentur, addidit: Exultationes Dei in gutture eorum. ¶ D. Appellatione gladij ancipitis, id eſt, vtrinque acuti, ſermo diuinus ſignificatur, quia & animæ & corporis vitia reſecat, & carnem à ſpiritu ſeparat, de præſentibus & futuris diſſerēs. Hi gladij à Deo dantur in manus ſanctorum, vt barbaras nationes vitiorum aut malignorum ſpirituum his feriant & propulſent, & de ijs ſe vindicent, & peccatores redarguant, & reges eorum, & nobiles, id eſt, duces & anteſignanos, hoc eſt, philoſophos & hæreticos errorum magiſtros compedibus & manicis vinciant, & ſub iugū Chriſti & euangelicæ fidei mittant: quod in libris propheticis ſcriptum eſſe dicit, eiuſmodi iudiciū & vindictā facturos ſanctos, quæ ſanè gloria cōmunis eſt omnibus illius ſanctis.

Alleluia. Pſalmus CL.

LAudate A Dominum in ſanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in ſono B tubæ, laudate eum in pſalterio & cythara. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo C. Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis, omnis D ſpiritus laudet Dominum. Amen.

¶ A. Centeſimū quinquageſimum pſalmum qui vltimus eſt, ſicut ab Alleluia, id eſt, laude Domini exorſus eſt, ita eodē fine, hoc eſt, Alleluia, illū claudit propheta. Quod autem 70. interpretes verterunt ἐν ἁγίοις, id eſt, in ſanctis. D. Hier. ad heb. verit. reddidit: Laudate Dominum in ſancto eius: alij autem neoterici interpretes, In ſanctitate eius: alij, in ſanctuario eius, quod de ſanctuario ſiue ſacrario cęleſti vel ſpirituali ſine controuerſia intelligendum eſt, ne iudaizare videamur. Cùm autem ex apoſtolo conſtet, nos eſſe Dei ſacrarium ſiue ſanctuarium, in quibus per fidem Chriſtus habitat, & templum Spiritus S. membra noſtra eſſe, manifeſtum eſt, nihil quantum ad intellectum, intereſſe ſiue legamus in ſanctis ſiue in ſancto, hoc eſt, ſanctitate, aut ſanctuario. Nam D. Chryſoſt. enarrans obiter hunc locum pſal. citat vtrāq; lectionem & hebræorum & 70. interpretum, de ſanctis vtrāq; interpretatur: Eius verba hæc ſunt. Alius (inquit) in ſancto eius: alius, in ſanctificatione eius dixit: De populo hoc ait, aut propter vitam ſanctam & viros ſanctos, aut propter ſacerdotium, hæc ille. Diuus Hieronymus & item Auguſtinus enarrantes hunc pſalmum, de ſanctis intelligunt & interpretantur. Sic enim Hieronymus, Laudate inquit Dominum in ſanctis eius, qui eos poſt celebratum iudicium in æternitatis gloriam collocabit. Laudate eum in firmamento virtutis eius, eò quòd omni infirmitate ſublata, firmamentū his æternæ virtutis inuexerit. Aug. verò ſic: Laudate Dominum in ſanctis eius, vtiq; in ijs quos glorificauit. Laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius. Omnia iſta ipſi ſunt ſancti eius: quomodo dicit Apoſt. Vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo. Si ergo iuſtitia Dei quam fecit in ijs, cur non & virtus Dei quam fecit in ijs, vt reſurgerent à mortuis, hactenus Aug. ¶ B. Quid ſit tuba canere & Deum laudare, dictū eſt à nobis pſalmo 80. in illum verſum: Buccinate in neomenia tuba in inſigni die ſolennitatis veſtræ, nimirum voce, vita, & moribus probatis laudem Dei ebuccinare & prædicare.

¶ C.

¶ C. Quas latini fides appellāt aut neruos, græci chordas appellāt: vnde suprà psalteriũ decachordon appellauit à numero denario neruorum quibus intēdebatur. Organum autem, vt Aug. quoq; annotat, generale nomen est omnium instrumentorũ musicorum, quanuis iam obtinuerit consuetudo, vt organa propriè dicantur ea quæ follibus inflantur, quod genus hoc loco significari non arbitratur Aug. Quare per chordas & organa, alia instrumenta musica, quæ fidibus & chordis intendebantur, significare videtur: nam plura olim fuerunt eius generis instrumenta: erat enim & testudo, erat & monochordon. ¶ D. Per cymbala quæ concussa suauē tinnitum edunt, D. Aug. eam laudem significari putat, quæ Deo offertur quoties alter alterum honoramus, & vt apostolus præcipit, honore nos inuicem præuenimus, & vtrinq; honor omnis Deo offertur, & cum propheta dicimus, Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Quod autē interpres latinus vertit, Cymbala iubilationis, græcè est ἀλαλαγμοῦ. Porrò ἀλαλάζω, non solùm est iubilo, sed etiam tinnio: vnde cap. 13. prioris epistolæ ad Corint. rectiùs vertit, factus sum velut æs sonans aut cymbalũ tinniens, quod græcè est ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον: quare & hoc loco clariùs potuisset vertere, in cymbalis tinnientibus. ¶ E. Quod dicit, Omnis spiritus laudet Dominum, significat, quòd caro & sanguis, & corruptio, id est, homo carnalis & corruptelæ deditus, ineptus est ad laudandum Deum: sed is demum dignè laudat, qui mortificata carne totus spiritualis factus est, & cum Apostolo, Christo adhærens & vnus spiritus cum eo factus dicere potest, viuo iam nō ego, viuit verò in me Christus: quanquam hebraica veritas interprete Hier. legat: Omne quod spirat, laudet Dominum, à quo non abhorret græca translatio 70. interpretum quę habet, πᾶσα πνοὴ αἰνεσάτω τὸν κύριον, id est, omnis flatus laudet Dominum, per flatum intelligens opinor omnem halitum, hoc est, omne quod spirat, id est, viuit, vt tribus verbis complectatur veluti breuissimo epilogo, quod pluribus verbis & sigillatim in superioribus psalmis dixerat, omnia terrestria ad Deum laudandum inuitans. D. verò Aug. similiter enarrat hunc versiculum sicut D. Hiero. Verba Aug. quoniam ad intellectum huius psalmi faciunt, adijcere placuit, vt ijsdem verbis et hæc nostra Commentaria finiamus, quibus ille suos clausit Cōmētarios in psalmos: sic igitur habet, Nec prętereundum existimo, quòd musici dicūt tria esse genera sonorum, voce, flatu, & pulsu: voce, vt est per fauces & arterias sine organo aliquo cantantis hominis: flatu, sicut per tubam aut tibiam: pulsu, sicut per citharam vel aliquid eiusmodi: nullum itaq; genus hìc prętermissum est. Nā vox in choro, flatus in tuba, pulsus in cithara, tanquam mens spiritus & corpus. Quid ergo proposuit, Laudate Dominũ in sanctis eius? Quibus hoc dixit nisi ijsipsis? et in quibus deum laudēt, nisi in seipsis? Vos enim sancti eius (inquit) virtus eius estis, sed quam fecit in vobis, & potentatus eius, & multitudo magnitudinis eius, quam fecit et ostēdit in vobis: Vos estis tuba, psalteriũ, cithara, tympanum, chorus, chordę, & organum, & cymbala iubilationis benè sonantia, quia consonantia. Vos estis hæc omnia, nihil hìc vile: nihil hìc transitorium: nihil hìc ludicrum vel lubricum cogitetur. Et quia sapere secundum carnem, mors est, Omnis spiritus laudet Dominum.

F I N I S.



3.

VER-
LENIVS
In Psal-
mos.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm